



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Metaphysica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

CONTROVERSIÆ METAPHYSICÆ,

AVCTORE

P. FRANCISCO DE OVIEDO
E SOCIETATE IESV.

PRO OE M I V M.



LVRA quæ hîc Auctores disputant præmissi Controuersia 1. Logicæ, vbi de Scientia in communi; & illius obiecto disputauit. Ex ibi dictis hîc nonnullas conclusiones deduco. Metaphysica non est vna vnitate quadam Physica, sed vnitate ordinis, quod de omnibus scientiis Controuersia 1. Logicæ Puncto 3. perfeci. Metaphysicam ab hac ordinis vnitate non esse vnâ, sed triplicem probabile putat noster Smigletius à me citatus Controuersia 1. Logicæ Puncto 3. numer. 8. propter rationem quam ibi refero: quam quæstionem dixi ibidem num. 26. nulla posse ratione naturali definiiri, sed de illa auctoritate Philosophi tantum, aliorumve Doctorum agendum esse. Reliquas verò Scientias Metaphysicæ non subordinari, etiam si Metaphysica agat de ente in tota sua latitudine, & reliquæ scientiæ de ente contracto contento sub hac ratione, tradidi Controu. 1. Logicæ Punct. 1. num. 4. vbi omnium Scientiarum subalternationem latè explicui.

Obiectum Metaphysicæ est ens præciscindens à materia, & eandem excludens, hoc est, ens præcisum à ratione materialis, & spiritualis, & etiam contractum ad rationem spiritualis. Fert hoc communis sententia. In tota hac obiecti materialis latitudine nullum partiale obiectum inuenio, quod possit dici obiectum attributionis iuxta naturam obiecti attributionis à me explicatam Controuersia 1. Logicæ, numero 10. Præter Deum Optim. Maxim. ad quem cognoscendum possunt, & debent ordinari cognitiones entis spiritualis, & Angelorum, quorum obiecta ad Metaphysicam spectant, & cuius cognitio ordinari non debet ad alia obiecta finita, & creata, vel saltem non infinita, si præcisè spectentur, cognoscenda.

Si per totam latitudinem obiecti nostræ Controuersiæ producerentur, maiorem partem omnium quæstionum, quas exagitant Theologi sibi arriperent, quidquid enim de Deo, & de Angelis (seclusa Dei reuelatione) ex principiis naturæ potest deduci, ad Metaphysicam spectat. Quapropter nostri negotij Metaphysici est agere de Natura diuina, de huius attributis, de libertate Dei, de simplicitate, seu compositione, & Angelorum locutione, & de aliis plurimis quæ Theologorum libros replent. Non tamen transiliam metas, quas huius latissimæ Scientiæ obiectum imposuere. Sic ergo me geram. Disputabo de conceptu communi entis, de illius possibilitate, de existentia, de passionibus eiusdem, & de iis, quæ his passionibus opponuntur. Tandem illud diuidam in decem Prædicamenta, & singulorum naturam explicabo. Vltimò de ente rationis, pro vt enti reali opponitur disputationem instituam.

CONTROVERSIÆ PRIMA.

De essentia entis.



Vbi præfixo titulo ferè omnes legitimè disputant, an conceptus entis sit vnus respectu Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, qua quæstione hîc dirempta aliis in locis disputant, an ens

sit vniuocum, vel analogum respectu illorum, à quibus abstrahitur, quibus necessum est doctrinam hîc traditam, vel tradendam importunè iam traditam repetere, vel nondum explicatam hîc repetendam immaturè

tunc præmittere, ideo sub eodem titulo hic disputo de entis vniuersali, & de analogia, ad quam explicandam definitio, quid sit vniuersum, quid æquiuocum, quid analogum.

PUNCTUM I.

De conceptu entis.

- 1 Inquirimus conceptum quidditatum entis, per quem formaliter constituitur in ratione talis, & differat ab omni non ente, videlicet à chimæra, seu ente rationis.
- 2 Definiunt nonnulli ens in communi per negationem chimære, & asserunt totum id, quod chimæra non est esse ens. Non assentior definitioni, quia etsi admitatur omne non chimæram esse ens, adhuc non rectè per hanc negationem conceptus quidditatus entis traditur, quia ignotum per ignotius ostenditur, est enim plus ignotus conceptus chimære, quam conceptus entis. Deinde chimæram per negationem entis cognoscimus, & id dicimus esse chimæram, quod apprehenditur cum ratione entis, quam non habet, seu quod tantum habet esse obiectiue in intellectu, quæ definitio supponit cognitionem entis, quod inuoluitur in illo esse, ac proinde si ens reale per negationem chimære definitur, cum chimæra definitur per negationem entis realis definitur idem per idem, & vitiosus circulus committeretur. secundò negationes verè non sunt entia, neque propriè loquendo sunt, illarum enim esse tantum est non esse habituum, quo remouent, quod non est ens, sed potius remotio entis. Neque refert habitus, qui verè sunt, & entia dicuntur, esse non esse suarum negationum, quas remouent, quia habitus remouent suam negationem per esse prædicatorum positiuorum, quæ verè sunt, & ideo non apprehenduntur præcisè ut puræ remotiones suarum negationum, sed ut virtutes positivæ in ordine ad alias negationes verè sunt purum non esse suorum habituum, & totum esse illarum est remouere habitus, & non sunt, neque concipi possunt in ordine ad alia.
- 3 Melius communis Doctorum sententia rationem entis explicat per aptitudinem ad existendum, asseritque illud esse ens, cui non repugnat existetia, seu quod est capax existendi. Definitionem hanc optimam ex eo probatur, quod conveniat Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti, rei & modo, & quibuscumque aliis entibus realibus, & non conveniat enti rationis, quod ens non est, neque negationibus, quæ sicuti propriè entia non sunt, sic sunt propriæ existentia incapaces, & eodem modo, quo dicuntur entia, eodem existere dicuntur, sicuti enim dicuntur entia cum addito, videlicet entia negatiue, sic cum eodem addito dicuntur negatiue existere. Deinde nullus alius potest reperiri conceptus notior omnibus, quam hæc existendi capacitas: rectè ergo per illum definitur ratio entis, siquidem cuiusque enti convenit, & per illum ens differt ab omni non ente, & est notissimus omnium, & saltem ratione prior aliis quibuscumque conceptibus, qui in ente possunt excogitari.
- 4 Conceptus hic entis communis est, tam enti possibili, quam existenti, quia ens possibile capax existendi dicitur, & ens existens eandem habet capacitatem ad actum reduci, & non destructam per ipsum actum, dum enim actus est, actu potest existere, iuxta vulgare illud: de actu ad potentiam valet consequentia. Nihilominus si strictè loquendum sit, ens purè possibile, adhuc non est ens, quia ly *purè possibile* est additum diminuens rationem entis, & illud tantum dicitur simpliciter ens, quod simpliciter est existens, id enim quod non existit, sed purè est possibile, non est, sed esset, & non nisi cum addito dicitur ens neque potest dici capax existendi, quia capacitas ista in ente non est aliquid ab illo distinctum, neque ab ipsa entis existentia, ac proinde donec simpliciter sit existentia in se ipsa non dicitur capax existendi per capacitatem, quæ actu sit, sed quæ est obiectiue, & quæ esset sine contradictione, si esset actu existentia, ideo capacitas ista non dicitur potentia physica, sed Logica, seu obiectiua. Vide quæ de hac re dico Controuers. 2. Punct. 1. & 2. ubi explico quid sit rem esse possibilem, & quomodo differat existentia entis ab ipsius possibilitate. Ob hanc rationem non datur conceptus quidam vniuersalis, & vniuersus eidem enti ut possibili, & ut exi-

stenti. Secundò quia ens non multiplicatur in ipsum existens, & possibile, neque realiter distinguitur ut existens ab ipso ut possibile, & ita non potest in aliquo conceptu vniuersali conuenire, quia de ratione vniuersalis est multiplicari in inferiora, respectu quorum dicitur vniuersale.

PUNCTUM II.

De vniuersis, & æquiuocis.

Vniuersa definit Aristoteles; cuius nomen est commune, ratio vero significata omnino eadem. Idem Philosophus æquiuoca definit Quorum nomen est commune, ratio vero substantie omnino diuersa. Per illam particulam *substantie* conceptum quidditatum intellige, siue sit substantia, siue accidentis, sicuti enim prædicatum substantie est vniuersum respectu substantiæ corporeæ, & incorporeæ, sic prædicatum qualitatibus commune est respectu qualitatibus materialibus, & spiritualibus. Conueniunt vniuersa, & æquiuoca in hoc quod est habere nomen commune; differunt in eo, quod ratio significata per vniuersum est omnino eadem, ratio vero significata per æquiuocum sit omnino diuersa. Exemplum vniuersorum sit homo, cuius eadem est ratio in Petro, & in Ioanne; æquiuocorum verò exemplum esto Gallus qui significat gallum gallinaceum, & hominem natione Gallum, qui duo conceptus significati in hoc simplici nomine nullum habent inter se ordinem, nullamque connexionem.

Circa identitatem vniuersorum notandum est non requiri adæquatam respectu omnium, aliàs solum prædicatum specificum vniuersum diceretur, sed sufficere identitatem inadæquatam, sicuti reperitur in prædicato animalis, quod est idem in Petro, & in Ioanne (per intellectum prædicatorem intellige) & tantum dicitur rationem inadæquatam essentia, & in illo Petro, & Ioanne, homo & equus, vniuersa conuenire dicuntur, etsi nullius inferioris dicat adæquatam essentiam.

Circa æquiuocorum diuersitatem nota sufficere singula esse diuersa secundum rationem significatam per nomen, etiam si secundum aliam rationem omnimodam habeant conuenientiam. Exemplum est respectu galli gallinæ, & hominis natione Galli, quia quatenus hoc nomine significatur, nullam habent vnitatem, nullumve respectum, vel ordinem, si verò animalis nomine significentur, conueniunt in ratione generica in utroque distincta per intellectum.

Vniuersum vulgò solet diuidi in vniuersum vniuersum, & vniuersum vniuersum. Vniuersum vniuersum dicitur ratio superior, verbi gratia, animal. Vniuersa vniuersa dicuntur rationes inferiores, v.g. homo, & equus, qui vniuersa conueniunt in ratione animalis: sic similiter diuiduntur æquiuoca in æquiuoca æquiuocantia, & æquiuoca æquiuocata.

Dubitari solet an æquiuocatio solum conueniat vocibus, vel etiam conceptibus. Affirmat Arriaga disp. 10. Logicæ, sect. 1. certum esse eodem conceptu posse plura significari, quod mihi certum est. Deinde addit ipsum censere iuxta communem opinionem conceptum illum, æquiuocum esse dicendum, quia de ratione nominis vniuersi non est omnia simul significare; quando enim dico *canis equum*, non dico vidisse omnes equos, sed vnum, quem intellectus potest cum alio æquiuocare: ergo de ratione æquiuoci non est singula æquiuocata seorsum sumpta posse significare: ergo ex nullo capite deneganda est æquiuocatio conceptui communi pluribus obiectis ex vi illius representationis, quia si ex aliquo capite huic conceptui esset neganda æquiuocatio, tantum esset, quia conceptus ille non posset quolibet obiectum seorsum sumptum representare aliis non representatis. Secundum hunc dicendi modum conceptus simplicissimus Dei, quo plura obiecta creata in se disparata cognoscit, æquiuocus esset dicendus, quod concedit Arriaga, qui docet hoc non esse inter idiotas spergendum, quia æquiuocatio confusionem sonat, quæ in Deo admitti nequit.

Melius docet Hurtad. disp. 9. Logicæ, sect. 2. cum communi sententia æquiuocationem tantum in vocibus, & non in conceptibus reperiri, quia Deus, & Angelus, qui vno conceptu omnia cognoscunt, non dicuntur formare conceptus æquiuocos, neque conceptus hominis tales dicendi

dicendi sunt, etiam si simplici conceptu plura obiecta inter se diuersa sepe repræsententur, quia huiusmodi conceptus etiam si plura significant illa ut in se distincta repræsentant, & pluribus conceptibus æquivalent: conceptus verò humanus, cui nomen vniucum respondet, ita significat plura, ac si essent vnum, confundit enim plura illa obiecta ad quæ terminatur, & absque vlla discretionem, seu distinctionem ipsorum inlatur vnius simpliciter obiecti intellectui proponit, in quæ non potest aliquando non eadem ratione indiuisibiliter ferri, neque potest dari conceptus, qui modò sumatur ad repræsentandum hoc obiectum, & non aliud, modò ad aliud, & non istud exprimendum. Secus in multis contingit, quæ indifferenter ad hoc, vel illud obiectum sub eadem, vel sub diuersa ratione, ad vnum tantum, vel ad plura significanda desumuntur. Quia hoc nomen *Gallus* aliquando sumitur tantum pro homine natione Gallo, aliquando pro gallo gallinaceo, & ideo dicitur æquiuocum, quia confusione causat in intellectu, cui occasionem præbet, ut modò hominem natione Gallum pro gallo gallinaceo desumat, & postea gallum gallinaceum pro homine Gallo, quod est propriè æquiuocationem pati, sic dicimus æquiuocari hominem, qui terminorum confusione vnum obiectum pro alio intelligit, vel qui lingue lapsu verbum vñ pro alio distincto protulit. Similiter hoc nomen *homo*, quod vniucum est, ita significat plura obiecta sub eadem ratione, ut aptum sit sub eadem ratione illorum quodlibet seorsim significare, seu desumi pro singulis seorsim sumptis eadem ratione, quæ sumitur pro tota collectione.

7 Neque satisfaciunt, quod respondet Arriaga, videlicet inconueniens non esse Deo conceptus æquiuocos attribui absque vlla confusione obiectorum, sed cum summa ipsorum distinctione, constitutâ tantum æquiuocatione in eo, quod idemmet conceptus plura obiecta inter se distincta, & disparata repræsentet, quia licet hic modus repræsentandi plura obiecta, etsi in se disparata per eundem simplicem conceptum nullam dicat imperfectionem, potius ad perfectionem, & simplicitatem Dei spectet, tamen æquiuocatio secundum se, & secundum acceptionem communem non tantum sonat id, quod Deo tribuit Arriaga, sed confusione, ideo neque æquiuocationis nomen tribuendum est Deo, quod malè audit, non enim sat est prudenti Philosopho, atque Theologo ea tradere quæ intellecta secundum ipsius interpretationem nullum continent absurdum; sed ita loqui, ut ex communi verborum significatione nullam generent suspicionem doctrinæ à veritate alienæ, neque aliquam tribuant occasionem errandi. Sicut enim grauissimè reprehendendus esset propter inordinatum loquendi modum; ille, qui assereret Deum committere peccatum, etiam si postea diceret, peccatum committi à Deo non importare Deum esse formaliter peccatorem, neque causam inducentem ad peccatum, sed tantum concurrere ad materiale peccati determinatum à voluntate libera, quem concursus à Deo exhiberi Theologi admittunt; ita reiciendus est, qui dixerit conceptus Dei esse æquiuocos, etiam si Deo in re eisdem tribuat conceptus, quos Theologi negantes in Deo æquiuocos conceptus in Deo agnoscunt.

8 Ratio Arriagæ nihil probat, quia de ratione nominis vniucis est significare omnia vniuoca confusè, & quodlibet illorum in particulari sub eadem ratione, quæ omnia simul sumpta significat, sic nomen *homo* aliquando significat Petrum, & Ioannem, & reliqua omnia indiuidua speciei hominis sub vna communi ratione apprehensa, quod præstat dum substituitur loco conceptus, qui confusè omnia indiuidua sub illa ratione attingit, aliquando verò tantum sumitur pro vñco tantum indiuiduo, ut cum dico *Petrus est homo*. Addo tunc propriè nomen dici vniucum, quando substituitur loco conceptus ex vi cuius inlatur vnius omnia indiuidua apprehenduntur, & constituitur vniuersale.

PUNCTUM II.

De Analogis.

1 Inter vniuoca, & æquiuoca sunt alia media, quæ analogia vocantur, & ab Arist. definiuntur, quorum nomen est commune, ratio verò significatio neque omnino eadem, neque omnino diuersa. Conueniunt cum vniuocis, & æquiuocis in nomine

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

comuni, differunt ab æquiuocis, quia ratio non est omnino diuersa, & ab vniuocis, quia non est omnino eadem.

Analogia diuiduntur in analogia inæqualitatis, attributionis, proportionis, & aliqui addunt proportionalitatis, ut membrum distinctum ab analogis proportionis. Analogia inæqualitatis sunt cuius nomen est commune: ratio tamen significatio per nomen, inæqualiter participata in inferioribus ratione differentia: hæc analogia reperitur in omnibus vniuocis, ac proinde non est propriè analogia, quia animal perfectius est in homine, quàm in equo ratione differentie perfectioris, per quam contrahitur, cum quo identificatur.

Analogia attributionis est, cuius nomen est commune, ratio verò significatio simpliciter diuersa, & eadem secundum terminum: exemplum sit in nomine sanum respectu animalis, medicinæ, & vrinæ: animal dicitur sanum, quando habet in se sanitatem formaliter; medicina, non quia sit sana formaliter, sed quia est causa sanitatis; vrina quia est signum. En diuersas rationes sani, animalis, medicinæ, & vrinæ conuenientes, omnes tamen in ordine ad eundem terminum; quia virtus sanitatis, quæ est in Medicina, respicit tanquam terminum sanitatem formalem animalis, & ratio signi, quæ est in vrina, similiter eandem sanitatem significat.

Ex hoc infertur inter analogia proportionis debere esse habitudinem vnius, vel plurius analogatorum ad aliud, cui ratio analogia præcipuè conueniat, & ex illo reliqua talia denominent, ut accidit in exemplo allato vrinæ, & medicinæ, quæ sanæ dicuntur in ordine ad sanitatem, quæ propriè conuenit animali, & hoc appellari analogum analogans, reliqua verò analogia analogata, licet aliqui hanc distinctionem constituent inter nomen analogum, & rem significatam per nomen.

Notandum est hæc analogia tantum constitui talia in ordine ad præcipuum analogatum, non verò in ordine ad se: v.g. medicina dicitur analogicè sana in ordine ad animal, species tamen medicinæ diuersæ inter se vniuocè conueniunt, in ratione cauendi sanitatem, ac proinde ratio signi efficienter vniuocè conuenit omnibus medicinis.

Analogia proportionis, seu proportionalitatis est, quæ versatur inter duas proportionem. Proportio dicitur ordo, seu habitudo vnius ad aliud, qualis est inter quatuor, & octo, quæ est habitudo dimidij ad duplum, & qualis est inter materiam, & compositum, quæ est partis ad totum. Ratio illa, in qua duæ proportionem conueniunt, dicitur analogia proportionis, v.g. ratio dimidij dicitur analogia in hac acceptione, quia est id, in quo conueniunt proportio, quæ est inter quatuor, & octo, & inter tria, & sex, quia sicut se habent quatuor ad octo, ita se habent tria ad sex. Similiter sicut se habet motus localis ortus ex admiratione, qui dicitur risus, ad hominem, sic se habet ratio viriditatis ad prætā, ac proinde similiter vocatur risus, & dicitur *homo ridet, prætā videt*.

Hanc analogiam communiter appellant Doctores analogiam proportionalitatis, quæ est similitudo inter duas proportionem, Hurt. tamen disp. 9. sect. 3. distinguit ex aliorum mente analogiam proportionis, & proportionalitatis: analogiam proportionis appellat, quæ fit per comparationem inter terminos simplices, sicuti cum dicimus, sicut se habet motus localis ortus ex admiratione ad hominem, ita viriditas ad prætā: Analogia proportionalitatis dicitur, quando comparatio fit inter duo complexa, sicuti quando dicimus: sicut se habet risus prætā ad oculos oblectandos, sic se habet risus hominis ad fociorum voluptatem. Sed hanc differentiam non percipio, neque de illius impugnatione curo, ne tempus in re inutili impendam.

Hæc analogia, ut bene decet Hurtad. sect. 3. aliquando est vera analogia, aliquando vniuocationem non tollit, & propriè nomen non constituit analogum, dimidium enim vniuocum est respectu trium ad sex, & quatuor, ad octo, etiam si se habeant tria ad sex, sicut quatuor ad octo: imò in omnibus vniuocis hæc analogia reperitur, quia sicut se habet animal ad hominem, sic se habet ad equum, quia ad vtrumque se habet tanquam pars materialis ad totum metaphysicè compositum. Quando ergo proportio, quæ inuenitur inter duo extrema, ex vna parte, & inter alia duo ex alia est omnino eadem, nomen est vniuocum, sicut in exemplis iā dictis; quando verò proportio, quæ est inter duo extrema ex vna parte, & inter alia duo ex alia parte, non est omnino eadem, tunc proportionalitas, seu similitudo proportionum non est omnino eadem, sicut quando vocatur magister, vitis, quia ingenia discipulorum imbuunt doctrinā,

T sicut

sicut vitis imbut vino racemos, proportio, quæ est inter magistrum & discipulos, non est eadem, quæ est inter vitem, & racemos, quando vitis propriè, & strictè communicat vinum racemis; Magister verò non nisi metaphoricè, & improprie.

- 9 Necessum autem est hanc analogiam proportionis, seu proportionalitatis assignare ad cognoscendas diuersas naturas analogiæ, seu diuersa fundamenta illarum, vt postea dicam, quia diuersa est analogia sani respectu animalis, vrinæ, & medicinæ, quàm risus respectu hominis & prati, vrina enim dicitur sana, quia est signum sanitatis, medicina quia est causa illius; id autem quod in prato risus vocatur, nec est causa risus hominis, neque signum illius, ac proinde diuerso modo constituitur hæc analogia, illa enim constituitur per rationem cause in medicina, & signi in vrina; hæc verò per proportionem, seu similitudinem quandam, quia sicut risus est signum laticitiæ, ita viriditas, & herbarum laticitiu est signum, non laticitiæ, cuius pratum capax non est; sed quod bene se habeat, ita vt si capax esset oblectationis posset oblectari, & tripudiare, ac proinde quasi tripudiare dicitur sua amoenitate.
- 10 Inquires quomodo differant analogia attributionis, & proportionalitatis. Resp. imprimis differre in fundamentis, quia diuersum fundamentum est, vt nomen sanum, cuius significatum proprium est animalis, tribuatur medicinæ, quàm vt nomen risus, cuius significatum proprium est hominis tribuatur prato.
- 11 Adde has analogias non tantum in fundamento, sed formaliter specie differre, nam de ratione analogiæ, est aliqualis vnitas inter analogata, & diuersa est vnitas, quæ est in ratione sani inter animal, & medicinam ab vnitate, quæ est in ratione ridendi inter hominem & pratum, quia hæc posterior vnitas tantum consistit in quadam similitudine, illa in attributione formæ existentis intrinsecè in animali, ad medicinam, quæ est in illius causa, animal enim, & medicina ab eadem forma dicuntur sana, animal intrinsecè, medicina extrinsecè, homo verò, & pratum non dicuntur ridere eadem forma, homo enim ridet per actum verum ridendi, pratum per alia accidentia, quæ illi adherent, & propter similitudinem, seu proportionem, quæ habet cum risu, metaphoricè risus vocatur, & in hoc consistit analogia proportionis, seu proportionalitatis.
- 12 Ex his facile erit definitiones vtriusque analogiæ explicare analogia prout abstrahit ab analogia attributionis, proportionalitatis definitione iam tradita, analogia attributionis definitur: *Cuius nomen est commune, ratio vero significata simpliciter diuersa, eadem tamen secundum terminum ratione attributionis formæ existentis in principali analogato, ad reliqua minus principalia.* Analogia proportionis, seu proportionalitatis definitur: *cuius nomen est commune, ratio vero significata simpliciter diuersa, eadem tamen secundum proportionem respectus formæ ad analogata.*
- 13 Nota æquiuoca distinguunt aliquando in æquiuoca à casu, & æquiuoca à consilio. Æquiuoca à casu dicuntur ea, quæ eodem nomine gaudent præter intentionem imponentis nomen, sicut præter omnium intentionem accidit eodem nomine significare hominem, natione Gallum, & gallum gallinaceum, quia nullo respectu habito ad gallum gallinaceum fuit impositum hoc nomen homini natione Gallo, & nulla huius mentione facta idem nomen fuit illi datum. Æquiuoca à consilio dicuntur ea, quæ gaudent eodem nomine, quod vni impositum fuit per ordinem, seu similitudinem ad aliud, sicut nomen canis impositum fuit primariò ad significandum canem latrabilem; deinde impositum fuit ad significandum canem cælestem, non casu, sed habita ratione ad præcipuum significatum, quia illa constellatio figura, & situ referebat similitudinem canis latrabilis. Hæc æquiuoca à consilio sunt eadem cum analogis, neque ab illis formaliter differunt, quia eodem nomine gaudent propter similitudinem, seu proportionem, etiam si simpliciter differant, & hoc est formalissimè esse analogum.
- 14 Rursus alia est difficilior sanè diuisio analogorum in analogia propria, & impropria; analogia impropria dicuntur illa, quorum analogata minus principalia extrinsecè participant formam præcipui analogati, sicut vrina extrinsecè dicitur sana à sanitate animalis vel metaphoricè, sicut prata dicuntur ridere per metaphoricè, quia, etsi viriditas, quæ in pratis risus appellatur sit illis intrinsecè, non tamen hæc viriditas est risus formaliter, sed tantum metaphoricè, vnde etiam risus potest dici extrinsecè prato, licet id, quod ri-

sum appellamus, sit illi intrinsecum, accidentaliter, & extrinsecè dicitur risus per similitudinem ad proprium risum, quæ fundamentum est metaphoricè, & extensionis nominis, verius risus ad id, quod verè risus non est.

Dixi vrinam, & medicinam extrinsecè participare sanitatem animalis, quia licet medicinæ sit intrinsecum esse sanum, & habere virtutem cauendi sanitatem, id non dicitur formaliter sanitas, sed virtualiter, vnde cum formaliter dicatur sana, debet hæc denominatio sanæ, quæ absolute prolata formaliter sonat, à sanitate formali, quæ tantum est in animali desumi. Idem dicitur ad vrinam, quæ tantum significat sanitatem, per hoc tamen non dicitur sana formaliter, sed per sanitatem animalis, desumitur autem virtus sanatiua in medicina, & ratio signi in vrina vt fundamentum ad hoc, vt illis applicetur forma sanitatis existentis intrinsecè in animali, quæ illis est extrinsecè.

Alia solent dici analogia propria, ea videlicet, quæ intrinsecè, & propriè qualibet metaphoricè exclusà participat rationem principalis analogati, dicuntur tamen analogia per attributionem, quam habent ad illud, & hoc sensu ratio substantiæ dicitur analogia respectu Dei, & creaturæ, quia licet creatura sit simpliciter substantia, & semper intelligitur cum attributione substantiæ create ad increatam, ens simpliciter dicitur analogum respectu accidentis, & substantiæ, quia licet accidens sit formaliter ens dicitur semper attributionem ad substantiam. Hæc diuisio à multis admittitur, ab aliis verò quàm pluribus reicitur quorum sententia hic amplector, & probabo Puncto sexto, septimo & octauo, ubi ostendam transcendentiam, & dependentiam vniuocationem non impedire, darique rationem vniuocationis creati, & increati, substantiæ, & accidentali.

PUNCTUM IV.

De transcendentia entis, & reliquorum predicamentorum.

Pædicatum illud dicitur transcendens, quod in omnibus aliis imbutum est, ita vt nulla ratione possit sine ipso cõcipi illud, respectu cuius dicitur transcendens, quam transcendentia descriptionem admittit omnes, ideo in illa expendenda non immeror. Duplex est opinio, vna, quæ obiectiuas præcisiones admittit; altera, quæ tantum formales, seu ex parte actus, & non ex parte obiecti defendit. Iuxta has diuersas sententias diuerso modo in hac materia philosophandum est, ideo quid in quacumque illarum tenendum sit, sigillatim explicabo.

PRIMA CONCLUSIO. In opinione, quæ tantum ex parte actus præcisiones admittens, & reliqua omnia prædicata realiter identificata siue inferiora, siue superiora, siue directè in linea prædicamentali constituta, sicut genera, & species, siue indirectè, sicut differentia ex parte obiecti mutuo sunt transcendentia. Tradit hanc conclusionem Arriaga disp. 11. sect. 3. subsect. 3. cuius ratio facilis est. Iuxta hanc sententiam ex parte obiecti nulla præcisio inter prædicata realiter identificata, & idem formaliter obicitur ex parte obiecti, quando apprehenditur ratio entis, & quando apprehenditur differentia indiuidualis huius entis indiuidui; ergo omnia prædicata apprehenduntur ad inuicem se includentia, seu in vno simplici obiectiuo conceptu ex parte obiecti impartibili, & per modum vnius; ergo ex parte obiecti quælibet formalitas est identificata cum alia, & in illa imbuta; ergo quælibet formalitas ex parte obiecti est imbuta in alia, & illam transcendens, & ita identificata, vt ex parte obiecti non hæc & illa, sed vna simplex formalitas sit dicendum obiectum illud, quod in plures formalitates ex parte actus partitur.

SECUNDA CONCLUSIO. In opinione, quæ ex parte obiecti præcisiones obiectiuas defendit, & in opinione, quæ tantum formales admittit, ens, & quodcumque prædicatum superius transcendit omnia inferiora, quæ directè illi subiciuntur. Dixi quæ directè illi subiciuntur, vt excluderem differentias, tantum enim loquor de ente, & quodcumque alio prædicato generico respectu aliorum generum intermediorum, & specierum, & indiuiduorum, quæ sub se continet. Conclusio hæc est mihi certa, illam ostendo in homine respectu animalis, eodem enim modo philosophandum est de quibuscumque aliis prædicatis, quorum vnum sit superius, aliud directè inferius. Conceptus hominis non dicit simplicem quandam formalitatem

formalitate tenentem se ex parte obiecti, in quo consistit ratio speciei, quæ non est formaliter intrinsecè composita, & constans partibus præcisiss ex parte obiecti, aut ex parte actus: ergo tam ex parte obiecti, quam ex parte actus ratio animalis concipitur in homine, per modum vnius cum rationali, absque vlla præcisione inter animal, & rationale, quæ in homine formaliter includuntur: ergo ratio animalis transcendit totam rationem specificam cum in specie actu non fit quædam formalitas, quæ sit animal, & alia, neque ex parte actus præcisa, quæ sit rationale, sed rationale, & animal in eadem confluant formalitatem indiuisibilem, in qua consistit species: ergo ratio animalis, sine qua nequit concipi homo transcendit totam rationem hominis, cum in homine formaliter non fit vnum prædicatum, quod sit animal, & aliud, quod non sit animal, aut ab animali discernatur. Confirmatur, & declaratur eadem ratio. Homo formaliter est animal, insuper dicit simplicem formalitatem, tam ex parte actus, quam ex parte obiecti: ergo quidquid in homine concipitur est formaliter animal, cum non possit assignari vnum, quod sit animal, & aliud, neque ad quædè distinctum, quod sit rationale in entitate omnino simplici, & incomposita tam ex parte actus, quam ex parte obiecti. Verge in homine inuenitur formaliter ratio animalis, non præcisa à rationali, neque ab aliqua ratione adequata, neque inadequata speciei: ergo imbuta in rationali, & in tota ratione speciei, & transcendens rationales & speciem ipsam, & quidquid in illa reperitur. Tantum posset responderi huic rationi negando conceptum speciei, esse conceptum quendam simplicem, tam ex parte actus, quam ex parte obiecti, quod efficaciter probauit in Logica Controuers. 6. Punct. 2. ubi ostendit speciem intrinsecè non esse compositam, neque habere partes metaphysicas, neque ex genere, & differentia componi, sed hæc omnia extrinsecè tantum illi competere.

4 TERTIA CONCLUSIO. In nulla opinione prædicata inferiora transcendunt aliquod prædicatum superius, ita ut superius sine inferiori non possit intelligi. Exempli gratia, substantia non potest transcendere rationem entis, neque corpus rationem substantia. Hæc conclusio est omnino certa, & apud omnes inconcussa, quam tantum expressi ut notarem transcendentiam superiorum prædicatorum respectu inferiorum nunquam non esse. Ratio est manifesta: quodlibet prædicatum superius indifferens est ut contrahatur per differentias oppositas: ergo potest præcisci ab illis, & ab speciebus per has differentias constituendis.

5 QUARTA CONCLUSIO. In opinione, quæ præcisiones obiectiuas admittit, ens non solum transcendit genera intermedia, & species ad quæ contrahitur; sed etiam quamlibet differentiam suæ immediatæ contrahitur entis, siue ultimi indiuidui constituturam. Conclusio hæc communis est inter Doctores, qui contra Scotum docent non posse differentias præcisci ab ente, neque certum est ab illa Scotum dissentire, quia incertum est an Scotus tantum senserit differentias posse ex parte actus præcisci ab ente, an etiam ex parte obiecti easdem præcisci voluerit. Ratio est facilis: conceptus perfectitatis, & cuiusvis differentia terminatur ad aliquid, quod formalissimè opponitur cum chimæra: ergo terminatur ad ens. Probo antecedens: cognitio terminata ad illam differentiam distinguitur ex parte obiecti à cognitione terminata ad chimæram, quia hæc terminatur ad quid fictum, & illa ad aliquid reale, hæc ad obiectum, quod tantum habet esse obiectiuè in intellectu, illa ad obiectum, quod in se ipso, & per se ipsum habet esse independentè à cognitione terminata ad illud, & per se ipsum est non repugnans: ergo terminatur ad aliquid quod opponitur cum chimæra, & est quid positium non repugnans existere: ergo terminatur ad ens formaliter, cuius constituturum est non repugnantia ad existendum, quod in formalitate positium, seu in non negatione non distinguitur à ratione formali entis.

6 QUINTA CONCLUSIO. In opinione, quæ tantum ex parte actus præcisiones obiectiuas admittit ens transcendit omnes differentias. Hæc conclusio est contra Arriagam nuper citatum, illam tamen tradidit Hurtad. disp. 9. Logicæ sect. 4. subsect. 5. & ferè omnes Doctores independentè à quacunque sententia absolutè tradunt differentias non posse ab ente præcisci: Legatur Soar disp. 2. Metaph. sect. 5. Probo conclusionem traditam eodem modo, quo præcedentem probabam, transferendo rationem, quam in obiecto

Francisc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I. I.

cto assignamus ad actum. Rationale ex parte actus apprehenditur ut distinctum à chimæra, & à puro nihilo: ergo apprehenditur ut ens. Probo antecedens: apprehenditur ut principium potens producere ratiocinationem: ergo ut potens existere, virtus enim productiua necessariò supponit non repugnantiam ad existendum, quia id, cui repugnat existentiæ, per locum intrinsecè repugnat intrinsecè ratio virtutis productiue. Confirmatur: Rationale, ut est principium discurrendi, cognoscitur per connotata entis: ergo cognoscitur ut ens. Consequentia in hac sententia legitima est. Antecedens probatur: rationale ut est principium discurrendi cognoscitur per discursus ab illo producibiles: ergo cognoscitur per existentiam effectus tanquam per connotatum, ergo cognoscitur per connotatum aptissimum ad percipiendum in causa capacitatem existendi: quid enim aptius excogitari potest ad cognitionem capacitatis propriæ existentie in causa, quam existentia effectus? Verge; ratiocinatio est connotatum aptum ad cognoscendum in causa principium productiuum ratiocinationis: sed eadem ratiocinatio supponit in eadem causa capacitatem ad existendum, quia per locum intrinsecè repugnat ratiocinationem procedere à principio non capaci existendi: ergo connotat hanc capacitatem existendi: Vltimò hæc est formalis prædicatio rationale est principium ratiocinationis: ergo de rationali dicitur esse: ergo de rationali formaliter prædicatur ens imbutum in copula est: idem enim valet dicere, rationale est principium ratiocinandi, ac dicere rationale est ens principium ratiocinandi.

7 Ex his facile soluitur fundamentum, quo affirmat Arriaga, ens posse præcisci à differentiis, existimat enim posse cognosci rationale non cognitum connotatis entis, quod falsum est ut probauit. Neque alicuius ponderis est quod addit Arriaga, videlicet se posse cognoscere modum, & dubitare an sit realis vel rationis, quia non quotiescumque est dubitatio, est abstractio; potius dubitatio fit per apprehensionem rationum singularium, in quibus intellectus est dubius, quæ illarum conueniat subiecto, de quo dubitat quid, vel quale sit.

8 Obiicies: Si in differentiis imbutur ratio entis, conuenient in hac ratione entis: ergo poterit dari ratio illis communis: ergo non erunt id per quod vltimò differunt species oppositæ, aut indiuidua distincta per differentias indiuiduales constituta. Resp. differentias ipsas confusè cognitæ posse vniuocè conuenire in ratione entis, & rursus per se ipsas expresse cognitæ differre, quia eademmet formalitas diuerso modo cognita potest esse principium conueniendi, & disconueniendi, in quo nullum est inconueniens, neque infertur processus in infinitum, & de differentiis indiuidualibus dixi in Logica Contr. 5. Punct. 3.

9 Obiicies secundò: In omni compositione vna pars debet distinguì ab alia comparte: sed substantia componitur tanquàm ex partibus metaphysicis ex ente, & ex perfectitate: ergo ens debet distinguì à perfectitate, & perfectitas ab ente. Resp. antecedens esse verum in compositione propria, in impropria verò compositione necessum non esse hanc partium distinctionem, sed sufficere partes inadequatè distinguì eandemve formalitatem diuerso modo apprehendi.

10 Obiicies tertio: Ratio entis includitur in substantia differentia, videlicet in perfectitate: ergo non dicit aliquid amplius species constituta ex genere, & differentia, substantia videlicet constituta ex ente, & perfectitate, quam differentia seorsim sumpta: ergo idem formaliter est ens per se, seu substantia, ac perfectitas. Probo consequentiam: si in aliquo differrent substantia, & perfectitas, in eo esset, quod substantia diceret rationem entis, & perfectitatem, & perfectitas tantum diceret se ipsam, & non rationem entis: sed perfectitas dicit se ipsam, & dicit rationem entis imbutam in se ipsa: ergo in nullo differunt. Respondeo easdem formalitates dicere perfectitatem seorsim sumptam, & substantiam, quam dicimus componi ex ente & perfectitate, illas tamen diuerso modo representari per conceptum perfectitatis, ac per conceptum substantia, quia perfectitas significatur tanquam ratio formalis contrahendi rationem communem, & vniuersalem entis ad speciem inferiorem ente, videlicet substantiam; substantia verò significatur tanquam species, ad quam contrahitur ratio communis entis. Itaque perfectitas, & substantia dicunt eandem formalitatem, tam ex parte actus, quam ex parte obiecti, significatam, tamen diuerso modo, quia formalitas, quam representat conceptus substantia per modum entitatis completæ, & speciei, ad quam

T 2

quam contrahitur ens, representatur conceptu perfectat's tanquam quid incompletum, & tanquam ratio formalis contractiva entis, & constitutiva substantiæ.

11 **Sexta conclusio:** In omni sententia de præcisionibus differentiæ inferiores non includunt formaliter rationem generum intermediorum, neque differentiarum, per quas hæc genera constituuntur, v.g. rationale non includit formaliter animal, neque sensitivum, & sensitivum non includit formaliter corpus neque differentiam, per quâ istud constituitur. Ratio est facilis: quoties connotata, in ordine ad quæ formalitates cognoscuntur sunt diversa, & non se includunt, neque inadæquatè formalitates sunt diversæ. Sed sensitivum cognoscitur per sensationes tanquam per connotata, rationale per ratiocinationes: ergo cognoscuntur per diversa connotata: ergo sunt formalitates diversæ. Ratio hæc valde efficax est in præcipientibus tantum ex parte actus, quia in his totum præcisionis negotium in diversitate connotatorum situm est; & in opinione præcipientium obiectivè, licet non ad eò apparentem, eandem vim habere existimo, quia etsi præter distinctionem connotatorum, aliam præcisionem adstruat hæc opinio, talis præcisio necessariò oritur ex illa connotatorum distinctione, proximum enim, & adæquatum obiectivè præcisionis fundamentum est connotatorum diversitas, in ordine ad quæ eadem talis entitas cognoscitur.

12 **Obiicies:** Differentia leonis est principium rugitus: sed rugitus est sensatio: ergo differentia leonis est principium sensationis: ergo formaliter animal, quod formaliter dicit principium sensationis. Aliter de eadem differentia simile potest fieri argumentum: differentia leonis est principium rugitus: sed rugitus est actio vitalis: ergo differentia leonis est principium actionis vitalis: ergo est formaliter vivens, quod constituitur formaliter per principium actionis vitalis. Respondet Arriaga, hæc argumenta difficultate carere in opinione quæ tantum præcindit ex parte actus, quia secundum hanc sententiam, etiam si rugitus sit formaliter sensatio potest ab illo præcindi ratio sensationis; & similiter etiam si sit vitalis actus, potest ab illo ratio vitalitatis præcindi, quod fieri non potest in opinione obiectivè præcipientis, iuxta quam asserit differentiam superiorem formaliter includi in inferiori. Non assentior Arriagæ, quia quatumvis subtilis sit præcisio ex parte actus, non potest ex vi illius præcindi ab aliqua entitate prædicatum aliquod ex his, quæ formaliter includit, quia nulla entitas potest considerari sine aliquo prædicato pertinente ad suam essentiam, neque cognosci non cognitis omnibus prædicatis essentialibus, per quæ constituitur, si enim non omnia cognoscantur, non illa entitas, seu species constituta ex prædicato cognito, & prædicato non cognito cognoscitur, sed prædicatum aliquod illius inadæquatum, quod sicut non dicit totam essentiam rei, ita non dicit ipsam, quæ indivisibiliter dicit hæc prædicata essentialia, sic cognitio ex vi cuius ab homine præcinderetur animal, & tantum attingeretur rationale, non esset cognitio hominis, sed cognitio rationalis, neque cognitio speciei, sed differentie, eademque ratione cognitio, ex vi cuius ab homine præcinderetur rationale, & tantum cognosceretur animal, non esset cognitio hominis, sed animalis, neque cognitio speciei, sed generis: ergo eo ipso quod rugitus sit essentialiter sensatio, & sit essentialiter actio vitalis, implicat rugitum cognosci præcisi ab illo rationibus sensationis, & actus vitalis.

13 **Melius respondetur differentiam leonis non esse principium rugitus secundum omnes formalitates, quas in se includit, sed secundum ultimam specificam; in rugitu enim reperitur ratio actus vitalis, ratio sensationis, & ratio specialiter constitutiva rugitus, ex quibus ratio actus vitalis respondet in principio rationi viventis, cuius est connotatum, ratio sensationis respondet rationi animalis, cuius est connotatum, & specialis ratio, per quam actus vitalis sensationis constituitur talis sensatio, videlicet rugitus, convenit differentie leonis. Instabis: rugitus, secundum ultimam rationem rugitus dicit immanentiam: ergo dicit rationem vitalis. Secundo, si rugibile separaretur realiter ab equo, esset principium sensationis: ergo non tantum illi respondet ratio talis sensationis, sed etiam sensationis ratio. Respondeo ad primum argumentum, rugitum secundum ultimam differentiam constitutivam non importare immanentiam ut sic, quam supponit ex prædicato generico, sed talem immanentiam. Ad secundum**

respondeo: casu, quo rugibile separaretur ab animali nullam vitalem operationem ab illo processuram, quia hæc essentialiter procedit ab animali, quod tunc non contineret rugibile, posset tamen ab illo procedere vicina differentia differentiam specificam contractionem sensationis, si fingatur sensationem separari, eo modo, quo fingitur rationem specificam contractionem animalis, nempe rugibile posset ab animali separari.

PUNCTUM V.

An possit dari vnus entis conceptus communis omni enti.

Non dari vnum entis conceptum commune enti creato, & increato substantiæ, & accidenti docuit Caietanus opusc. de analogia nominum c. 4. & 6. Ferrar. cont. gent. c. 34. P. Vasq. i. p. disp. 14. n. 5. & 6. P. Fonl. Met. cap. 2. q. 2. c. 4. & gregatim Thomistæ, quorum plures dicit Soar. disp. 2. Metaph. sect. 2. n. 3.

Oppositam sententiam defendunt Scotus cum suis Capreol. Iauell. & Soar. apud P. Soar. idem Soar. ibid. Hurtad. disp. 2. Met. sect. 3. subf. 1. & in Logica disp. 9. sect. 4. Arriag. disp. 11. Logica sect. 1. subf. 1. & 2. & ferè omnes recentiores. Conclusio potest procedere iuxta præcipientes ex parte obiecti inter formalitates identificatas, & iuxta præcipientes tantum ex parte actus: & iuxta horum principia quibus assentior faciliorem probationem habet: existimo tamen in vtraque sententia prædictam conclusionem subsistere, ita illam iuxta omnium sententiam defendendam fuisse. Ens in tota sua latitudine potest cognosci confusè per conceptum quemdam non discernentem inter substantiam, & accidentis, inter ens creatum, & increatum: ergo potest cognosci conceptu quodam ex vi cuius dicitur vnum commune entibus particularibus. Consequentia iuxta præcipientes ex parte actus est inuitabilis, quia in horum sententia vnitatis conceptus communis tantum constituit in cognitione quadam, cuius obiectum sint singularia omnia, quæ ita attingat talia singularia, ut inter vnum, & aliud non discernat. Antecedens probatur: Quando concipio ens ut sic, non concipio clarè substantiam, & accidentis, ut experientia ipsa compertum est, sæpe enim apprehendimus aliquid esse, seu exultare, quin cognoscamus, an sit substantia, vel accidentis: ergo tunc cognoscimus rationem entis, quin distinet rationem substantiæ aut accidentis cognoscamus. Confirmatur: distinctus conceptus formalis est conceptus respondens his vocibus substantia, & accidentis à conceptu respondente huic voci ens: ergo ex eo distinguuntur, quod conceptus respondens huic voci ens confusè significat substantiam, & accidentis absque vlla ipsorum discretionem, & conceptus respondens his vocibus substantia, & accidentis substantiæ, & accidentis, ut inter se distincta representat. Confirmatur: Si propter aliquam rationem conceptus entis distinctè significaret substantiam, & accidentis, maxime quia ratio formalis entis transcendit substantiam, & accidentis sed etiam transcendit reliqua omnia genera, species etiam infimas, & vltima individua: ergo significaret distinctè omnia genera, omnes species, & omnia individua, ita ut conceptus entis discerneret inter hunc hominem, & illum hominem, hanc albedinem, & illam albedinem, & sic inter omnia individua quarumcumque specierum: Consequens est falsum: ergo antecedens tradendum non est, sed dicendum conceptum entis confusè attingere omnes peculiare rationes entis absque vlla discretionem inter hoc & illud ens, quod in opinione præcipientium tantum formaliter est tribuere vnitatem communem in qua forma vniuersalis consistit conceptui obiectivo entis.

Arguo secundò: diuersa sunt connotata propria substantiæ, & propria connotata accidentis, præter quæ datur connotata communia substantiæ, & accidenti, videlicet oppositio cum chimera extractio à puro nihilo, & independentia in suo esse ab intellectu fingente, capacitas presentandi in loco, & durandi, quæ omnia sunt communia substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis, & cuiusque enti particulari ex cogitabili ergo possunt omnia entia cognosci per connotata omnibus communia non cognitis propriis connotatis aliis cuius specialis entis, ergo possunt omnia entia cognosci per vnum.

vnus. Probo consequentiam: idem animal rationale, seu homo, & animal rugibile, seu equus cognoscuntur conceptu quodam confuso, & vniuersali, quia cognoscuntur per connotata communia, & similia in omnibus, sed similiter ens increatum, seu Deus, & ens creatum, seu creatura, ens per se, seu substantia, ens in alio, seu accidens habent connotata communia, per quæ cognoscuntur: ergo poterunt per illa cognosci cognitione quadam, ex vi cuius omnia entia habeant vnitatem vnus vniuersalis, cum hæc vnitatem tantum consistat in cognitione ex vi cuius singularia omnia representantur per connotata similia, & omnibus communia.

4 Rationes istæ, quæ contra præcidentes tantum formaliter sunt, contra obiectiue præcidentes eodem modo procedunt, quod sic ostendo. Totum fundamentum præcisionis obiectiue in rebus realiter distinctis est in connotatis similibus: sed substantia, & accidens habent similia connota, per quæ cognoscuntur, vt probatum est: ergo in substantia, & accidenti reperitur fundamentum, vt ab illis abstrahatur ratio communis. Confirmatur: ideo abstrahitur ratio communis animalis ab homine, & equo, quia in homine, & equo experimur sensationes similes. Sed in substantia, & accidenti, & in quibuscumque aliis entitatibus, etiam in ente increato experimur oppositionem cum chimæra, capacitate præstandi in loco, & durandi, independentiam in suo esse ab hoc quod est esse obiectiue in intellectu: ergo habemus fundamentum, vt ab omnibus singularibus entibus rationem quandam abstrahamus communem per intellectum vnus in omnibus.

5 Vltimo: Conceptus entis representat obiectum indifferens, vt prædicetur de substantia, & accidenti, dicimus enim substantia est ens, accidens est ens, & ex se prædicatum illud antequam contrahatur, nulli dicit oppositionem cum aliqua speciali differentia: ergo conceptus ille abstrahit à propriis differentiis substantiæ, & accidentis, si enim differentias diceret, non representaret aliquid commune, & indifferens vt prædicaretur de substantia, & accidenti, neq; aliquid quod oppositionem non haberet cum alia differentia, cum differentia substantiæ cum differentia accidentis, & differentia accidentis cum substantiæ differentia opponantur. Denique quancumque ratione mediteris ad concipiendam rationem communem animalis homini, & equo, & rationem communem hominis Petro, & Ioanni, eandem inuenies ad concipiendam rationem communem entis enti creato, & increato substantiali, & accidentali, siue tantum formales, siue etiam obiectiuas præcisiones admittas, quia omnia entia simpliciter, & absolute sunt capacia existendi, præstandi in loco, & durandi in tempore, & oppositionem habent cum chimæra, quæ non minus præbent fundamentum ad concipiendam rationem entis illis communem, quam sensationes similes in homine, & equo ad concipiendam rationem animalis communem homini, & equo.

6 Disparitatem reddunt authores oppositæ sententiæ ex transcendentia, quam habet ens respectu suarum differentiarum, quæ non solum prædictis argumentis satisfacere præsumunt, sed etiam in nostram sententiam insurgere tentant. Obiiciunt sic: Differentiæ non possunt separari à ratione entis, vt probauimus Puncto præcedenti: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius differentiæ permaneant sine ratione entis in illis imbibita: ergo nulla præcisio fieri potest, ex vi cuius ens non maneat in differentiis: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius ens sit separatum à differentiis. Probo hanc vltimam consequentiam, quæ tantum poterit negari. Id quod est in alio imbibitum, & cum alio coniunctum non potest esse sine illo, & ab illo separatum. Sed ens est imbibitum in differentiis, & cum illis coniunctum: ergo non potest ab illis separari. Confirmatur eo ipso, quod ratio entis separaretur à differentiis, differentiæ separaretur ab ente, sed differentiæ non possunt separari ab ente: ergo ens non potest separari à differentiis. Probatur maior: Separatio dicit distantiam extremorum, sed eo ipso quod hoc extremum distet ab illo, illud distat ab isto: ergo eo ipso quod ens separaretur à differentiis, differentiæ separantur ab ente.

7 Hoc est potissimum argumentum oppositæ sententiæ, in quo difficultatem nullam inueniet, qui rem attentè inspicat, habet enim solutionem luce clariorem. Concedo differentias non posse separari ab ente, & in ipsis semper manere rationem entis, nego tamen ens non posse separari à differentiis, & esse extra illas. Ratio quæ mouet ad id ne-

Franc. de Guicardo, Philosoph. Tom. II.

gandum, & oppositum asserendum perspicua est: differentias non posse separari ab ente, & ens semper in illis manere imbibitum tantum dicit formaliter non posse dari cognitionem terminatam ad differentias, quæ non terminetur ad ens. Ens separari à differentiis, & esse extra illas tantum dicit dari posse aliquam cognitionem entis, quæ non sit differentiarum cognitio. Sed ex eo quod omnis cognitio differentiarum sit cognitio entis, non sequitur omnem cognitionem entis, esse cognitionem differentiarum, neq; repugnat dari aliquam cognitionem entis, quæ non sit differentiarum cognitio: ergo ex eo quod differentiæ non possint separari ab ente, & hoc semper sit extra illas, ex vi cognitionis terminatæ ad differentias, non sequitur ens non posse separari à differentiis, & esse extra illas, ex vi cognitionis terminatæ ad rationem entis, & non terminatæ ad rationem differentiarum. Consequentio est legitima, & maior ex apprehensione terminorum, quibus agimus in hac materia per se nota, non enim hæc separatio est physica, sed intentionalis, quæ fit præcisè ex eo, quod entitas cognoscatur ex vi huius cognitionis, ex vi cuius alia, à qua dicitur separatio fieri, non cognoscatur. Minorem probo: cognitio terminata ad differentias, & cognitio terminata ad ens realiter distinguuntur: ergo ex eo, quod cognitio differentiarum representet differentias, & representet ens in illis imbibitum, non inferitur cognitionem entis idem representare, sed poterit rationem entis representare, & non rationem differentiarum, si aliis reperiatur fundamentum ad præcidendam rationem entis à differentiis, quod non reperiatur ad præcidendas differentias ab ente.

Confirmatur: Cognitio vnionis, aliusve entitatis per se relatiue necessariè est cognitio termini, cum quo habet essentialem connexionem, & non potest vnio seu entitas relatiue cognosci non cognito termino, ex vi eiusdem cognitionis. Cognitio huius termini non connexi cum illo modo, & potentis existere sine illo potest separari à cognitione illius modi, & potest terminus cognosci secundum se non cognito modo, à quo non dependet: ergo ex eo, quod hæc entitas non possit cognosci sine illa, non inferitur illam non posse cognosci sine ista: ergo ex eo, quod differentiæ non possint separari ab ente, hoc est, non possint cognosci sine ente non inferitur ens non posse separari à differentiis, hoc est, non posse cognosci ex vi aliud cognitionis sine differentiis: rectè ergo componuntur differentias esse inseparabiles ab ente, & non posse cognosci sine illo, & ens posse cognosci sine differentiis, & posse ab illis separari, quæ formaliter non distinguuntur. Dixi ens posse cognosci sine differentiis, quod intelligendum est in eo sensu, quo præcisiones admittuntur, in quo dicitur animal posse intelligi sine rationali, quod iuxta præcidentes obiectiue sonat posse dari cognitionem terminatam ad rationem entis, quin ex parte obiecti se teneant differentie, sicuti dicitur de cognitione terminata ad rationem communem animalis, & iuxta præcidentes tantum formaliter non importat cognitionem entis ex parte obiecti non terminari propriis differentiis substantiæ, & accidentis, sed tantum has differentias confusè sine ipsarum discretione cognosci.

Ex hac doctrina ad argumentum in forma facile respondeo concedendo differentias non posse præcindi ab ente, & nullam præcisionem fieri posse ex vi cuius differentiæ maneant sine ratione entis in illis imbibita, & distinguendo consequens illud: ergo nulla præcisio fieri potest ex vi cuius ens non maneat in differentiis: nulla præcisio fieri potest per cognitionem terminatam ad differentias, ex vi cuius cognitionis ens non permaneat in differentiis, concedo consequentiam: nulla præcisio fieri potest per cognitionem terminatam ad ens, & non ad differentias, ex vi cuius ens non permaneat in differentiis, nego consequentiam. Similiter distinguo illud antecedens. Id quod est in alio imbibitum & cum alio coniunctum non potest ab illo separari, realiter, & physice, concedo antecedens: intentionaliter subdistinguo: non potest ab illo separari ex vi cognitionis, quæ cognoscitur imbibitum in alio, & per modum vnus cum illo, concedo antecedens: ex vi aliud cognitionis, nego antecedens. Eadè ratione distinguenda est alia propositio: ens est imbibitum in differentiis, & cum illis coniunctum, ex vi cognitionis, quæ differentiæ cognoscuntur, concedo: ex vi cognitionis, quæ tantum cognoscitur ratio entis, nego: ergo ens non potest separari à differentiis, distinguo consequens:

T 3 non

non potest separari ex vi cognitionis, qua cognoscuntur differentia, & est cum illis coniunctum, concedo consequentiam, ex vi alius cognitionis, nego consequentiam. Antecedens aliud, quod in confirmationem adducitur, videlicet eo ipso, quod ens separatur à differentis, differentia separatur ab ente, absolute negandum est, quia ex eo, quod ens separatur à differentis tantum infertur dari cognitionem terminatam ad ens, & non ad differentias, ex vi cuius differentia, neque separantur, neque coniunguntur cum ente sed tantum non coniunguntur, quia separari, aut coniungi differentias dicit differentias cognosci. Ad ultimam probationem respondeo separationem physicam dicere distantiam physicam extremorum, & necessarium esse mutuum, separationem verò intentionalem tantum dicere hoc extremum cognosci illo non cognito, à quo separatio fieri dicitur.

IO Obiic. secundò: Non potest dari ratio communis sapientia creatæ, & increatæ: ergo neque ratio communis entis, enti creato, & increato. Probatur antecedens: sapientia ut sic distinguitur à iustitia ut sic, distinctione tantum reali, aut distinctione tantum rationis, aut utraq; distinctione, nullum enim est aliud distinctionis genus, cum omnis distinctio sit realis, vel rationis. Si distinctione tantum rationis in illis conceptibus sapientia ut sic, & iustitia ut sic, non includuntur sapientia & iustitia creatæ, quæ realiter distinguuntur, si distinctione tantum reali, vel distinctione reali, & rationis non possunt includi sapientia increatæ, & iustitia creatæ, quæ non distinguuntur realiter: ergo non possunt dari conceptus communes iustitiæ creatæ, & increatæ, & sapientiæ creatæ, & increatæ. Ratione hanc rectè redarguit Hurt. in cognitionibus creatis hominis, & leonis, quæ vniocè suis inferioribus conueniunt, de quibus idem argumentum hac ratione fieri potest. Cognitionis hominis, ut sic, ut distinguitur à cognitione leonis, ut sic, tantum distinctione rationis, vel tantum distinctione reali, vel distinctione reali, & rationis. Si distinguitur tantum per rationem: ergo in illo conceptu non includebantur cognitiones, quas habet homo de ipso homine, & de Angelo, quæ realiter distinguuntur, si distinguuntur tantum distinctione reali, vel distinctione reali, & distinctione rationis: ergo in illis conceptibus non includebantur cognitiones Angelicæ de homine, & leone, quæ realiter non distinguuntur, Angelus enim eadè cognitione cognoscit hominē, & leonē: ergo non potest dari vnus conceptus, in quo conueniant cognitiones humanæ, & Angelicæ de leone, & alius in quo conueniant cognitiones humanæ, & Angelicæ de equo. Respondendū est cū Hurt. has rationes ut sic abstractas distingui distinctione rationis, insuper inadæquatè distingui distinctione reali, & inadæquatè distinctione tantum rationis, hoc est ratione quorundam singularium distingui distinctione reali, & rationis, & ratione aliorum tantum distinctione rationis, conceptus enim ex vi cuius fit vniuersale terminatur ad plura indiuidua, quorum aliqua realiter distingui, & alia per rationē tantum distingui ex nullo capite repugnat potius in pluribus speciebus ita contingere necesse est.

II Obiic. tertio: Ens immediatè diuiditur in ens creatum, & in ens increatum: ergo antequam ens contrahatur ad sapientiam, intelligitur contractum ad ens creatum, vel increatum: ergo quando intelligitur sapientia, necessariò intelligitur sapientia creatæ, vel sapientia increatæ: ergo non potest intelligi sapientia indifferens, ut contrahatur per sapientiam creatā, vel increatam: ergo non potest dari conceptus communis sapientiæ abstractus à sapientia creatæ, & increatæ: cum ratio entis necessariò descendat ad sapientiam iam contractam per differentiam entis creati, vel increati. Resp. non necessario diuidi immediatè ens in ens creatum, & increatum, sed posse immediatè diuidi in intellectiū, & non intellectiū, & postea intellectiū in habituale, & actuale: & rursus intellectiū actuale in apprehensionem, seu non sapientiam, & sapientiam: rursus sapientia in sapientiam creatam, & increatam.

PUNCTUM VI.

An ens sit analogum propter dependentiam.

I Sunt non pauci, qui admittunt rationem entis in statu abstractionis esse vnā, & negant rationem vniocā esse Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti propter dependentiam, quam habet creatura à Deo, & substantia ab accidenti, quorum sententiam sic explicat Hurt. disp. 3. Me-

taph sect. 4. subf. 4. Ratio entis prius contrahitur ad Deum, quam ad creaturas, ad substantiam, quam ad accidentem: ergo prius participatur à Deo quam à creatura, à substantia, quam ab accidenti: ergo hæc inferiora inæqualiter respiciuntur rationem superiorem: ergo ratio superior inæqualiter respicit illa: ergo est inæqualis, & non omnino eadem: ergo non vniocā, sed analogā. Rationem entis prius trahi ad Deum, quam ad creaturas, ad substantiam, quam ad accidentem probatur ex dependentia, quam ad accidentem, & accedens à substantia.

Hunc philosophandi modū rectè impugnat Hurt. quia etsi hæc entia secundum proprias species, ratione differentiarū, per quas contrahitur ens, habeant hanc dependentiam entis creati ab increato, & independentiam entis increati à creato, & similē dependentiam accidentis à substantia, & substantiæ ab accidenti, ratio illa communis abstracta negat dependentiam, neque independentiam, sed abstrahit ab utraque, & indifferens est ut contrahatur ad speciem entis dependentis, vel ad speciem entis independentis: ergo in illo statu præcisionis non habent ratione dependentiam, vel independentiam rationem aliquam diuersitatis, neque aliquid, quod opponatur cum omnimoda identitate requirita ad rationem vniocationis.

Dices rationem illam in statu abstractionis non esse omnino eandem, quia petit prius contrahi per rationem independentiam, & posteriore per rationem dependentiam, ex quo infertur inæqualiter respicere inferiora, quod sufficit ad analogiam. Contra: hoc quod est inæqualiter respicere terminos, seu inferiora non arguit diuersitatem aliquā in ratione illa superiori, quæ inferiora respiciuntur, quia eademmet indiuisibilis formalitas potest respicere duos terminos, hunc primariū, & illū secundariū, seu duo inferiora, hoc itaque magis præcipuū inferius, quod prius tangitur hoc respectu, & illud tanquā minus præcipuū, quod posteriore eodē indiuisibili respectu attingitur, sicut eadē cognitio indiuisibilis indiuisibiliter respicit hoc obiectum tanquam primarium, & directum, & illud tanquam secundarium, & indirectū, seu obliquū: ergo etiam si concedatur rationem entis communē petere prius contrahi ad ens increatū, & postea ad ens creatum, ex hoc non inferetur, non esse omnino eadem in statu abstractionis: ergo propter hunc modū contrahendi ratio illa entis analogā non erit. Confirmatur: ratio illa entis, quæ petit contrahi prius ad ens increatum, & posteriore ad ens creatum, secundum illam rationē ex vi cuius petit hoc ordine contrahi, non inuoluit formaliter rationem entis increati, aliās necesse peteret neque posteriore, adhuc posteriore, contrahi ad ens creatum neque rationem entis creati, aliās nullo modo posset contrahi ad ens increatum: ergo in illo statu non habet aliquid ratione cuius non sit omnino eadem. Dices non esse omnino eandem propter distinctam capacitatem, seu existentiam, quam habet, ut contrahatur diuerso modo, prius ad ens independentem, & posteriore ad ens dependentem. Contra: capacitas, seu existentia ut ratio illa diuerso modo contrahatur dicit capacitatem ad contractiones diuersas, quarum nulla est actus adæquatus capacitatis, seu existentia, quam habet ens ut contrahatur, quia ad utraque est indifferens: ergo non dicit aliquam distinctionem, neque aliquid, quod opponatur cum omnimoda identitate in capacitatem, seu in existentiam, quam habet illa entitas ut contrahatur, sed tantum dicit diuersitatem contractionum: ergo non dicit aliquam diuersitatem, seu aliquid quod opponatur cum omnimoda identitate formaliter inclusum in illa capacitatem, seu existentiam, quam habet ratio illa entis ut contrahatur: ergo non dicit aliquid, quod impediat vniocationem.

Confirmatur: capacitas, seu existentia, quam habet ratio illa abstracta ut contrahatur, formaliter non distinguitur à ratione entis abstracta secundum se sumpta. Sed ratio illa entis est vna: ergo capacitas, seu existentia ut contrahatur necessariò erit vna, neque aliquid habebit, per quod possit capacitas, seu existentia contractionis distingui in illo statu præcisionis, sicuti non habet, per quod distinguatur ens secundū se sumptū in illo contractionis statu. Capacitatem hanc non distingui à ratione entis facile probatur, quia ex eo præcisè quod concipiatur ratio entis abstracta à Deo, & à creatura, à substantia, & accidenti indifferens est, ut contrahatur ad Deū, vel ad creaturam, ad substantiam, vel ad accidentem, neque aliud habet caput, ex quo illi adueniat capacitas, aut existentia contractionis.

Rursus

5 Rursus prædicatum vitalitatis vniocè prædicatur de potentia, & actu vitali, nihilominus actus dependet à potentia, & non à quacumque dependentia, sed dependentia essentiali, ita vt de potentia absoluta non possit non dependere: ergo dependentia non tollit vniocationem, neque propter hanc ratio vna communis multis constituitur analogia. Item intellectio, & volitio vniocè conueniunt in ratione actus vitalis, & in ratione qualitatis, & nihilominus volitio dependet ab intellectu: ergo dependentia non impedit vniocationem. Insuper substantia vniocè dicitur de viuente, & de lapide, & nihilominus prius contrahitur ad rationem communem viuents substantiæ, quàm ad speciem infimam lapidis: ergo prius posteriusve contrahi non impedit vniocationem.

6 Dices, rationem entis abstractam non esse dependentem, aut independentem in illo statu, sed petere, vt quæ fuerit contracta ad esse Dei sit independentis, & quæ fuerit contracta ad esse creaturæ sit dependens. Id admittam, sed ex eo nihil contra vniocationem entis infertur, nam eadem ratio abstracta, quæ petit esse independentem casu, quo contrahatur ad esse Dei, petit esse dependentem casu, quo contrahatur ad esse creaturæ, & eadem omnino est in ordine ad intellectum ratio illa abstracta, de qua verum est dicere, si ratio ista contrahatur ad esse Dei erit independentis, & si contrahatur ad esse creaturæ erit dependens.

7 Respondet iterum, rationem entis contractam ad esse Dei perfectiorem esse ratione entis contractam ad esse creaturæ, & contractam ad esse substantiæ perfectiorem esse eadem contractam ad esse accidentis, & ita vniocam esse non posse Deo, & creaturæ, substantiæ, & accidenti. Contra: ens vt contractum ad hanc speciem perfectius esse eodem, vt contracto ad aliam speciem, non prouenit ex ente sumpto secundum conceptum illum, quem dicit in statu præcisionis, sed ex differentia, per quam contrahitur, quod tantum importat inæqualitatem differentiarum, & ratione harum inæqualitatem specierum: ergo non impedit vniocationem, ad quam tantum requiritur, rationem vt abstractam esse omnino eandem, non vt contractam, quia ratio vt contracta dicit differentiam, per quam contrahitur, quæ inæqualis est alijs differentiæ, per quam eadem ratio posset contrahi. Paret doctrina tradita in quacumque ratione vniocæ, in animaliv. g. quod vniocè dicitur de homine, & equo, quia in statu abstractionis est omnino idem, etiam si animal vt contractum ad hominem per rationale perfectius sit animali contracto ad equum per hinnibile, quia homo perfectior est equo, & rationale perfectius est hinnibili.

8 Admissi ens prius contrahi per nostrum intellectum ad Deum, quàm ad creaturam, & ad substantiam, quàm ad accidentis, quia ex hoc nihil contra ens vniocationem deduci poterat, verumtamen id omnino falsum esse existimo, quia ens aequè immediatè contrahitur, tanquam per differentias oppositas per differentiam constitutiuam entis increati, & per differentiam constitutiuam entis creati, quin ex his contractionibus sit vna prior aliâ, neque vna supponatur ad aliam, quod eadem ratione contingit in contractionibus, per quas ens trahitur ad speciem substantiæ, & ad speciem accidentis creati media differentia entis increati, quam excludit, neque contractio, seu actus intellectus, quo ego rationem illam entis abstractam contraho ad ens creatum dependet à contractione, seu actu intellectus, quo eandem rationem contraho ad ens increatum, sunt enim duo actus intellectus, quorum vnus non influit in alium, neque alium supponit, potius ratione obiectorum opponuntur, quia feruntur in opposita obiecta: ergo vna contractio non est prior aliâ. Confirmatur: postquam ego concipio rationem entis abstractam ab ente creato & increato, possum immediatè nullâ aliâ cognitione intercedente apprehendere ens creatum: ergo ratio entis non prius contrahitur ad ens increatum, quàm ad ens creatum.

9 Vltimò: hæc prioritas contractionum nullo nititur fundamento: ergo admittenda non est. Antecedens probo. Fundamentum huius prioritatis contractionis, vt fatentur auctores, qui illam propugnant, est prioritas, quam habet ens increatum respectu entis creati, & dependentia, quam habet creatura à creatore, & creaturam non posse esse, aut cognosci sine creatore à quo intelligitur essentialiter dependens: sed hoc non arguit prioritatem cognitionis tendentis in Deum respectu cognitionis tendentis in creaturam: ergo non arguit prius contrahi per nostrum intelle-

ctum rationem entis ad Deum, quàm ad creaturam. Minorem probo: creaturam non posse cognosci sine creatore tantum importat cognitionem terminatam ad creaturam tanquam ad obiectum indirectum, & connotatum, quod non dicit priorem esse cognitionem creatoris cognitione creaturæ, sed simplicem quandam cognitionem ad vtrumque obiectum terminatam. Secundò: Deum esse priorem creaturæ, & hanc esse posteriorem, tantum potest importare Deum cognoscendum esse, vt principium à quo procedit creatura, & priorem illâ prioritate naturæ, seu causalitatis, & creaturam posteriorem in eodem genere, quod optimè fieri potest per cognitionem simplicem terminatam primariò ad creaturam, & secundariò ad Deum, ex vi cuius creatura cognoscatur dependens à Deo, & posterior Deo. Aliud enim est me cognoscere hoc esse prius illo, aliud habere cognitionem huius priorem cognitione illius, per eandem enim simplicem cognitionem sine aliquo ordine inter cognitionem, & cognitionem, cognosco ordinem prioris, & posterioris inter obiecta, & hoc esse prius, illudque posterius: ex hac doctrina facillè responderetur ad argumentum oppositæ sententiæ, quod ita procedit; Deus prior est creatura: ergo prius cognosco Deum, quàm creaturam: ergo prius contraho rationem entis ad Deum, quàm ad creaturam. Concedo antecedens, & distingo consequens. Prius cognosco Deum, quàm creaturam prioritate se tenente ex parte obiecti, hoc est, cognosco Deum esse priorem creaturæ, concedo consequentiam: prioritate tenente se ex parte cognitionis, nego consequentiam. Deinde nego secundam consequentiam, quia contractio non consistit in obiecto, sed in cognitione.

PUNCTUM VII.

An ens sit analogum propter transcendentiam.

SEntiunt non pauci recentiores cum Hurtado disput. 9. I Logica sect. 4. rationem entis communem Deo, & creaturis, substantiæ & accidenti, omnino eandem in statu abstractionis non esse vniocam, sed analogam propter transcendentiam, quam respectu omnium differentiarum habet ratio entis, quorum sententia apud ipsos sic explicatur. Supponunt rationem entis formaliter includi in quacumque differentia, ita vt de illa non tantum identicè, sed formaliter prædicetur ratio entis, quod non contingit in animali respectu rationalis, quia rationale formaliter non est animal, neque in conceptu rationalis formaliter ratio animalis reperitur. Concedunt deinde rationem entis præcisam à differentis esse omnino eandem, supponunt etiam differentias constitutiuas substantiæ, & accidentis formaliter esse diuersas, quod per se notum est. Ex his principiis inferunt Hurtados, & cum illo recentes alij, rationem entis non esse omnino diuersam, quia in statu abstractionis est eadem, neque omnino eandem, quia in statu contractionis est diuersa. Posteriorem hanc partem in qua est tota huius rationis difficultas, sic explicant. In substantia quæ est ens per se, differentia illa per se, ex vi cuius substantia differt ab accidenti formalissimè est ens, quod supponendum est, quia modò non disputamus an ens transcendat differentias, sed an transcendentia, quam dari supponimus, vel ex suppositione, quod detur vniocationem impediatur: ergo substantia differt ab accidenti per rationem quandam, quæ formalissimè est ens: ergo differt per rationem entis, vt imbibitam in illa differentia: ergo ratio entis vt imbibita in illa differentia substantiæ constitutiuæ est diuersa ab accidenti, seu à differentia accidentis, quæ similiter formalissimè est ens: ergo ratio entis, vt imbibita in differentia substantiæ est diuersa à ratione entis vt imbibita in accidenti: ergo ratio entis, vt sic, imbibita in differentiis est diuersa, & vt præcisè ab illis est eadem: ergo partim est eadem, partim diuersa: ergo neque omnino eadem, neque omnino diuersa.

2 Alter inquit Hurtad. contingit in animali respectu hominis, & equi, quia homo, & equus differunt per rationale, & hinnibile, quæ differentiæ non sunt formaliter animal, ac proinde homo & equus, quibus est eadem ratio animalis abstracta non differunt per aliquid, quod formaliter sit animal, seu in se includat rationem animalis ac proinde nullo modo differunt, neque sunt diuersi secundum rationem animalis in qua conuenerant. Ex quo fit rationem

animalis in homine, & equo tantum esse rationem conueniendi, & ita esse vniuocam; in substantia vero, & accidenti, ratio entis, quæ est ratio conueniendi considerata, ut præcisè, postea in differentiis imbibita, est ratio disconueniendi, ac proinde neque omnino eadem neque omnino diuersa.

3 Dices, animal ut contractum per rationale, seu in specie hominis constitutum perfectius, esse animali ut contractum per hinnibile, ac proinde ut contractum esse diuersum in homine & equo, ex quo fit animal ut contractum ad hominem & equum esse diuersum, & ut abstractum esse idem, & consequenter neque esse omnino idem, neque omnino diuersum. Præuidit hanc obiectionem Hurt. §. 74. cui respondet animal quod in specie hominis est perfectius, quam in genere, seu in alia specie, quia in homine perficitur per rationale, habere hanc perfectionem non per se ipsum, neque per aliquid quod formaliter sit animal, quia prædicatum animalis, adhuc in homine, distinguitur à rationali, quod non est formaliter animal, sed perfectio quasi extrinseca, & superaddita animali, eà ratione qua forma substantialis est perfectio materiæ, quam, dum componit hominem, dicimus perfici per formam hominis, & esse magis perfectam, quam erat sine illa, non quia eadem omnino materia non sit modò cum forma hominis, quæ fuerat sine illa, & quæ esset cum forma equi, si cum forma equi equum componeret, sed quia illi est adiuncta perfectio quædam ab ipsa distincta, ex vi cuius dicitur magis perfecta, etsi intrinsecè non maiorem perfectionem habeat, quam antea habebat. Sic animal omnino idem abstractum à rationali, & per rationale contractum perfectius dicitur, dum est contractum per perfectionem superadditam animali quæ formaliter non est animal. Non ita in ente contingit ait Hurt. quia quando ens, quod fuerat abstractum, postea in contractione ad speciem substantiæ, perficitur, non intelligitur species illa constituta ex duplici conceptu, sed tantum dicit eundem expressiorem, & differentia illa quæ est ratio maioris perfectionis formalissimè est ens, & ita non contingit enti in substantia perfectio aliqua ab ipso distincta, sicuti contingit animali in homine perfectio rationalis distincta ab animali.

4 Addunt recentes alij, rationem communem multis non posse dici vniuocam, nisi simul cum differentis in ordine ad nostrum intellectum propriè componat species, quibus est communis, quam compositionem impedit transcendentia, quia de ratione cuiusvis extremi componentis est distingui inadæquatè à composito, seu non dicere totum, quod dicit compositum, quod non habet differentia substantiæ, quia substantia tantum dicit ens per se, quod totum dicit differentia per se, cum in suo conceptu includat rationem entis.

5 Contra sententiam hanc sic expositam multis insurgit Arriaga disp. 11. sect. 3. subsect. 1. Arguit primò videri in ea inuolui repugnantiam, & mutari terminos. Si enim supponitur ens non includere differentias, quamuis differentie includant ens, male postea infertur ens fieri quidditatiuè diuersum per differentias, nulla enim res fit quidditatiuè alia, nisi per id, quod est quidditatum illius rei, ut naturæ lumine notum est. Sed differentie non sunt de quidditate entis: ergo ens non potest fieri quidditatiuè diuersum per differentias. Non vrget obiectio, quia etiam si ens præcisum formaliter non includat differentias, differentie includunt formaliter ens, ex quo fit conceptum terminatum ad differentias indiuisibiliter terminari ad rationem entis inuolutam in ipsis differentiis, in quibus non est idem formaliter, sed diuersum, licet sit idem in statu abstractionis, quia in differentiis apprehenditur per modum vnius simplicis formaliter cum vltima ratione differentie, in qua, ex vi illius conceptus non reperiuntur duæ formalitates, vna quæ sit ens, & alia quæ sit differentia, sed vna simplicissima, videlicet rationem differentie, quæ quantumuis præcisè inspicitur, formalissimè est ens. In rationali autem aliter contingere negabit nemo, quia quando apprehendo rationale non apprehendo rationem animalis in illo conceptu imbibitam, sicuti apprehendo rationem entis imbibitam in differentia per quam contrahitur.

6 Arguebat Hurtadus: differentie formaliter sunt ens: differentie formaliter differunt: ergo differunt in ratione entis: contra formam argumenti sic instat Arriaga. In non transcendentibus homo formaliter est animal, sed homo

differ à bruto: ergo animal differ à bruto. Respondet Arriaga nomine Hurtadi hominem non solum dicere animal, sed aliquid aliud, contra quam solutionem instat sic. Accidens non solum dicit ens, sed etiam aliquid aliud, à quo ens distinguitur; alias non plura, nec diuersa concipere, quando concipio accidens, quam quando concipio ens, quod falsum est, & contra Hurt. assertum ens non dicere substantiam. Nihil momenti contra Hurtadum adducit Arriaga, quia in sententia Hurt. accidens, & substantia non dicunt duos conceptus, ens & differentias, sed eundem expressius quem dicebat ens, sed quidquid de hoc sit. Respondeo accidens, etsi dicat duos conceptus, utrumque formaliter esse ens, & ita non potest differre ab ente ut sic, neque à substantia per aliquid quod formalissimè est ens, & consequenter per rationem entis quatenus imbibitam in conceptu per quem differunt non transcendentibus vero, v. g. in homine includuntur duo conceptus, quorum alter per quem homo differat ab animalibus, & ab equo, videlicet rationale, quod non est formaliter animal, & ita nulla ratione differat per rationem animalis, neque secundum se sumptam, in quo conuenit cum accidenti, quod non differat ab ente, neque à substantia per rationem animalis ut imbibitam in rationali, quia ratio animalis non imbibitur in rationali, per quod differat ab accidenti, in quo ratio entis transcendit id, per quod differat ab ente ut sic, & à substantia, & ita eo ipso, quod differat per propriam differentiam, differat per id, quod formaliter dicit differentia, & consequenter per rationem entis, quam formaliter differentia in se includit.

Obiicit etiam Arriaga terminos esse repugnantes dum dicitur ens ut ens, & prout est ens in accidenti, quia ens ut ens dicit præcisè conceptum entis abstractum à differentis, cum repugnantia ad ipsam contractionem. Fallitur Arriaga, quia accidens formalissimè est ens, & in ipso formalissima ratio entis includitur: ergo loqui possumus de hac ratione formali entis, quæ significatur per teduplicationem illius termini ens ut ens. Idem contingit in quacunque ratione vniuersali respectu suorum inferiorum, in quibus includitur, possumus enim loqui de animali formaliter sumpto, seu de animali ut animali quatenus inclusio in homine, qui formaliter est animal. Implicarentur termini si diceremus ens ut præcisum quatenus inclusum in accidenti, quia præcisio dicit negationem inclusionis in aliquo inferiori.

Rursus arguit Arriaga, hac transcendentia admissa, adhuc conceptus entis abstractus est omnino idem, & præcisè à differentis: ergo ratio significata per illum est omnino eadem: ergo ens vniuocè dicitur de Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti. Hæc impugnatio neque à longè attingit Hurt. sententiam, quia Hurt. fatetur rationem entis, ut præcisè conceptam, eandem esse, & nullam in illo statu diuersitatem habere, sed assertit hoc non sufficere ad vniuocationem, sed requiri illam rationem in statu abstractionis eandem, eodem modo eandem permanere in contractione, sicuti animal, quod est idem formaliter contractum per rationale, & per hinnibile, sicuti materia prima est eadem informata forma hominis, & forma equi, quod non habet ens, quod in ipsis differentiis contractum est idem formalissimè cum ipsis differentiis inter se differentibus, & ita ut contractum eadem ratione differat ens imbibitum in differentia substantiæ, quatenus per modum vnius cum illa intelligitur, ab ente contracto, seu imbibito in differentia accidentis, quæ differat differentia substantiæ à differentia accidentis. Ex quo infertur rationem entis, neque esse omnino eandem, neque omnino diuersam, quia ratio entis ut abstracta est eadem, & ut contracta est diuersa, ex quo fit partim esse eandem, partim diuersam, & ita neque omnino eandem, neque omnino diuersam.

Arguit vltimò: si ratio entis est analoga propter transcendentiam, sequitur non tantum esse analogam respectu Dei, & creaturæ, & respectu substantiæ, & accidentis, sed etiam respectu hominis, & equi, omniumque specierum, & indiuiduorum, quæ sub eodem genere, & sub eadem specie continentur. Præuidit Arriaga, posse ab aliquo sequelam admitti, quæ poterit à quocumque admitti, & hac admissa, ratio Arriagæ frigesceat.

Censéo transcendentiam vniuocatione non impedire, quod contra Hurtad. hac ratione probò. Transcendentia

Punct. VIII. *An ens vniuoce dicatur de Deo & creaturis, subst. &c.* 225

cententia non impedit rationem entis, vt præcisam, esse eandem absque vlla diuersitate, quam dicat entis ratio in illo præcisionis statu: sed diuersitas in statu contractionis non tollit vniuoationem, ad quam tantum requiritur in statu præcisionis rationem significatam esse omnino eandem: ergo transcendentia non dicit aliquam diuersitatem, quæ sit contra entis vniuoationem, neque tollit omnem identitatem requisitam ad rationem vniuoationis. Consequentia est optima: maiorem tradit Hurt. minorem probat. Ad vniuoationem tantum requiritur vt ratio significata per nomē, quatenus per illud significata sit omnino eadem: sed ratio significata per nomē *ens* quatenus per illud significata, tantum est ratio entis præcisa à differentiis, quæ non significatur hoc nomine *ens*, quæ quidem ratio entis præcisa est omnino eadem: ergo transcendentia non dicit diuersitatem entis oppositam cum vniuoatione, neque tollit omnimodam vnitatem requisitam ad vniuoationem, siquidem nullam tollit vnitatem entis præcisam, vt significati hoc nomine *ens*, neque dicit aliquam diuersitatem eiusdem entis, vt significati eodem nomine *ens*, sed tantum dicit diuersitatem entis, vt significati differentiarum nomine. Maiorem probat, reliqua iuxta doctrinam traditam, etiam ab ipso Hurt. sunt omnino certa. Vniuoce definiuntur quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen est omnino eadem: ergo ad vniuoationem tantum requiritur rationem significatam per nomen eo modo, quo significatur per nomen, esse omnino eandem, quod habet ratio entis quatenus significata per hoc nomen *ens*, quod non dicit differentias, ratione quarum diuersitas entis contingit, non quatenus significatio nomine *ens*; sed quatenus significatio differentiarum nomine. Confirmatur: ad æquiuoationem tantum requiritur quod rationes significatæ per nomen, quatenus per illud significatæ, sint omnino diuersæ, & non tollitur æquiuoatio, etiam si eadem rationes quatenus alio nomine significatæ, sint eadem: ergo ad vniuoationem tantum requiritur rationes significatæ per nomen esse omnino easdem, & non tollitur vniuoatio, etiam si quatenus alio nomine significatæ eadem rationes sint diuersæ, siquidem eadem ratione definiuntur vniuoce, & æquiuoce, quorum nomen est commune, ratio vero significata, &c. Antecedens patet in hoc nomine *gallus*, quod æquiuocum est respectu galli gallinæ, & hominis natione Galli, quia quatenus hoc nomine *gallus* significatur in nullo conueniunt, etiam si quatenus significatur hoc nomine animal sint omnino idem.

II Secundo impugnanda est hæc sententia ex doctrina tradita punct. 4. vbi probauit rationes omnes genericas transcendere species ad quas contrahuntur, & quidquid in ipsis requiritur, quia in conceptu speciei, non est vnum, & aliud formaliter, neque formaliter species est intrinsecè cōposita ex ratione generica, & specifica. Ex hac doctrina eodem modo, quo probat Hurt. rationem entis non esse omnino eandem, quia differentia, in quibus formaliter includitur, sunt diuersæ, potest argui rationem animalis non esse omnino eandem, quia species in quibus includitur absque vlla distinctione animalis, & rationalis, quæ in specie includuntur, sunt inter se diuersæ, quam diuersitatem habebunt similiter rationes animalis ad species contractæ. Ruit etiam ex hac doctrina fundamentum Hurt. qui in eo distinguebat rationem entis analogam substantiæ, & accidenti à ratione animalis vniuoce homini, & equo, quod ratio entis in substantia, & in accidenti contracta identificaretur cum differentiis, & ratio animalis adhuc contracta in homine, & equo distingueretur à rationali, & inanimabili, & ita maneret eadem intrinsecè, sicuti manet eadem materia informata forma hominis, & forma equi, quæ omnia ruunt, si species dicit simplicem conceptum sine distinctione rationis generice & specificæ.

12 Ex eadem doctrina facillimè ad rationem Hurt. respondetur: sic arguit: ratio entis vt contracta in differentiis est diuersa: ergo ratio entis non est omnino eadem. Respondet concedendo antecedens, & distinguendo consequens: ergo ratio entis non est omnino eadem, vt significata hoc nomine entis, nego consequentiam; vt significata differentiarum nomine, seu nomine entis, & nomine differentiarum, concedo consequentiam: ergo non est vniuoce, nego consequentiam.

13 Ruit etiam fundamentum recentium, qui asserunt transcendentiam impedire vniuoationem, quia tollit compositionem speciei ex ratione transcendenti, & ex differentiis, quas transcendit ratio superior, cum secundum prædictam

etiam doctrinam, nulla species dicat formalem compositionem ex genere & differentia. Deinde absque vilo fundamento hanc compositionem speciei prædicti recentes exposcunt ad vniuoationem.

PUNCTVM VIII.

An ens vniuoce dicatur de Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti.

EX iam dictis facilis est huius difficultatis resolutio, 1
Cum enim probauerimus dari rationem vnam entis abstractam à Deo, & à creaturis, à substantia, & accidenti nomine communi entis significatam, & vniuoationem dependentiā non tolli, neque vniuoationem impediri, nullum est caput, ex quo possit enti sic abstracto vniuoatio negari, imò maximum est fundamentum vt asseramus rationem entis vniuoce esse Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti. Tradunt hanc sententiam Scot. in 1. dist. 3. quest. 1. & 3. Rad. 1. tom. Contr. 21. Philipp. Faber theoremate 95. Meriner. in Logica cap. 1. Categor. disp. 2. quest. 3. Anton. Andreas, Trombet. & vniuersa Scotistarum Schola apud Masium hic sect. 1. in cap. 6. quest. 2. eandem sententiam defendunt ex Nominalibus Ocham in 1. dist. 2. quest. 4. Gabriel ibid. Greg. ibid. quest. 4. subscribunt Arriag. disp. 11. Logica sect. 4. & plurimi recentiores ex nostra Societate. Nec multum ab hac sententia discedit Hurt. licet enim asserat ens esse analogum Deo, & creaturis propter transcendentiam, docet tamen disp. 9. Logica sect. 4. subsect. 8. plures conceptus dari vniuoce Deo, & creaturis quales sunt conceptus attributorum intellectui, volitui &c. quia conceptus isti transcendentes non sunt. Ob eandem rationem asserit, rationem principij actiui vniuoce conuenire substantiæ & accidenti, quia vtrique est communis, & aliàs respectu differentiarum non habet transcendentiam, ex vi cuius tantum eidem rationi multis communi, eodemque nomine significatæ vniuoatio potest negari. Sententia hæc aliā non indiget probatione ex suppositione doctrinæ traditæ, cum enim probauerim rationem entis esse vnam abstractam à Deo, & à creaturis, à substantia, & accidenti, & illius vniuoationi non obesse dependentiam, neque transcendentiam, nihil potest ad hanc requiri, quod in ratione entis abstracta desideretur. Obiectiones, quæ fieri solent contra hanc doctrinam nullius sunt momenti, ideo breuissimè illas attingam.

Prima obiectio ex terrore tyronibus incusso peti solet, 2
putant enim nonnulli authores oppositæ sententiæ minis religiosè de Deo philosophari, quando eum cum creatura confundimus, & ratione communem vtrique damus, cum inter creaturā, & Creatorem infinita intercedat distantia. Ratio ista propter speciem religionis, & obseruantiam, quam præ se fert potest mouere nonnullum tē non percipientem, non tamen virum mediocriter Metaphysicæ principijs instructū, quia in primis nullus negare poterit Deum esse intrinsecè ens ipso dicente: *Ego sum qui sum*. Exodi 3. v. 14. neque quisquam negat creaturas esse similiter entia. Insuper fide sanctum est, & lumine naturæ notum Deum esse ens simplicissimum in essentia, summè perfectum, & infinitum: creatura vero ens finitum, participatum, dependens, & defectibile. Sed hæc omnia illa sã manet siue affirmemus, siue negemus ens esse vniuoce Deo, & creaturis, quid ergo refert si hoc vel illud dicamus. cum vnitatis, quam Deo tribuimus communem cum creatura, illi sit valde extrinseca, orta tantum ex imperfecto nostro cognoscendi modo, qui Numen illud infinitè perfectum vt est in se in hac vita nequit attingere propter illius excellentiam, propriamque imbecillitatem, ac proinde illud cum creaturis confusè cognoscit, quod asserere non est minus religiosè de Deo loqui, sed debita humilitate de imbecillitate nostri intellectus sentire.


Secunda obiectio desumitur ex autoritate Philosophi 3
multis in locis, præcipuè 4. Metaph. c. 2. in principio vbi hæc habet: *ens aut multis quidem modis, sed tantum ad vnum vnamque naturam quandam, & non æquiuocè dicitur, sed quemadmodum sanum omne ad sanitatem refertur*. P. Fonseca analogiæ propugnator in expositione huius textus asserit Aristotelem loqui de ente in omni sua latitudine, quatenus comprehendit ens reale, & rationis. Alij ad exemplaria Græca recurrunt, vt prædicta verba interpretentur; ego vero

vero vno Aristotelis testimonio, quidquid ex illo adduci possunt contra nostram sententiam infringo; ipse enim Philosophus lib. 7. Metaph. c. 4. postquam dixerat ens esse analogum substantiæ, & accidenti, non æquiuocum, neque vnum seu vniuocum quemadmodum medicinale subdit: *sed hæc quidem quomodoque dicere quis velit nihil refert*, si ergo nihil refert quemcumque in his dicere quæ velit, volo Aristotelis pace, dicere ens esse vniuocum propter rationes suprà datas.

4 Tertia obiectio desumitur ex autoritate D. Thomæ multis in locis, quæ non breuiter possunt referri quibus respondeo, Angelicum Doctorem intelligendum esse de ente, non in tota latitudine abstracto à substantiâ, & accidenti, sed de ente per se, quo sensu sumitur nomen *ens* apud Græcos, nam verbum *εἶναι*, quod respondet nostro substantiuo *sum, es, fui*: non significat esse vtrumque, sed esse per se. Quod si hæc explicatio non placuerit, Damascenum accipe, quem des pro Doctore Angelico, sic ille in Elementatio cap. 8. substantiâ, quæ continet supersubstantialiter increatam Deitatem, cognoscibiliter autem, & continuè omnem creaturam generalissimum genus est: En Damascenus rationem communem, & genericam aptè tribuit Deo, & creaturæ. Alij Ecclesiæ Patres, qui aliquando dicunt Deum tantum propriè esse, cetera verò impropriè, intelligendi sunt, non iuxta rigorem Scholasticum, sed iuxta Concionatoriam exaggerationem, quo loquendi modo similiter dicere solent Deum non esse substantiam, sed supersubstantiam, quo non intendunt significare Deo non propriè rationem substantiæ competere, sed esse substantiam quandam longè excedentem omnem perfectionem substantiæ creatæ.

5 Alia argumenta, quæ adduci solent ad probandum ens non dici vniuocè de Deo, & creaturis, substantiâ, & accidenti, eò tendunt vt probent non dari rationem vnam entis communem his entitatibus, aut huius vniuocationem dependentiâ, vel transcendentia impediri, quæ omnia solui punct. 5. 6. 7.

6 Eisdem rationibus, quibus probauimus ens vniuocè dici de ente increato, & creato, substantiâ, & accidenti, probandum est accidens vniuocè dici de quantitate, qualitate, & aliis accidentibus, imò etiam si ens non vniuocè diceretur de substantiâ, & accidenti propter dependentiam huius ab illo, vniuocè diceretur accidens de omnibus accidentibus, quæ mutuo inter se non dependent, sed omnia simul à substantiâ.



CONTROVERSIA II.

De existentia & possibilitate entis.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit possibilitas entis realis.

§. I.

Varia sententia impugnantur.

1 **R**IMAM sententiam defendunt plures Scotistæ asserentes ante existentiam in tempore productam non dari à parte rei essentias rerum secundum esse actuale reale; addunt tamen creaturas produci per actus intellectus diuini secundum quoddam esse intelligibile absolutum intrinsecum ipsis creaturis, quod quidem esse importat quidditatem rei non existentem à parte rei, sed tantum in intellectu diuino, & ab eodem intellectu productam. Itaque tria asserunt huius sententiæ authores; primum, quod hoc esse absolutum sit esse intelligibile, quia ante actum intellectus diuini nullo modo creatura habebat rationem obiecti intelligibilis, quia non erat quidditas producta, quæ est fundamentum intelligibilitatis. Secundum, quod sit ratio formalis creaturæ ad existendum. Tertium, quod esse secundum quid sit maius ente rationis, minus verò ente reali, & ideo dicitur ens diminutum. Propter hanc sententiam seuerè plures Thomistæ Scotum reprehendunt, multisque temerariam

viam fuisse testatur P. Vafq. a. part. disp. 14. c. 2. n. 9. Verum tamen finitè in hunc sensum Subtilem Doctorem intelligi testatur P. Soar. & P. Vafq. hic n. 9. citato, & disp. 7. c. 2. n. 8. ille disp. 31. lect. 2. vbi ex ipso Scoto multis in locis probat alienum fuisse ab hoc dicendi modo, quem nunquam Scotum somniasse asserit Vafq. suprà.

Contenta ergo debet esse hæc sententia, cui neutiquam Subtilis Doctor suffragatur, autoritate Licheti, & Tartari, qui illam defendunt in 1. dist. 35. & 36. sententia hæc omni fundamento destituta est, & adhuc mediocrem speciem veritatis non habet, quia cognitio diuina præcisè ex eo quod tendat in obiectum, si ex illa actio alia non oriatur, nullum illi tribuit esse, vt patet in chimæra cognita à Deo, quæ postquam est cognita, & quæ non est, ac si non fuisset cognita, & quæ manet purum nihil ac chimæra, quod si præcisè cognitio obiecti, seu esse obiectum rei cognite aliquid intrinsecum esse daret rei cognite, hoc acciperet chimæra à cognitione diuina, illudque haberet eo modo quo illud dicuntur habere reliqua obiecta realia secundum hanc sententiam. Neque potest dicere chimæram non accipere hoc esse, quia possibilis non est, cum enim in sua sententia possibilitas rei dicat esse productum in mente diuina, chimæra, quæ acciperet hoc esse in mente diuina, ex eo quod cognosceretur, acciperet possibilitatem, sicut illam accipiunt aliæ entitates, quæ possibiles dicuntur, quæ antecedenter ad cognitionem diuinam, ex vi cuius secundum hanc sententiam accipiunt possibilitatem, possibiles non sunt.

Secundo: In mente diuina nullum ens creatum potest habere proprium esse, nisi tanquam in causa eo modo, quo calor habet suum esse in igne, à quo potest produci, vel tanquam in imagine, seu cognitione, eo modo, quo Deus à me cognitus habet esse in mea cognitione, quod nihil aliud est, quam Deum esse potentem per suam entitatem creaturam ad extra producere, & illam cognoscere: ergo non aptè fingitur illud esse diminutum in mente diuina. Antecedens probatur: nihil est formaliter intrinsecè in ipso Deo, quod non sit ipse Deus, neque Deus intrinsecè in se ipso habet formaliter aliquid distinctum à se: sed creaturæ non sunt ipse Deus: ergo creaturæ non habent aliquid esse productum ab intellectu diuino formaliter existens in ipso Deo, sed tantum eminenter, & repræsentatiuè, quod strictè loquendo non est ipsas habere aliquid esse, sed Deum habere virtutem intrinsecam identificatam cum ipso ad illas creaturas producendas, & habere cognitionem similiter identificatam, ex vi cuius cognoscit illas existentes, vel potentes extra ipsum Deum existere per actionem ad extra ab ipso Deo dimanantem. Consequentia est legitima, maior, & minor videntur non posse negari, nisi inducatur in errorem, quem reprehendit Vvaldensis r. 1. Doctrinalis fidei antiquæ lib. 1. art. 1. c. 17. contra Vvicleffum asserentem creaturas in Deo habere quoddam esse ideale, ratione cuius in Deo existentibus sunt ipse Deus.

Secunda sententia est P. Albertini r. 2. in prædic. de substantia Disp. 1. q. 1. num. 12. vbi asserit creaturam possibilem non fuisse ab æterno omnino nihil, ante existentiam, quam in tempore recipit, neque habere solum esse potentiale in causa, sed ab æterno habuisse esse intrinsecum actuale quidditatum suæ essentia, quod quidem est à parte rei extra intellectum diuinum, vt ipse explicat n. 18. Addit insuper creaturas habere hoc esse actuale independentè à Deo tanquam à causa efficiente, à quo tantum dependent secundum hoc esse tanquam à causa exemplari, quod explicat, & probat quæst. 2. Refert pro hac sententia Henr. & Agidium, nonnullaque refert ex D. Thoma quibus frustra probare intendit sanctum Doctorem huius sententiæ patrocinari, à quo toto cælo distat. Eandem sententiam tribuit Caiet. de ente & essentia cap. 5. q. 11. ad 1. asseritque illam, vt probabilem tenuisse Capreolum in 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 4. argumentum Aureali. Multa inuoluuntur in hac sententia valde difficilia, & dare satis excogitata, quæ iam impugno.

CONCLUSIO contra primam, & secundam sententiam: creatura possibilis, antequam producatur, nullum esse habet actuale, neque est aliquid improductum, aut productum ab omnipotentia, aut ab intellectu diuino tanquam ab efficiente, neque tanquam à causa exemplari. Rem vnicò verbo exprimo. Creatura possibilis, antequam in tempore existentiam habeat, physicè non est, & ita querendum amplius non est quid sit: quod si rogetur, suppositum est ne

est negandum. Nota me non dicere creaturam non esse possibilem antequam existat, sed non esse physicè, quod non opponitur cum hoc quod est esse possibile, quia hoc ut postea dicam non importat aliquid esse absolutum physicum. Conclusionem hanc eleganter docuit Angelicus Doctor 3. de potentia art. 5. ad 2. his verbis: *Ex eo ipso quod quiddam esse tribuitur, non solum esse sed ipsa quidditas creari dicitur, quia antequam esse habeat, nihil est, nisi forte in intellectu creatis, ubi non est creatura, sed creatrix essentia.* Probo hanc conclusionem: Nihil extra Deum est quod à Deo non sit factum; seu productum: sed ab æterno nihil est extra Deum: ergo creaturæ possibiles ab æterno, seu antequam daretur actio in tempore à Deo procedens nullum esse habuerunt. Maior est naturæ lumine nota, quo constat tantum dari unum primum principium; à quo omnia, quæ ab illo distinguuntur, dependent, atque procedunt. Unde rectè dicunt sancti Patres, vel Deum esse; vel nihil, quod à Deo factum non est. Iustin. in expositione fidei, Cyril. lib. i. in Ioann. cap. 6. Aug. lib. de Trinitate cap. 6. Minor est fide sancta, quæ constat Deum in tempore totum hoc uniuersum creasse, & omnia in tempore incepisse. Consequentia est legitima. Sed adhuc respondebis: Nihil est extra Deum, quod à Deo non sit factum. Distinguo maiorem: nihil est existens, concedo: nihil possibile, seu in potentia, nego. Contra: esse possibile, vel dicitur possibilitatem; quæ absolute actu situm entis illa denominatur, seu dicitur possibilis: vel dicit tantum puram potentiam Logicam, ut res illa actu sit, cum per veram actionem produceretur, quæ tunc temporis cum possibili dicitur, antequam hæc actio adueniat, actu non est, sed erit, quando adueniat actio, seu esset si illius actio adueniret, seu procederet à Deo. Si dicas tantum hoc secundum, habeo intentum: si primum dicas, redit idem argumentum. Possibilitas realis à Deo distincta non potest habere esse actuale absolutum nisi productum à Deo: ergo quovisque sit productio procedens à Deo non potest habere esse absolutum actuale: ergo quod est creaturam esse possibilem ab æterno, seu ab æterno dari possibilitatem creaturæ non importat aliquid esse actuale physicum, quod actu, & physicè sit ab æterno. Probo antecedens: possibilitas, sicuti qualibet alia entitas, eo ipso quod sit realis, & distincta à Deo: est creatura: sed de essentia creaturæ est dependere à Deo: ergo eo ipso quod sit possibilitas actu absolute & physicè, actu absolute, & physicè debet dependere à Deo.

6 Est etiam difficillimum illud, quod docet Albertinus, videlicet essentias rerum, secundum illud esse actuale, quod à parte rei habent ab æterno distinctum à Deo, & extra intellectum Dei non dependere à Deo, tanquam à causa efficiente, sed solum tanquam à causa exemplari, quia illud esse quodcumque sit est finitum, & de ratione entis finiti est dependere à Deo tanquam à causa efficiente, à qua physicè recipiant esse, & non solum tanquam à causa exemplari, quia exemplaris causa, ut talis, præcisè non inluit physicè in effectum: sed tantum moraliter, seu directiue, quapropter sancti Patres, non tantum asserunt esse Deum, vel nihil, quiddam non dependere à Deo in aliquo genere: sed quiddam non est à Deo productum, hoc est quiddam non dependere à Deo tanquam à principio effectiui, ita ut hæc sit legitima consequentia: hoc non est productum à Deo tanquam à principio effectiui: ergo, vel est Deus, vel est nihil. Secundo implicat aliquid, quod productum non est à principio effectiui, ab alio tanquam ab exemplari dependere, quia exemplar est id, ad quod respiciunt agens operatur; Ergo ubi non intercedit agens, à quo respiciatur exemplar, huius causalitas intercedere non potest: sed illud esse actuale quod habent ab æterno essentia rerum non dependet ab aliquo agente: ergo neque ab aliquo exemplari. Tertiò concipi nequit, quid possit existentia præstare essentia, quæ independentè ab illa habet esse actuale in se ipsa seu quid desideretur in illa essentia habente actuale esse in se ipsa, ut formaliter dicatur existens per illud actuale esse, quia existere nihil aliud est quam esse extra causas, & habere esse non solum in potentia, seu in virtute causarum, sed habere esse actuale extra virtutem causarum in se ipso: sed essentia ab æterno habent esse actuale in se ipsis extra potentiam causarum in sententia Albertin. ergo essentia ab æterno existunt seclusa existentia superaddita, quam dicit Alber-

tinus aduenire essentia iam habenti suum esse actuale. Rursus si essentia dicit quoddam esse actuale antecedens existentiam, & ab illa distinctum, res existens dicit quoddam physicam compositionem ex illo esse actuali improducto essentia, & existentia producta, quod non solum admittit, sed etiam propugnat Albertin. quest. 2. disp. 22. num. 4. ergo entitas existens duo dicit esse actualia, unum essentia independentem à Deo quod independentem à voluntate Dei actualiter est, fuit, & erit per æternitatem; & aliud existentia dependens à voluntate Dei, & non poterit Deus ita destruere calorem, ut non remaneat aliquid esse actuale illius, videlicet esse essentia. Rursus essentia existentia hominis distincta ab hominis essentia non habet ab æterno esse actuale, ut concedit Albert. ergo necessarium non est ipsam essentiam hominis ab æterno habere esse actuale. Reddit disparitatem Albert. quam referam, & refellam punct. 2. num. 7. ubi hoc argumentum latius prosequar contra illos, qui essentiam ab existentia distinguunt. Rursus si essentia hominis ab æterno habet actuale esse, etiam si careret existentia, saltem de potentia absoluta, posset etiam non existens operari ab æterno, quia tantum illi defuisset conditio ad operandum requisita, videlicet existentia, quam Deus supplere posset, sicuti potest supplere approximationem, aliasque huiusmodi conditiones: vide quæ de hac re scripsi Controv. 7. Physic. punct. 4. ubi explicui quomodo existentia causæ supponatur ad existentiam effectus.

7 Statuimus creaturam possibilem nondum existentem non habere aliquid esse actuale, neque essentia, neque existentia in se ipsa, restat modò dicere quid dicat creaturam esse possibilem, seu per quod differat lapis modo non existens, qui possibilis dicitur à chimæra non existente, quæ dicitur impossibilis. Respondet Hurtadus disp. 8. sect. 1. §. ... denominationem possibilis sumi formaliter ab omnipotentia, quæ potest producere effectum, quem producibilem denominat. Hunc dicendi modum rectè impugnatur Albertin. disp. 1. citata num. 18. quia non potest dici ex defectu omnipotentia chimæram esse impossibilem, quia omnipotentia supponitur infinita in causando: ergo aliquam repugnantiam habet in se chimæra, quam non habet lapis, propter quam chimæra dicitur impossibilis, & aliquam non repugnantiam habet lapis, propter quam possibilis dicitur, quam non habet chimæra, independentem ab omnipotentia, quæ ex se est infinite potens, & quæ posset producere chimæram, ac lapidem, si chimæra in se non haberet repugnantiam, seu si haberet in se non repugnantiam, quam habet lapis in seipso: ergo lapidem esse non repugnantem, seu possibilem, & chimæram esse repugnantem, & impossibilem aliquid est in ipso lapide, & in ipsa chimæra distinctum ab omnipotentia.

8 Confirmatur, & declaratur eadem ratio: Omnipotentia ex se est virtus infinita, quæ si præcisè inspicitur secundum id, quod intrinsecè dicit seclusa possibilitate, seu impossibilitate effectuum tantæ virtutis est, ut docet dicit Albert. ibid. n. 20. ad producendum lapidem, ac ad producendam chimæram: ergo hoc quod est lapidem esse possibilem, & chimæram esse impossibilem, non sumitur præcisè ex conceptu omnipotentia, seu ex vi illius, quod intrinsecè dicit omnipotentia, neque est pura denominatio orta ab omnipotentia, sed aliquid dicit ex parte lapidis possibilis, & ex parte chimæra impossibilis, per quod differant lapis, & chimæra in ratione possibilis, & impossibilis.

9 Respondent aliqui apud Scotum in 1. dist. 43. impossibilitatem chimæra esse propter repugnantiam formalem, quæ in se habet, & non per respectum ad Deum: lapidem verò habere non repugnantiam, seu possibilitatem ad existendum per respectum ad Deum ut causam. Contra hos arguit Scotus: Lapis habet hanc non repugnantiam per respectum ad omnipotentiam, seu deriuatam ab omnipotentia: ergo ex eo quod omnipotentia non deriuat hanc non repugnantiam, seu possibilitatem in chimæram, chimæra carebit possibilitate, quam habet lapis, & dicitur impossibilis: ergo hoc quod est esse lapidem possibilem, & chimæram impossibilem totaliter refundendum est in omnipotentiam diuerso modo se habentem respectu lapidis, & respectu chimæra, quod omnino falsum est: hæ enim sunt veræ propositiones, quia chimæra est in se repugnans non potest produci à Deo; & quia lapis in se non est repugnans potest produci à Deo, & hæc falsæ, quia Deus non potest producere

producere chimæram, chimæra est in se repugnans, & quia Deus potest producere lapidem, lapis est non repugnans: Omnipotentia enim ex se æquè se habet ad utrumque obiectum, & ad utrumque supponitur quatenus est ex se æquè potens, quâ virtute supposita dicitur non solum ex se, sed absolute potens producere lapidem, quia lapis in se non repugnat, & non dicitur posse producere chimæram, quia chimæra in se repugnat. Confirmatur: ex eo quod in entitatibus possibili- bus illa, quæ existunt, habeant actu præcisè existere ex vi actionis procedentis à Deo, seu à Deo & ab illa causa, rectè dicitur reliquis entitates non existentes, non existere ex defectu huius actionis, ergo ex eo, quod in omnibus entitatibus, quæ concipi possunt, illa, quæ possibiles dicuntur habeant possibilitatem præcisè ex omnipotentia, quæ in illas derivat hanc denominationem entis possibilis, reliquæ entitates, quæ possibiles non sunt, dicuntur non esse possibiles ex eo præcisè, quod omnipotentia similem in illas denominationem non derivet iuxta proloquium illud, sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: ergo si possibilitas creaturarum possibilem sumitur præcisè ex denominatione procedente ab omnipotentia, negatio possibilitatis creaturarum non possibilem sumitur ex negatione denominationis procedentis ab omnipotentia: ergo si possibilitas rei non repugnantis ab omnipotentia defumitur, impossibilitas rei repugnantis sumitur ab eadem omnipotentia, & æquè refundetur in omnipotentiam possibilitas lapidis, & impossibilitas Hircocerui.

Respondent alij lapidem non existentem dici possibilem, quia habet intrinsecam connexionem prædicatorum quam non habet chimæra, ex cuius defectu dicitur impossibile. Contrà: connexio ista prædicatorum, vel est ab æterno, vel non est ab æterno: si est ab æterno secundum esse actuale, redeunt argumenta, quæ sunt contra esse actuale essentia: si non habet esse actuale, restat explicandum quid sit actu ratione cuius hic & nunc lapis non existens dicatur actu possibilem. Secundo æquè difficilis est explicatu hæc prædicatorum connexio ac ipsa possibilitas, & reddenda est ratio cur lapis non existens habeat hanc connexionem prædicatorum, quâ caret chimæra non existens. Dicunt alij lapidem dici ab æterno esse obiectum in mente diuina. Contrà: si habere esse obiectum in mente diuina, ex vi cuius lapis cognoscitur, tantum dicit lapidem ab æterno cognosci, etiam chimæra ab æterno cognoscitur: si dicat ab æterno cognosci ut possibilem, inquiri cur lapis ab æterno cognoscitur ut possibilem, & chimæra ut impossibilem; & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad lapidem ex parte obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur ut possibile, & quid se teneat in cognitione diuina ab æterno terminata ad chimæram ex parte obiecti, ratione cuius hoc obiectum cognoscatur ut impossibile, cognitiones enim diuinæ non dant possibilitatem, & impossibilitatem, sed illas supponunt in ipsis obiectis, ratione quarum hoc ut possibile, & illud ut impossibile cognoscitur.

S. II.

Verior Sententia.

Dvplex potest considerari possibilitas in quacunque entitate, quædam extrinseca, & alia intrinseca: Extrinseca est denominatio quædam extrinseca desumpta ex virtute intrinseca causæ, eo enim ipso quod causa dicitur potens producere effectum, resultat in effectu denominatione quædam extrinseca producibilis à tali causa, quæ denominatio extrinseca non distinguitur ab ipsa virtute causæ, vel saltem inadæquatè cum illa identificatur, sicuti quilibet alia denominatio extrinseca cum forma ex vi cuius subiectum denominatur. Hæc extrinseca denominatio, seu possibilitas extrinseca aliquando convenire potest etiam effectibus ipsis intrinsecè repugnantibus, quia sicuti potest dici Deum quatenus est ex se habere potentiam ut producat Hircocerum, quem non ex defectu virtutis ipsius Dei, sed ex repugnantia ipsius Hircocerui absolute producere non potest, sic potest dici Hircocerum quatenus est ex parte Dei esse producibilem à Deo, & esse potentem produci à Deo quatenus est ex parte Dei, licet ex parte sua sit impotens produci, & ita ratione intrinsece repugnantia non potest dici absolute potens produci, sed cum illo addito quatenus est ex parte Dei, sicuti ratio-

ne eiusdem intrinsece repugnantia Hircocerui Deus non dicitur absolute potens producere Hircocerum quatenus est ex parte ipsius, eadem enim restrictio, & eadem ampliatio, quâ Deus dicitur potens producere effectum, dicitur extrinsecè effectus potens produci à Deo per ipsam ipsam, per quam Deus dicitur potens. Id accidit in obiectis omnium potentiarum, mea enim potentia actua le à me, & dat illi quamdam extrinsecam amabilitatem obiectum autem habet aliam intrinsecam amabilitatem ratione cuius ex se intrinsecè gaudet formalitate quadam, videlicet bonitate, quæ non gaudet aliud obiectum; quod non potest terminare hunc actum amoris. Clarius cernitur in colore, qui visibilis extrinsecè denominatur à mea potentia visiva, habet tamen aliam visibilitatem intrinsecam, seu formalem siue radicalem illam appelles, videlicet prædicatum constitutum coloris, ratione cuius est obiectum proportionatum potentia visivæ, quam intrinsecam visibilitatem seu prædicatum coloris non habet frigiditas, ex cuius defectu hæc non est obiectum proportionatum aëri potentia visivæ, quæ tantum dat denominationem extrinsecam visibilis visibilitate extrinseca obiecto illi quod illo prædicato, seu illa intrinseca visibilitate gaudet. Sic potentia productiva dat extrinsecam denominationem producibilis, seu producibilitatis extrinsece obiecto illi, quod gaudet intrinseca producibilitate, seu non repugnantia. Hæc de causa omnipotentia non dat Hircocerui possibilitatem extrinsecam absolutam, neque illi extrinsecè denominat absolute producibilem, adhuc extrinsecè, sed tantum cum addito quatenus est ex parte Dei, quia non inuenit in illo producibilitatem intrinsecam, quam, veni- mur, quæ supponitur ut possit obiectum denominari extrinsecè absolute producibile, & ut sit forma potens tribuere hanc denominationem, videlicet potentia non solum quatenus est ex se potens, sed vndequeque absolute potens producere effectum, quæ constituitur formaliter per ipsam virtutem intrinsecam causæ & per producibilitatem intrinsecam effectus, & extrinsecam causæ, ut latius explicio Controversia decima Punct. 4. de hac possibilitate extrinseca verum est, quod docet Hurtadus, desumi formaliter ab omnipotentia; quid verò rei intrinseca possibilitas importet hic & nunc, dum effectus qui dicitur possibilis non existit Hurtadus non explicat, neque explicatu facilis est.

Sentio ex eo præcisè lapidem non existentem (idem dico de quocunque alio effectu) dici hic, & nunc possibilem, quia prædicata illa, quæ in lapide apprehenduntur, non sunt illatim contradictionis. Clarius, quia si datur lapis existens nulla inferetur contradictoria, quod verum non est dicere de Hircoceruo, quia si modò Hircerus existeret, daretur duplex contradictoria, itaque lapis possibilis non existens, & Hircoceruus impossibilis non existens non differunt per aliquid quod actu sit, sed per illud quod esset, & cùm dicimus, lapis hic & nunc est possibilis, tantum dicimus, si lapis hic & nunc existeret, nulla darentur contradictoria, similiter cùm dicimus Hircoceruus est impossibilis, dicitur formaliter ex parte obiecti, si Hircoceruus existeret daretur duplex contradictoria. Idemque intendimus significare propositionibus illis quas vocamus æternæ veritatis, ut cum dicimus, homo est rationalis, quæ propositiones dicuntur veræ per totam æternitatem, non quia per totam æternitatem homo habuerit potentiam ratiocinandi, quam importat prædicatum rationale secundum se, sed quia in quocunque instanti æternitatis verum sit dicere: Si hic, & nunc homo esset, esset rationalis, seu si hic, & nunc existeret homo, existeret cum potentia ratiocinandi, quod est obiectum necessarium, cuius affirmationi in nullo æternitatis instanti falsum subesse potest. Hæc de causa propositiones omnes, in quibus annuncietur prædicatum aliquod essentiale de subiecto, vocamus propositiones æternæ veritatis, quia habent hanc necessitatem conditionalem, quam non habent alie propositiones, in quibus prædicatum est accidentale, quæ non dicimus æternæ veritatis, quia etiam si homo cum albedine ab æterno esset creatus, eo ipso quod in illo existit est albus, quia antecederet saltem potest existere sine albedine; est autem semper verum dicere: si homo existit in hoc instanti, eo ipso quod existit, est rationalis, quia adhuc antecederet implicat existere, & non esse rationale. Doctrinam

Doctrinam hanc discretè nobis tradidit P. Soar. disp. 3. Metaph. Sect. 2. & disp. 12. num. 38. quem sequutus est Alarcon. tract. 2. disp. 3. cap. 2. n. 3. & alij quàm plurimi Theologi 1. part. quest. 14. artic. 5. ubi disputant de obiecto creati possibilibus scientiæ Dei. Legantur P. Vazquez 1. p. disp. 65. cap. 4. & disp. 104. & disp. 182. cap. 2. num. 9. P. Valentia questione 14. punct. 7. P. Heric. disp. 5. cap. 2. & Basil. Legionens. in quodlibet. quest. 8. Scholastica. cap. 7. relect. 5. Hac ratione rectè explicatur quomodo nullo esse actuali dato ab æterno, quod non dari, mihi fidei testimoniis certum est, & quâ ratione etiam nihil potuerit esse actu extra Deum, quod ab illo efficienter non procedat, ad quod affirmandum eisdem fidei principiis, & naturali adstringor ratione possit componi rem dici possibilem, & intrinsecè possibilem ab æterno, quia cum hoc quod est rem esse possibilem, non dicat aliquid, quod physicè actu sit, sed quod actu est obiectivè in mente diuina, & physicè esset absque vlla contradictione, si Deus vellet producere, non importat productionem, seu dependentiam à Deo, neque decretum liberum, quæ actu sunt, sed quæ essent, calu quo esset talis effectus, quia id, quod non est physicè, sed esset, non physicè dependet à Deo per actionem quæ sit, sed dependet per actionem quæ esset, & id, quod non est, sed esset, non supponit in Deo decretum liberum quod sit sed quod esset.

13 Ex his inferes rem possibilem abstrahentem ab existentia, & negatione existentie, & dicere existentiam conditionatam contradictionis, quæ potest significari per obiecta harum propositionum: *Si homo hic & nunc seu in quouis instanti existat, existet absque vlla contradictione, quæ inferatur ex sua existentia.* Si Deus hic & nunc, seu in quocumque instanti velit producere hominem, homo existet absque vlla contradictione, quæ obiecta non dicunt existentiam actu exercitam, neque illius negationem. Creatura purè possibilis, & non existens dicitur hæc eadem obiecta, & negationem existentie absolutæ. Creatura non tantum possibilis, sed etiam existens dicit non solum hæc obiecta conditionata, sed etiam purificationem conditionis, & existentiam non solum obiectivè existentem in mente diuina, & sub illa conditione, sed physicè exercitam absque vlla contradictione, quam inferat, quod est physicè esse, seu existere, illud enim, quod hac ratione non est, sed esset, non dicitur esse simpliciter, sed cum addito.

14 Inferes similiter hoc prædicatum possibile, esse additum, diminuens vim significationis copulæ est, quæ ex se simpliciter dicit esse absolutum, & cum coniungitur cum hoc prædicato possibile non dicit esse absolutum, sed conditionatum, neque significat quod res sit, sed quod esset, idem enim valet dicere, *Petrus est possibilis*, ac dicere *Petrus esset, aut existeret* (quod est idem, quia esse simpliciter, & sine addito est idem formalissimè, quod existeret, absque vlla contradictione, si Deus vellet illum producere, seu dicere si Petrus esset, aut existeret absque vlla contradictione, quod de chimera dici nequit. Dixi prædicatum possibile esse additum diminuens vim significationis copulæ, ut significarem, non minuire rationem intrinsecam significationem per subiectum, sicuti minuit additum rationis cum dicimus, *Hircocerus est ens rationis*, in qua propositione illud rationis positiuè destruit rationem entis, & idem est dicere *hoc est ens rationis*, ac dicere, hoc non est simpliciter, sed valde secundum quid, & plusquam æquiuocè. Similiter hoc additum *possibile* destruit rationem formalem subiecti, quod afficit, ut cum dicimus *hic est homo pius*, additum *pius* destruit rationem hominis, & est idem ac dicere, homo non est homo simpliciter, sed secundum quid, & analogicè. Cum vero dicitur homo est ens possibile: *ly possibile* non destruit rationem absolutam entis, ut sit idem ac dicere: homo non est ens, seu existens absolute, & simpliciter, sed analogicè, sed tantum destruit in copula vim significandi hunc modum essendi, ita ut ex vi huius prædicati possibile non significetur, quod sit simpliciter, quod est absolute existere, sed abstrahat ab hoc modo stricto essendi, seu existendi, & significet aliud minus strictum relinquendo subiectum cum indifferentia, ut salva veritate propositionis possit simpliciter esse, quod est existere, & non esse simpliciter, seu non existere. Potest etiam significari natura huius additi possibile si dicatur minuire statum esse absolutum subiecti abstrahendo ab illo, seu præcisè minuendo significationem, & affirmationem illius, non illud negando. Additum verò rationis ne-

Francisc. de Ouedo Philosoph. Tom. II.

gat totum id quod minuit, & cum dicitur *hircocerus est ens rationis*, *ly rationis* negat rationem entis simpliciter, quam minuit, & hac ratione poterit dici terminus possibile additum diminuens præcisè, & additum rationis, seu *pius* diminuens negativè, quia, ut sæpe dixi, ens possibile indifferens est ut sit ens simpliciter, seu existens absolute, quod est idè, & ens rationis indifferens non est, ut sit simpliciter homo. Hic opportunè sanè diceretur, quomodo distinguitur possibilitas, & existentia, explicata enim natura possibilitatis cum existentie natura satis nota sit facile vtriusque differentia apparebit, sed de hoc iterum redibit sermo Punct. 2. ubi explicabo, quomodo differant possibilitas, & existentia, modo nonnulla argumenta contra doctrinam traditam proponam, & solvam.

15 Obiicies primo. Creatura possibilis antequam existat, est nihil: ergo quado producit existentiæ negatio rei conuertitur in ipsam rem, seu negatio existentie in ipsam existentiam. Respondeo aliud esse creaturam purè possibilem nondum productam non esse, seu non existere, aliud esse negationem existentie. Primum est verum secundum est falsum, quia creatura possibilis, etsi non sit existens non est negatio, sui ut existentis, sed purè non est, de illo autem quod non est, non est inquirendum quid sit pro illo statu, in quo non est, & si importunè inquiratur, respondendum est negatio suppositum, prius enim de quocumque ente instituitur questio an sit, in qua si negativè respondeatur, ultra procedendum non est: si verò affirmatiuè respondeatur, postea proceditur ad inquirendum quid sit. Quod vulgo dicitur, inter negationem, & habitum non datur medium, intelligendum est non dari medium inter hæc extrema in ordine ad se, vel in ordine ad subiectum, est enim consequentia necessaria, non datur hoc ens in rerum natura: ergo datur in rerum natura negatio huius entis. Similiter est bona consequentia: hoc subiectum non habet hanc formam: ergo habet negationem huius formæ. Hæc autem est mala consequentia: hoc ens non est illud: ergo est negatio illius: homo enim non est equus, neque est negatio equi, & omnia, quæ de facto non existunt non sunt homo, neque negatio eiusdem hominis existentis. Eadem ratione dicendum est creaturam purè possibilem non esse existentem, neque esse negationem sui ipsius existentis, licet tunc temporis cum non existit detur in rerum natura negatio existentie talis creaturæ, quia hæc negatio distinguitur ab illo cuius est negatio. Ex hoc fit creaturam non conuerti ex negatione in rem positiuam neque conuerti negationem existentie in ipsam existentiam, cum creatura in tempore producit, sed tunc temporis, cum primo producit incipere esse, quod antea non erat, & existere, quod antea non existeret absque vlla conuersione negationis in suum habitum, & absque omni transitu, seu mutatione ipsius rei, quæ producit, quæ immediate ante productionem, neque fuerat ipsa, neque fuerat aliquid ab illa distinctum, neque aliquid illius, quod formaliter producit, præciserat, sed præcisè non fuerat.

16 Obiicies secundo: Petrus nondum productus ab æterno fuit possibilis: & hic & nunc est possibilis, ergo hic & nunc datur aliquid per quod sit possibilis. Respondeo Petrum non existentem hic & nunc esse possibile ex eo præcisè quod sit capax terminandi propositiones supra dictas, videlicet si Deus voluerit Petrum producere, Petrus existet absque aliqua contradictione: Si Petrus existeret, existeret absque illatione contradictionis, quas propositiones hic, & nunc potest terminare, ob quam rationem præcisè, seclusa quacumque alia, possibilis dicitur: cumque ratio ista actu terminandi propositiones supra dictas non dicat aliquid, quod actu sit, sed aliquid, quod esset, fit rem dici actu possibilem per aliquid quod non sit, sed esset, quia sicuti potest actu terminare propositionem obiectum, quod non est, sed esset: sic potest dici actu res possibilis, quæ actu non est sed esset. Instabis, Petrus possibilis non existens est actu & absolute physicè possibilis: ergo per aliquid, quod sit actu, absolute, & physicè. Distinguo antecedens, Petrus non existens potest existere actu, absolute, & physicè, hoc est, possibile est Petrum actu, absolute, & physicè existere, concedo: Petrus non existens est possibilis hic, & nunc per possibilitatem, quæ actu, absolute, & physicè sit, nego: id enim per quod dicitur actu, & absolute, potens existere actu absolute, & physicè, est fit quid physicum, modo physicè non est, sed tantum obiectivè, & tantum physicè esset, si produceretur, & physicè erit cum producat. Aliud enim est esse

esse quid physicum aliud physicè esse, cum enim cognosco Petrum possibilem nondum productum, cognosco quid physicum, quod physicè tunc temporis non est, sed obiectivè tantum. Alia plurima obiciuntur, quæ omnia reducuntur ad hæc quæ iam solvimus, & aliam non continent difficultatē, sed eandem diuersis modis propositam. Latè etiam inter meam conclusionem explicandam doctrinam tradidi ad omnia soluenda, quæ in hac materia possint occurrere, & obiectioes plures præoccupavi explicando terminos, ex quorum confusione procedunt.

PUNCTUM II.

An distinguantur realiter essentia rei possibilis, & existentia.

1. **S**æpe sepius indiscriminatim his terminis *res possibilis* & *essentia*, auctores vtuntur, & veriusque significatum existentia opponunt, & ens vt possibile essentiam appellant, cui existentiam superaddunt, aliquando verò tantum opponunt rei existenti eandem vt possibilem, & essentiam quidam in possibilem, & existentem, quæ placet notare ne terminorum confusione confusè procedat disputatio.
2. Existentiam distinguunt ab essentia, quæ per se ipsam existentiam constituitur existens tanquam per aliquid reale superadditum defendunt Thomistæ omnes ita Caiet. Capr. Ferr. Agid. Fland. & Soncin. apud P. Soar. & P. Albert. postea citandos, quos sequuti sunt P. Molin. p. 1. q. 3. art. 4. ad 2. & P. Albert. de Prædic. substantia disput. 2. q. 1. Essentiam non distinguunt ab existentia distinctione reali, sed tantum ex natura rei docent Scotus in 3. dist. 6. q. 1. & P. Fonseca. tom. 1. Metaph. lib. 4. c. 2. q. 4. sect. 1. Verumtamen plerique Fonseca & non pauci Scotum interpretantur de distinctione tantum rationis.
3. Existentiam nullā distinctione, neque reali, neque ex natura rei distinguunt ab essentia defendunt innumeri Doctores, quorum longum syllabum inuenies apud P. Soar. disp. 3. Met. sect. 1. n. 12. qui eandem amplectitur sententiam, Consequuntur P. Valq. 1. 2. disp. 179. n. 6. P. Val. tom. 1. disp. 1. q. 4. p. 4. P. Pereir. 6. Physic. c. 4. P. Alarc. tr. 6. disp. 1. c. 2. n. 4. P. Rub. 1. Physic. tr. 1. de materia prima q. 4. n. 6. P. Hurt. disp. 8. sect. 4. sub 1. P. Arriag. disp. 2. sect. 3.
4. **PRIMA CONCLUSIO.** Existentia iam producta non distinguitur physicè, neque propriè loquendo physicè identificatur cum essentia purè possibili, neque eadem ratione formali existentia, vt purè possibili, ea ratione quæ præcesserit per totam æternitatem antequam in tempore per veram actionem produceretur. Hæc conclusio ex doctrina tradita Puncto præcedenti clarè deducitur. Id quod est purè possibile nondū physicè existens in actu secundò, physicè non est simpliciter, sed cum addito: ergo physicè neque potest esse distinctum ab alio eo modo, quo in se non est, neque potest habere esse distinctum, quod non habet esse: ergo enti purè possibili tantum potest convenire identitas & distinctio conditionatè eo modo, quo illi competit esse, quod casu quo esset, esset distinctum, vel identificatum, haberet identitatē, vel distinctionem. Ex hac conclusione inferes rem existentem non identificari cum ipsa vt possibili, in mensura præcedenti existentiam, sed se habere respectu illius sicuti illud quod est, respectu illius quod non est, quia ratione se habet existentia respectu puræ possibilitatis, & essentia possibilis.
5. **SECUNDA CONCLUSIO.** Essentia possibilis, & possibilitas rei nondum existentis eo modo, quo sunt secundum illud esse conditionatum, quod habent, sunt identificatae cū existentia, ita vt eo modo, quo est illud esse rei possibilis, seu essentia sub conditione, sub eadem sit existentia. Probo hanc conclusionem: Essentia in statu absoluto posita est identificata cum existentia: ergo eademmet essentia in statu conditionato erit identificata cum existentia; & implicat enim ea quæ absolute existentia sunt identificata sub aliqua conditione reali non esse identificata, & hæc est legitima consequentia: rationale absolute existens est identificatum cum animali: ergo si rationale existat, existet identificatum cum animali, non enim diuersa concipiuntur prædicata in statu absoluto, quam in statu conditionato eiusdem rei conditionatæ existentis. Pendet huius conclusionis exacta probatio ex illo ante-

cedenti, esse simpliciter existentia actualis, seu rei possibilis est identificatum in statu absoluto cum existentia, quod conclusione immediatè iam trado, & ex professo probo.

TERCIA CONCLUSIO. essentia actualis, seu rei existens non dicit existentiam superadditam essentia, sed simplicissimam entitatem, in qua essentia, & existentia concipitur. Probo: modus existentia, quem contingit sententia oposta habet essentiam, & sua prædicata essentialia vt omnes admittunt. De hoc inquiri, an habeat essentiam distinctam à ratione formali, per quam existit, vel non? Si illam habeat, planè in infinitum abibimus: si non, sic arguo. Essentia illius modi non indiget essentia superaddita vt sit in tempore: ergo neque essentia hominis. Respondent auctores opposita sententia disparē esse rationem, quia ille modus est ratio existendi per suam essentiam, ac proinde non indiget modo superaddito, vt existat, sicuti præsentia non indiget modo superaddito, vt sit præsens: homo verò, & reliquæ entitates non sunt rationes existendi, ac proinde indigent alio modo. Contrà: ego intendo probare essentiam hominis esse suam formalissimam rationem existendi, & sic arguo à paritate illius modi: ille modus habet prædicata essentialia ab æterno eodem modo, seu in eodem sensu, ac illa habet homo, & eadem ratione, quæ verum est dicere, homo non existit in hoc tempore, in quo antecederet potuit existere; eadem ratione verum est dicere de illo modo, modus ille non existit in hoc instanti, in quo antecederet potuit existere: ergo idem est fundamentum ad concipiendum modum illum cum indifferentia ad existendum, & non existendum, ac ad concipiendum essentiam hominis cum indifferentia: ergo sicuti ex prædicatis indifferentibus inferimus essentiam hominis non esse rationem existendi, sed habere existentiam superadditam sic ex eadem indifferentia debemus inferre modum illum non esse rationem existendi, sed indigere existentia superaddita, aut melius inferre: hæc indifferentia non arguit rationem superadditam existendi, in modo illo, quem constituit opinio distinguens essentiam ab existentia: ergo neque illam arguet in ipsa essentia: ergo sine fundamento dicitur admissa, hac indifferentia quæ cūque illa sit, essentiam habere rationem existendi superadditam. Modum illi incipientem in tempore ab æterno habuisse suam essentiam eodem modo, quo dicitur illam habuisse hominem, sic probabo. Ideo dicimus hominem ab æterno habere suam essentiam, quia ab æterno est verum dicere, homo est animal rationale: & ideo dicimus ab æterno fuisse possibilem, quia quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci: sed similiter ab æterno fuit verum dicere, modus ille, & formalissima existendi ratio, & vltima essentia actualitas in quocumque instanti æternitatis potuit à Deo produci: ergo ab æterno habuit suam essentiam: ergo ab æterno fuit possibilis cum indifferentia ad existendum, & non existendum: ergo eadem ratione philosophandum est de ipsa essentia, ac de illo modo, casu, quo admittatur, quod probat modum illum admittendum non esse, quia si modus ille per se ipsum existeret, sic essentia per se ipsam de facto existit, & ita non indiget modo illo, vt fiat existens: ergo omnino superflue ponetur, cum tantum inuentus sit ad essentiam formaliter existentem constituendam.

Respondet P. Albert. in Prædic. substantia disput. 1. q. numero 34. essentiam existentem non habere esse actuale ab æterno, sicuti illud habet essentia lapidis, & ita essentia lapidis esse indifferentem antequam recipiat existentiam, vt illi habenti iam suum esse actuale adueniat, vel non adueniat existentia, quam indifferentiam non habet essentia illius modi, quæ non habet ab æterno aliquod actuale esse: reddit disparitatem; essentia, v.g. lapidis ait Albert. debet supponere aliquid ab æterno, ratione cuius non repugnet existere, quod non potest esse aliud præter esse actuale ipsius essentia, essentia verò existētia lapidis ex eo præcisè, quod supponat esse actuale essentia lapidis intelligitur non repugnans, quia per illud, esse formaliter constituitur lapis non repugnans ad existendum, quod est constitui non repugnans existētia lapidis, & ita necesse non est existentia lapidis supponere esse actuale propriæ essentia, vt supponatur formaliter non repugnans. Doctrinā huius solutionis latè impugnauit Puncto præcedenti, vbi probauit nullā essentia rei creatæ habere ab æterno aliquod esse actuale absolute. Secundò illam impugno, quia si essentia creaturæ necessarium esset illud esse actuale vt distingueretur à chimæra

à chimæra, & fieret ab æterno possibilis, illo etiam indigeret essentia illius modi, quæ non posset distinguî à chimæra, neque constitui non repugnans per esse actuale essentia distincta realiter ab illo modo, & ab illius essentia, quod sic probat. Essentia illius modi per se ipsam est non repugnans, & per se ipsam distinguitur à chimæra, quælibet enim entitas per prædicata essentialia, per quæ in se constituitur, in se distinguitur ab omni alio: ergo essentia modi non constituitur non repugnans, neque distinguitur à chimæra per aliquid realiter distinctum ab ipsa: ergo non constituitur non repugnans, neque distinguitur à chimæra per esse actuale essentia, quod realiter distinguitur ab essentia existentia, & ab ipsa existentia indistincta realiter à sua essentia.

8 Huic argumento putant RR. satisfecisse D. Thom. 1. p. q. 6. art. 3. ad 3. ex eo, quod dixerit bonitatem non indigere alia bonitate, ut sit bona, quia dicitur bona sicut & ens; hac autem ratione (sunt RR. verba) quia est, & aliquid non quia ipsa aliquo sit: unde hac ratione dicitur bona, quia est aliquid bonum, non quia ipsa habeat aliquam aliam bonitatem, quia sit bona, ita existentia est, ut quo aliquid est, non quia ipsa sit id, quod est.

9 Duo inuenio in hac solutione, primum est doctrina Angelici Doctoris, videlicet bonitatem non indigere alia bonitate, ut bona constitutur, sed per se ipsam esse aliquid bonum, quod ego eodem modo transfero ad existentiam, seu ad ipsum ex se actuale essentia, quod Thomista in esse actualis, & existentis dicunt constitui per aliquid superadditum, & intendo probari non posse transferri ad existentiam superadditam, quam Thomista assignant; Dicimus, actionem non indigere actione alia, ut dependeat ab hoc principio actiuo, quia per suam entitatem essentialiter ab hoc principio dependet, & nullam indifferentiam habet, ut dependeat ab hoc, vel illo, terminum verò dicimus dependere ab hoc principio media alia actione, seu causalitate, qua indifferentis est, ut hoc principio actiuo dependeat, & ita indiget determinatiuo superaddito. Sicuti de actione philosophamur de vnione, & sicuti de termino producto de extremo vnito; Eademque ratio, quæ de actione, & vnione dicitur non indigere alia actione dixit optimè S. Thomas bonitatem non indigere alia bonitate. Quod autem non possint Thomista ita discurre de existentia superaddita argumento ad homines desumpto sic probat.

10 Ne iterum reddas ad solutionem petitam ex eo quod sicut bonitas non indiget alia bonitate, nec actio alia actione, ita nec existentia alia existentia; argumentum instituo ad probandum modum illum à Thomistis assignatum, quam vocant existentiam, talem non esse, & contra eos instituo idem argumentum, quod ipsi formant ad probandum essentiam non esse sui existentiam, si enim valeret respondere modum illum esse existentiam, & ita non indigere alia existentia, sic etiam dicere valebit essentiam esse ipsam formalissimam existentiam sui physice loquendo, & ita non indigere alia existentia.

11 Respondebis: existentiam iam productam indifferentem non esse, ut existat ut *quo*, sed essentialiter, & necessario posse ipsam exercere suum munus constituendi essentiam formaliter existentem. Idem dico ego de essentia producta, seu de actuali, & iam constituta in eo statu, in quo Thomista asserunt subiacere existentia, de illa enim procedit questio, ut notant RR. Thomista non illa ut habentes solum esse obiectiuum, & puræ possibilitatis, in quo statu non est simpliciter ens, & differt à se ipsa iam producta, sicut id, quod non est ab eo, quod est.

12 Aliud, quod in hac solutione inuenio est existentiam non esse id quod est, neque esse ens, ut *quod*, sed ut *quo*, iuxta quam doctrinam asserunt Thomista existentiam esse modum essentia, & illius affectionem, & ita non habere essentiam distinctam à re illa cuius est existentia. Mirabilis entitas, quæ physice, & realiter ab alia distinguitur, non solum numericè, sed etiam specificè, essentia rei non distinguitur ab entitate physica rei, entitas enim physica, & essentia solum distinguuntur in modo significandi, quælibet enim entitas per se ipsam constituitur, & constitutum cuiusvis sue res, siue modus sit ab ipso non distinguitur: ergo si existentia hominis distinguitur ab essentia hominis, ita & constitutum essentia hominis ab ipsa hominis essentia distingui debet: ergo eandem distinctionem habet essentia existentia, quæ ab illius

Francisc. de Oueda, Philosoph. tom. 1. l.

constitutiuo non distinguitur: Neque ex eo quod sit modus essentia inferitur non habere essentiam, quia essentia existentia bene valet concipi modus.

Eandem conclusionem à priori probat P. Soar supra, & ex illo recentes omnes: non potest aliquid constitui intrinsecè, & formaliter in ratione entis per aliquid ab illo distinctum: ergo non potest essentia hominis, v.g. constitui formaliter ut ens simpliciter per existentiam ab illa distinctam. Consequentia est legitima: probat antecedens, & procedat argumentum. Quidquid distinguitur ab alio distinguitur tanquam ens ab ente: ergo utrumque extremum, ut condistinctum ab alio est ens: ergo non constituitur per aliud in ratione entis. Confirmatur: nihil potest distinguî in ratione talis per illud, à quo non constituitur in ratione talis: ergo non potest ens in ratione entis distinguî per illud, à quo in ratione entis distinguitur: ergo ens non constituitur in ratione entis per illud, à quo in ratione entis distinguitur. Ex hoc antecedenti redeo ad consequens primò illatum: ergo essentia hominis non potest constitui in ratione entis simpliciter per existentiam ab illa distinctam. Pergo ulterius: ergo neque in ratione existentis. Probo consequentiam: ens simpliciter, & existens formalissimè sunt idem: ergo quod non constituitur per aliud distinctum in ratione entis simpliciter, non potest per illud in ratione existentis constitui. Consequentia est legitima: Antecedens latè probaui Punct. præcedenti tum ratione, tum autoritate Philosophi, Doctoris Angelici. Memineris, quæ tradidi de ente purè possibili non existente, quod dixi non esse ens simpliciter, neque de illo posse dici quod sit sed quod esset.

Tertiò probatur eadem conclusio. Essentia actualis Petri existentis, ut condistincta ab existentia superaddita, quam illi impingit opinio, contra quam agimus est ens creatum, & productum: ergo ut distincta ab existentia superaddita terminat actionem, ex vi cuius producit: ergo ut distincta ab illo modo constituitur existens. Probo consequentia: eo ipso quod illud supponebatur possibile terminet actionem præcise ex vi actionis recipit esse, & constituitur formaliter extra causas, & ex vi actionis extrahitur ab esse potenciali, seu virtuali, quod habebat in causis ad proprium suum esse: ergo ex vi actionis, quam terminat, constituitur condistinctum ab ente purè possibili, & formaliter existens, quia formaliter existere tantum importat habere esse formaliter in se, esseque constitutum extra causas, & condistinctum ab ente possibili. Essentiam hominis, ut condistinctam ab existentia, debere terminare actionem probatur efficaciter ex eo, quod sit aliquid reale distinctum à Deo, quidquid enim est, & non est Deus, est dependens à Deo per veram actionem, & ab illo productum, ut probabam Puncto præcedenti Patrum autoritate & ratione à priori; tum etiam ab inconuenienti, quia sequeretur humanitatem Christi existentem per existentiam Verbi in opinione illorum, qui distinguunt essentiam ab existentia, nullâ ratione posse dici creatum, neque dependentem à Deo tanquam à causa efficienti, cum Verbi existentia, per quam existit, creata non sit, neque à Deo dependens in genere causæ efficientis, ac proinde si natura Christi secundum suam essentiam, non dependet; neque secundum existentiam dependebat à Deo in genere causæ efficientis.

Obijciunt primò Thomista: Deus solum existit per suam essentiam: ergo creatura existit per modum superadditum ab essentia distinctum. Retorque argumentum ad ipsam existentiam, quam dicunt Thomista existere per se ipsam, & per suam essentiam eo modo, quo nos dicimus existere essentiam quam illi à modo existendi distinguunt. Resp. Deo esse essentialiter existentiam ab æterno, & in æternum, ita ut non potuerit non existere, quod nulli creatura conuenit, quia quælibet potuit antecedenter non existere in illa mensura, in qua existit, & de facto per totam æternitatem non existit, in quo sensu tantum Deus dicitur existens per essentiam, hoc est, existens indefectibiliter & non potens neque antecedenter in aliqua mensura non existere. Alius verò modus existendi defectibiliter per suam entitatem, seu per suam essentiam in illa mensura, in qua contingenter existit, non est supra perfectionem creatura, potius omni creatura, quæ de facto existit, competere necesse est. Instabis: implicat existentiam conuenire entitati creatæ per suammet entitatem, & per suam essentiam, & conuenire

contingenter, posseque illi aliquando non conuenire: ergo si creatura existit per suam entitatē, & per suam essentiam, implicat illi contingenter conuenire existentiam, & posse hanc ab illa separari. Respond. duplici modo posse intelligi formam aliquam contingenter conuenire subiecto, & posse ab illo separari. Primum si supposito subiecto, subiectum illud quod realiter est, in illa mensura in qua est, possit esse realiter priuati tali formā, & esse sine illa. Secundum si forma tantum possit non conuenire subiecto, seu separari ab illo, in illa mensura, in qua subiectum non est, ita ut tantum deficiente subiecto possit illi deficere forma, quod proprie non est posse separari formam à subiecto, seu subiectum à forma, quia separari hoc ab illo dicit hoc esse sine illo, quod importat esse positum huius, & negationem illius, ut afficientis hoc: quando verò utrumque extremum definit esse neutrum ab alio separatur, neque potest illorum aliquid dici separatim, aut coniunctum, quia quod non est, neque est separatim, neque coniunctum. Prior separationis modus opponitur cum forma, quæ conuenit subiecto per propriam huius entitatem, seu essentiam, & conuenire non potest existentie rei creatæ respectu essentia, quam afficere dicitur, quia eo ipso quod physice & realiter datur essentia hominis: datur illius existentia. Posterior separationis modus, quem dixi proprie non importare separationem potest conuenire formæ creatæ, etiam si hæc subiecto per suam essentiam conueniat, quia potest deficere tale subiectum, & consequenter essentia subiecti, & totum illud, quod subiecto conuenit per suam essentiam. Hoc posteriori modo potest separari existentia creatæ ab essentia, à qua non distinguitur, non tamen existentia diuina à propria essentia, quia cum implicet deficere essentiam diuinam, & actu non esse, implicat existentiam deficiente essentia deficere, & potiori ratione non deficiente essentia, quia id etiam conuenit cuicumque existentie creatæ, quæ non potest deficere dum permanet essentia creatæ, licet possit deficere simul cum eadem essentia, cuius dicitur existentia, corrupto enim ligno tam illius essentia, quam existentia definit esse. Instabis: essentia sunt ab æterno, & indefectibiles: ergo existentia definit esse permanente essentia. Respondeo nullam essentiam creaturæ, neque aliquod prædicatum illius physice fuisse ab æterno, aut esse indefectibile, sed omnia physice fuisse in tempore, & posse deficere secundum esse reale. Dicuntur autem esse ab æterno obiectiue, & conditionaliter modo explicato Puncto præcedenti num. 12. ubi dixi quid importent propositiones, quas æternæ veritatis vocamus.

16 Obiicies secundò: Essentia Petri existentis, quæ nunc est, est eadem cum essentia ipsius Petri, quæ fuit ab æterno, sed existentia Petri distinguitur ab essentia ipsius Petri, quæ fuit ab æterno: ergo distinguitur ab existentia, quæ nunc est. Retorque argumentum ad Thomistas in essentia modi existendi, quæ fuit ab æterno sine existentia talis modi. Respondeo essentiam Petri nunc existentis non esse eandem cum existentia Petri, quæ fuit ab æterno, non quia sit distincta, sed quia ab æterno non fuit essentia Petri, & implicat aliquid esse idem cum illo quod non est. Eadem ratione minorem nego, videlicet existentiam Petri distingui ab essentia Petri, quæ fuit ab æterno, quia, ut iam dixi, essentia Petri non fuit ab æterno. Itaque sicut fieri non potest argumentum: existentia Petri non fuit ab æterno identificata secum ipsa: ergo modo non est secum ipsa identificata, quia non habuisse ab æterno identitatem secum ipsa, ex eo tantum est, quod non fuerit ab æterno: ita non potest fieri argumentum: existentia Petri non est ab æterno identificata cum essentia Petri: ergo modo non est identificata cum essentia Petri, quia ex eo præcisè non fuit ab æterno hæc identitas, quia neque ipsa existentia, neque essentia Petri fuerunt ab æterno, ita ut si ab æterno fuisset essentia Petri, ab æterno fuisset ipsius existentia cum essentia identificata.

17 Obiicies tertio: Petrum existere hodie, & existere cras, non sunt idem, quia possunt separari: ergo existentia hodierna distinguitur ab existentia crastina: ergo Petrus non habet eandem existentiam hodie, ac habebit cras; & tamen habet eandem essentiam: ergo essentia distinguitur ab existentia. Resp. existere hodie Petrum, & existere cras, distingui, non per existentiam, quæ est hodie, & quæ erit cras, sed per durationem illi superadditam siue intrinsecā, siue extrinsecam. Existere enim hodie est quoddam concretum, quod super existentiam addit durationem hodie-

De existentia & possibilitate entis.

nam, & existere cras est concretum, quod supra eandem existentiam addit durationem crastinam, & cum hæc durationes distinguuntur, distinguuntur concreta ex vi illarum non per subiectum, sicuti existere Petrum Matriti, & existere Toleti distinguuntur, non per distinctionem existentie, quæ est eadem Matriti, & Toleti, sed per præsentiam, quam dicit existere Matriti distinctam ab illa, quam dicit existere Toleti, seu hoc concretum existens Toleti.

Obiicies quartò: Relatio transcendentalis effectus, seu causæ respicit terminum, ut possibile, & non ut existentem: ergo possibilitas distinguitur ab existentia. Probo consequentiam. Possibilitas necessariò terminat relationem, & non existentia: ergo distinguuntur, aliis eadem entitas terminaret, & non terminaret. Eodem modo potest retorqueri argumentum: effectus respicit existentiam causæ ut possibile, & non ut existentem: ergo existentia distinguitur à sua possibilitate, & sic in infinitum abibimus. Resp. hoc argumentum opportunius fieri ad probandum non dari relationes transcendentales in causis ad suos effectus, vel illas non terminari ad possibilitates puras effectus, sed etiam ad illorum existentias, quàm ad probandum essentiam ab existentia distingui: expendam hoc argumentum Contr. 10. Punct. 6. ubi probabo causas transcendentales referri non ad possibilitatem effectuum ab existentia præcisi, sed ad formalissimam rationem existendi.

Obiicies; existentia est accidens respectu essentia: ergo ab illa distinguitur. Confirmatur, hæc propositio *Petrus est rationalis est essentialis*, & hæc propositio *Petrus est existens*, est accidentalis: ergo prædicata realiter distinguuntur, implicat enim idem esse essentiam, & accidens respectu eiusdem subiecti. Respondeo; existentiam esse accidens prædicabile respectu Petri, non tamen accidens prædicamentale, ut patet in hac propositione *Petrus est sensibilis*, quam dicunt omnes pertinere ad quantum prædicabile, & omnes qui asserunt potentias non distingui ab anima asserunt rationale, & sensibile identificari. Quod autem hæc propositio *Petrus est rationalis sit essentialis*, & accidentalis ista *Petrus est existens sit accidentalis* non arguit distinctionem realem prædicatorum, sed distinctionem modum prædicandi, & distinctam significationem copulae est in prædictis propositionibus, quia in hac propositione *Petrus est rationalis* copula est habet significationem diminutam ratione prædicati adiuncti, ut contingit in omnibus propositionibus æternæ veritatis, in hac vero *Petrus est existens* copula est sumitur in rigorosa, & propria illius significatione, & ita accidentalis dicitur ex eo quod sit contingens Petrum esse, aut non esse, & sicut contingens est Petrum esse, sic contingens est Petrum esse rationalem, nam quod non est non est rationale.

PUNCTUM III.

An essentia distinguatur ab existentia formaliter per rationem.

Existentiam rei instar accidentis concipi respectu causæ essentia, & esse accidens metaphysicum illius est certum apud omnes Scholasticos, qui propositiones has *Petrus est existens*, & *homo est existens*, ad quantum prædicabile reducant, & non illis æternam tribuant veritatem, sicuti tribuitur huic propositioni *Deus est existens*, quo sensu omnes dicunt existentiam Deo essentialiter competere, & accidentaliter omni creaturæ, quia Catholici affirmant Deum ita existere, ut nullo euentu posset non existere, & creaturam de facto existentem potuisse antecederet non existere. Hinc fit ex parte actus seu ex modo concipiendi omnes teneri distinctionem aliquam assignare inter essentiam, & existentiam creaturæ, quam inter existentiam, & essentiam Dei non teneantur concedere, in quo sensu verum est, quod ait P. Soar supra n. 16. docuisse omnes Theologos, videlicet distinctionem rationis inter essentiam, & existentiam reperi, quam nullus non admittit. Verum idem Soar. ibid. asserit distinctionem hanc non ab omnibus eodem modo explicari, quapropter iure querimus, an hæc distinctio sit tantum ex diuerso modo significandi eandem formalitatem, ita ut tota illa consistat in modo cognoscendi, vel an ex parte obiecti appareat aliqua formalitas in cognitione terminata ad existentiam, quæ non appareat in cognitione ter-

minata ad essentiam. Difficultas hæc præcipue locum inuenit in opinione, quæ præcisiones obiectiuas admittit, quam modò suppono ad formalitates essentia, & existentia iuxta sententias omnium exactius explicandas.

2 Plerique Doctores non multum curantes de modo, quo essentia ab existentia distinguatur supponere videntur essentiam, & existentiam ex parte obiecti per rationem distinguere, diuersasque formalitates attingi ex parte obiecti essentia, & existentia conceptu, quod fert communis omnium sententia.

3 Ingeniosius admodum, & acutus semper Aureolus docuit in 1. distinct. 8. q. 1. art. 4. proposit. 3. & quest. 4. art. 2. 5. est ergo intellectum nostrum nullam distinctam formalitatem præcendere inter essentiam, & existentiam, & non correspondere duplex conceptibile, seu duplicem rationem obiectalem, sed eandem simplicem, quando concipimus in creaturis essentiam, & esse, & tantum tunc reperiri duplicem concipiendi modum. Hanc fuisse Scoti mentem non leuiter indicant illa, quæ ex eodem Scoto refert Soar. supra n. 19. & quod magis est, idem videtur sentire D. August. lib. 12. de Ciuit. Dei, cap. 1. & lib. 2. de morib. Manich. c. 2. cuius verba refert idem Soar. tenent eandem sententiam Licher. & Gabr. apud Soar. ibidem, qui non parum in hanc sententiam inclinatur n. 23. ubi asserit posse dici existentiam esse de essentia creaturæ actu constitutæ, seu creatæ ut talis est. Hanc sententiam amplectuntur P. Hurt. disp. 8. Metaph. sect. 3. §. 72. & Arriaga disp. 2. sect. 4. & ferè omnes bonæ notæ recentes. Sit

4 PRIMA CONCLUSIO. Essentia actualis formaliter ut actualis, non distinguitur ab existentia, neque ex parte actus, neque ex parte obiecti: Ratio est facilis: existentia ex parte obiecti est, & ex parte actus apprehenditur vltima actualitas: ergo essentia dicens actualitatem dicit existentiam, & idem est formaliter adhuc respectu intellectus, ens actuale, ac ens existens, & essentia actualis, ac essentia existens. Confirmatur: id per quod ens essentialiter constituitur actuale est actualitas: sed actualitas est formaliter existentia: ergo ens, & essentia constituuntur actualia per existentiam: ergo non possunt cognosci, ut existentia, quin ex parte obiecti, & ex parte actus existentia cognoscatur, quia nihil potest cognosci ut tale, quin ex parte actus cognoscatur illud, per quod constituitur. Dixi non distinguere adæquate, quia inconueniens non est ex parte actus distinguere essentiam actualem ab actualitate inadæquate, tanquam includens, & inclusum, quia potest intellectus ex parte actus apprehendere essentiam actualem ut quoddam concretum resiliens ex essentia cognita eo modo, quo cognoscitur ab actuali, & possibili, & ex actualitate, seu existentia. Confirmatur: ens nondum existens non est simpliciter ens, sed tantum obiectiue, seu conditionatè: ergo ad hoc ut intelligatur ens simpliciter, debet actu intelligi existens: ergo ratio formalis entis simpliciter, & actu, quod tantum dicitur esse ex parte actus, & ex parte obiecti, est ratio existentis, idemque formalissimè importat ens actu, & existens: ergo idem formalissimè importat essentia actualis, & existentia: ergo essentia, quæ formaliter, & actu non tantum esset, sed est, est formaliter existentia, quæ non tantum esset, sed est, & essentia possibilis, quæ tantum dicit essentiam quæ est obiectiue, & physicè esset, dicit existentiam, quæ est obiectiue, & physicè esset. Confirmatur: ens in potentia, seu ens possibile dicit ens per propria prædicata essentialia non repugnans existere, seu capax existendi: ergo ens in actu dicit ens actu existens absque aliquo intrinseco superaddito propriis prædicatis, quæ concipiuntur capacia existendi, siquidem ipsa capacia per se ipsa fuerant præconcepta terminandi formaliter per se ipsa actionem, ex vi cuius producerentur, quod est formaliter per se ipsa existere: ergo ens possibile, seu essentia possibilis non distinguitur ab existente possibili, seu existentia possibili, & ens in actu non distinguitur ab existentia in actu. Ens possibile voco, quod abstrahit à purè possibili, & existenti, quia ens purè possibile ut purè possibile, connotat negationem entis existentis, quæ contradictoriè seu priuatiue opponitur cum ente simpliciter existenti, & cum illius existentia. Libentius dico prædicata essentialia creaturæ absque vilo intrinseco realiter, aut per rationem superaddito existere, quando de facto existunt dependenter à causa prima, quam entitatem creatam existere per suam essentiam, quia hic loquendi modus æquiuocationem parere potest, quæ cauenda semper est, sæpe enim, existere per

Francisc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 1. 1.

essentiam sonat, existere indefectibiliter omnino antedecenter necessariò, & independenter ab omni alio, quod proprium est Dei, & nulli potest creaturæ competere, licet quando de facto existit, existat formaliter per proprium suum constitutum, quod non distinguitur à sua essentia, quia quidquid est in creatura actuali quantumvis sit illius constitutum, & propria essentia, per se ipsum terminat actionem, quæ producit, quod est per se ipsum existere, quia actu existere, seu simpliciter esse, & existere creaturæ formaliter dicit esse terminum actionis, ex vi cuius producit.

5 SECUNDA CONCLUSIO. Essentia actualis, & ipsa formalis existentia non distinguitur formaliter, & ex parte obiecti ab essentia possibili abstrahente à purè possibili, & existenti. Sit ratio: Si inter existentiam actu exercitam, & essentiam ut possibilem distinguerentur formalitates, eodem modo essent distinguishendæ inter existentiam, ut actu exercitam, & eandem ut possibilem præcisè, seu inter existentiam actu exercitam, & essentiam eiusdem, ut possibilem præcisè, & sic in infinitum procederetur. Secundo efficacius: Nulla formalitas est actu existens, quæ non sit possibilis, & præcesserit in illo priori potentia Logica ad existendum: ergo nulla formalitas est actu existens, quæ non includatur in eadem entitate ut possibili, seu nulla formalitas est in ente actu existente, quæ formaliter per se ipsam non sit possibilis. Rursus nulla formalitas concipitur in ente possibili, quæ non concipiatur existens, quando illud ens concipitur existens: ergo neque ens possibile dicit aliquam formalitatem, quam non dicat existens, neque vllam dicit existens, quæ in eodem ut possibili non cognoscatur: ergo ens ut existens, & ut possibile præcisè non distinguuntur per formalitatem aliquam, quæ cognoscatur in vno, & non in altero.

6 Confirmatur: quando Deus cognoscit creaturam possibilem indifferentem ut producatur, vel non producatur, vel cognoscit omnes formalitates, quæ postea sunt in ipsa iam existenti, & producta, vel non: Si cognoscit omnes formalitates, infertur creaturam possibilem, seu in statu possibilitatis constitutam includere ex parte obiecti omnes formalitates, quas eadem dicit existens: ergo creatura existens nullam addit formalitatem supra illam, ut possibilem. Si dicas in creatura possibili non cognosci à Deo omnes formalitates, quæ sunt in eadem creatura iam existenti, sequitur formalitatem illam non cognitam in creatura possibili repertam in creatura existenti, fuisse à Deo productam, quin cognitio illius formalitatis productionem eiusdem præcesserit. Dicendum ergo est Deum cognouisse in creatura possibili formalitates omnes, quas in existenti cognouit, quod ex libertate, quæ Deus quacumque creaturam secundum omnia, quæ dicit intrinsecè producit, manifestè infertur.

7 Obiic. Existentia concipitur tanquam accedens superueniens essentia illi, quæ præcendebat ab actuali, & possibili: ergo ab illa distinguitur ex parte obiecti. Nego consequentiam, quia sæpe plura, quæ tantum ex parte actus distinguuntur concipimus ut passionem illorum, à quibus non distinguuntur ex parte obiecti, ut contingit in vnitatem, quæ est passio respectu entis, & in communi sententia ab illo non distinguitur ex parte obiecti.

8 Obiic. secundo: A parte rei existentia tantum identificatur cum essentia actuali: ergo ex parte obiecti non potest cum alia essentia identificari, nego consequentiam, quia à parte rei non datur essentia præcendens, & ita non potest à parte rei distinguere, neque identificari essentia præcendens, per intellectum tamen datur essentia præcisa ex parte actus ab existentia, & à negatione illius, & ita potest in illo statu, in quo concipitur præcisa dici identificata essentia, quia ex vi illius actus cognoscitur idè formale obiectum, quod per actum terminatum ad essentia actualem cognoscitur.

PUNCTUM IV.

Magis explicatur eadem sententia, & incidens explicatur difficultas de obiecto scientia visionis, & simplicis intelligentia.

1 EX his principiis grauis deciditur questio acriter inter Theologos exagitata de distinctione obiecti scientia simplicis intelligentia, & visionis Dei, & de distinctione harum

harum scientiarum, quam in nostris gymnasiis natam fuisse & adultam testatur P. Heric. tract. de scientia Dei disp. 9. c. 2. Ne recens Philosophus Theologicis terminis perturbetur mente teneat scientiam simplicis intelligentiæ in Deo dicere cognitionem terminatam ad obiectum possibile, & scientiam visionis in eodem appellari cognitionem ad obiectum iam existentem terminatam. Ex quo fit idem esse inquirere quomodo differant obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ, & scientiæ visionis, ac inquirere, quomodo differant obiectum cognitionis, quæ cognoscitur ens possibile, & obiectum scientiæ, quæ idem ens iam existens cognoscitur, quod tandem est idem, ac querere quomodo differant obiectum possibile, & existens, quia cum Deus cognoscat obiecta ut sunt in se, & ratione different obiecta cognitionis terminatæ ad rem possibilem, & cognitionis ad eandem existentem terminatam, quæ res possibilis & existens differunt. Ex quo inferes ex principiis purè Philosophicis decidenda esse quæstionē de distinctione obiectorum scientiæ visionis, & scientiæ simplicis intelligentiæ, & sequē omnino eandem cum illa, quam modò tractamus, quomodo videlicet differant res possibilis, & eadē existens.

2. Vulgaris sententia fert per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiectum secundum suam naturam, & secundum propria prædicata essentialia, & non secundum existentiam. Ratio huius sententiæ est per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiectum indifferens ad existendum, & non existendum, ex quo videtur inferri non cognosci ut existens, quia obiectum quatenus existens non est indifferens ad existendum, & non existendum. Peccat hæc sententia, quia non explicat quomodo natura, seu prædicata essentialia obiecti terminent cognitionem Dei, & non eandem terminet existentia eiusdem obiecti cum eadem natura realiter identificata, cum obiectiva præcisio circa obiecta identificata secundum veriorē sententiam admittenda non sit adhuc in cognitione creata, & in cognitione diuina, de qua agimus nullo modo liceat admitti. Secundò, quia, ut dicebam supra, nulla formalitas potest reperiri in creatura existenti, quam Deus prius natura, quam existeret, non præconcepit ut possibilem: ergo scientia visionis non terminatur ad formalitatem aliquam, ad quam non terminetur scientia simplicis intelligentiæ.

3. Affirmant alij scientiæ visionis, & scientiæ simplicis intelligentiæ cognosci eandem formalitatem, in diverso tamen statu, quia per scientiam visionis videntur secundum exercitium actuale, secundum quod scientia simplicis intelligentiæ non videntur. Hic dicendi modus impugnationem præ se fert, quia status ille, & illud actuale exercitium, vel distinguitur ab obiecto cognito, ut possibile, & existenti, vel non distinguitur: si distinguitur, iam scientiæ visionis cognoscitur aliquid obiectum existens non præcognitum scientiæ simplicis intelligentiæ: si non distinguitur, necessariò terminabit scientiam simplicis intelligentiæ, quam terminat obiectum cum illo modo identificatum.

4. Respondent alij per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci obiecta ut non entia, & per scientiam visionis eandem ut entia cognosci. Contrà: per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscitur obiectum ut ens, & per scientiam visionis cognoscitur ut non ens: ergo non secundum eandem formalitatem utraq; scientiæ obiectum cognoscitur. Secundò cognoscere obiecta ut non entia, vel dicit cognosci negationes obiectorum, vel dicit cognosci obiecta cum connotatione ad negationes. Non prius, quia cognitio negationis distinguitur à cognitione obiecti, seu quia negatio cognita ad habitum cognito distinguitur non posterius, quia cognoscere obiectum cum connotatione ad negationem est cognoscere obiectum, & negationem, illud in recto, & hanc in obliquo, & eadem redit quæstio, quidnam sit obiectum illud in recto cognitum, quod connotat negationem. Vltimò: in illo statu obiectum est indifferens ad negationem, & ad sui existentiam, hoc est, ad existendū, & non existendum: ergo in illo statu non connotat negationem: ergo in illo statu non cognoscitur cū connotatione ad negationē.

5. Noster Heric supra citatus tenet idem obiectum secundum eandem rationem formalem utramque cognitionem simplicis intelligentiæ, & visionis terminare cum diverso tamen connotato: nam Petrus, v. g. cognitus scientiā simplicis intelligentiæ connotat suam causam indifferenter ad productionem, & ad negationem productionis. Hæc sententia eandem patitur difficultates, quas contra præcedentem expendimus, quia causa in actu secundo determinatur

per actionem ab illa procedentem, neque determinatio causæ dicit in causa aliquid illi intrinsicum: ergo ad hoc ut intelligatur causa in actu secundo determinata debet intelligi actus secundus, seu actio iam existens, quæ tantum nata, sed indifferens. Dicit ergo noster Heric, quid intelligatur in ipsa actione quando absolute intelligitur existens, & iam determinans in actu secundo virtutē causandi, quod non in eadem actione intelligitur, cum concipitur tantum rem causæ. Confirmatur, & declaratur: causa indeterminata dicit entitatem causæ, & actionem possibilem: ergo tota differentia reperta inter causam determinatam, & non determinatam sumenda est ex differentia, quæ reperitur inter actionem existentem, & actionem possibilem: ergo explicandum est quomodo differant obiectum cognitionis, quæ cognoscitur actio existens, & obiectum cognitionis, quæ cognoscitur actio possibilis, ut explicetur quomodo differant obiectum cognitionis, quæ cognoscitur causa determinata, & obiectum cognitionis, quæ eadem causa indifferens cognoscitur.

Huic difficultati huc usque satisfactum non fuisse docet Heric supra n. 13. & Alarcon Mineral non tribolare illam explicanti se daturum promittit, fatetur enim se nunquam percipere potuisse quomodo hæc obiecta differant, quòdve discrimen inter obiectum possibile, & idem iam existens reperitur.

Noto pro solutione huius difficultatis existentiam formalissimam rei, & eandem existentem cum eisdē circumstantiis, quas hic & nunc habet, dum existit, posse cognosci per iudicium, quo dicit intellectus, hæc existentia, seu hoc obiectum existens de facto datur à parte rei, cum his omnibus circumstantiis, eandemque existentiam, seu idem obiectum existens posse cognosci cognitione, quæ dicit intellectus, hoc obiectum, quod apparet existens cum omnibus his circumstantiis non est illatum contradictionis, quod iudicium æquivaleret huic: si hoc obiectum de facto existeret cum omnibus circumstantiis, quibus obicitur, existeret absque vlla contradictione, est etiam æquivalens iudicio, quo dicit intellectus, hoc obiectum potest produci ab omnipotentia absque vlla contradictione. Per hæc tria iudicia, quæ æquivalentia esse dicimus, etiam obiectum cognoscatur ut existens, & ratio formalissima existentie, non affirmatur illud obiectum existens dari de facto à parte rei, sicuti iudicatur per duo illa priora. Dari hæc iudicia respectu cuiuslibet obiecti possibilis probatione non indiget, est enim per se notum, ut quilibet rem attentè contemplanis deprehendat.

Insuper noto, quod certissimum est videlicet Deum cognoscere omnia obiecta cognoscibilia omni modo, quo possunt cognosci absque vlla cognoscentis imperfectione. Ex quo infero, Deum modò cognoscere Ioannem existentem, & Petrum non existentem actu quodam, quo dicit de Ioanne, qui de facto existit: si Ioannes existeret, existeret absque vlla contradictione, quod est idem ac dicere, si velim Ioannem producere, Ioannes existeret absque vlla contradictione, est idem ac dicere Ioannes est obiectum meæ omnipotentie; eadem ratione de Petro, qui non existit, idem enunciat, de utroque enim æquè verum est dicere: si existat, existeret absque vlla contradictione, &c. Ex vi horum actuum certum est non iudicare Deum de facto existeret Ioannem, qui de facto existit, neque non existeret Petrum, qui de facto non existit, quia actus illi sunt de obiecto conditionato, quod nihil ponit in esse. Deinde cognitio, quæ Deus dicit Ioannes existit, & cognitio, quæ dicit Petrus non existit, supponunt decreta libera Dei, quibus decrevit Ioannem existeret, & Petrum non existeret: cognitio verò, quæ dicit: si Ioannes existeret, existeret absque vlla contradictione, nullum connotat decretum liberum Dei absolute existens: ergo ex vi cognitionis, quæ dicit Deus: si Ioannes existat, existeret absque vlla contradictione, non dicit absolute Ioannem existeret, etiam si cognitio illa ad existentiam terminetur.

Ex his infero scientiam visionis, & simplicis intelligentiæ non distingui ex parte obiecti, ut probant rationes supra factæ, distingui tamen ex modo, quo idem obiectum formalissimum cognoscitur, quia per scientiam visionis cognoscitur obiectum existens actu quodam, quo dicitur hoc obiectum datur à parte rei, & simpliciter est existens, scientiā verò simplicis intelligentiæ cognoscitur actu, quo tantum

tū dicitur hoc obiectum existens ex se non est illatum contradictionis, seu obiectum existet abque vlla contradictione, si existat, quem actum, & alios illi æquivalentes, seu eundem alio modo significatum suprà explicui. In hoc ergo actu affirmo consistere scientiam simplicis intelligentiæ, qui dicit iudicium quoddam, quod Deus fert de omni obiecto possibili, & quod necessum est præcedere omne decretum producendi quamcumque creaturam, vt Deus cognoscat creaturam, quam vult producere, & ita liberè illam producat, vt antequam dicat, volo producere hunc effectum illum discernat ab aliis, quæ contradictionem inuoluunt, ne frustra, & improuidè decernat aliquod obiectum in se repugnans, & illius decretum ex repugnantia obiecti irritum fiat, quod contingere manifestam inuoluit implicationem.

10 Diximus non distingui obiectum primarium scientiæ visionis, & scientiæ simplicis intelligentiæ, quia si quis contendat iudicium hoc, si Petrus existat existet abque vlla contradictione respicere tanquam obiectum primarium Petrum existentem, & tanquam obiectum secundarium negationem contradictionis, quam Petrus non inferret, quam contradictionis negationem, neque vt obiectum secundarium respicit iudicium, quo absolute dicitur Petrus existit, non multum de hac re contendendum est, quam non sine fundamento dici existimo.

11 Obiicies: apprehensio visionis, & apprehensio simplicis intelligentiæ distinguuntur: ergo scientia visionis, & scientia simplicis intelligentiæ distinguuntur independentè à modo, quo Deus iudicat de obiecto cognito per vtramque scientiam. Resp. in Deo non dari simplices apprehensiones, sed intuitiva iudicia, quibus omnia cognoscit eo modo, quo sunt, & omni modo, quo sunt cognoscibilia.

12 Obiicies secundò: multa sunt possibilia cognita scientia simplicis intelligentiæ, quæ nunquam existunt: ergo non potest Deus cognoscere horum existentias: ergo scientia simplicis intelligentiæ non terminatur ad existentiam horum possibilibum. Confirmatur: scientia Dei terminatur ad obiectum quod est: sed non est existentia horum possibilibum ergo scientia Dei non terminatur ad illorum existentiam, sed tantum ad possibilitatem. Concesso primo antecedenti distinguo primum consequens: scientia Dei non potest terminari ad existentiam possibilibum, quæ non erunt, actu, quo dicat hæc existentia est, aut erit in rerum natura, concedo consequentiam: actu, quo dicat esse sine contradictione, si de facto esset, seu hæc existentia non est illatua contradictionis, nego consequentiam. Ad confirmationem respondeo Deum tantum cognoscere existentias eorum, quæ sunt actu, quo dicat absolute existere cognoscere tamen existentias possibilibum, quæ non sunt, aut erunt, actu, quo dicit, hæc existentia non est illatua contradictionis, seu hæc existentia daretur in rerum natura abque vlla distinctione, si ego vellem illam producere, &c.

13 Obiicies tertio: Diuersus modus tendendi prouenit ex diuersitate obiecti: ergo si obiectum non est diuersum, modus tendendi non poterit esse diuersus. Distinguo antecedens: diuersus modus adequatus tendendi in obiectum prouenit ex diuersitate obiecti, transeat antecedens: diuersus modus inadæquatus tendendi, nego antecedens, quia idem obiectum est cognoscibile per varios actus quibus veritates diuersæ de illo enuntiarì possunt, & ita circa idem obiectum potest dari actus, quo Deus iudicat existere tale obiectum, qui actus erit scientia visionis, & inadæquatus modus tendendi in tale obiectum, quia potest Deus in illud tendere actu, quo non dicat existere, sed quod existeret.

41 Obiicies quartò: Actus quo Deus cognoscit existentiam Petri esse obiectum omnipotentis, non solum fertur in existentiam Petri, quæ esset, seu in Petri possibilitatem, sed etiam in ipsam omnipotentiam absolute existentem. Resp. illum actum in recto respicere existentiam Petri, quæ in omnipotentia continetur, & in obliquo ipsam omnipotentiam, quod inferendum est ex eo, quod non possit cognoscere existentiam Petri in omnipotentia, quin eodem actu tangatur omnipotentia, de quo non disputo, ex quo ad summum poterit inferri actum illum non esse simplicis intelligentiæ, quatenus fertur in omnipotentiam, quod libenter admittam, non tamen licet inferri non esse simplicis intelligentiæ respectu existentie Petri, quia idem actus attingens duplex obiectum potest dici scientia visionis respectu vnus, & scientia simplicis intelligentiæ respectu alterius.

Pura quæ de existentia disputantur iuxta nostra principia vix quæstioni materiam præbent: breuiter singula percurram.

Primò inquiri solet quid perfectius sit an essentia, an existentia. In nostra sententia comparatio hæc fieri nequit, cum idem sit essentia, & existentia, & idem se ipso neque perfectius, neque imperfectius est. In Thomistarum sententia præterit non nemo maiorem perfectionem existentie tribuere, quam essentia, quia hæc est potentia, illa est actus. Sto pro essentia, cui maior perfectio necessariò danda est, quia est principium omnium operationum, radix passionum, & proprietatum; quod si essentia non existenti nulla debeatur operatio, nullaque existens proprietates, tantum probat existentiam esse conditionem, sicuti approximatio ad agendum in passum, quod non arguit maiorem existentie perfectionem, quia operatio non debetur nisi potentia applicata, & nihilominus metimur per operationes perfectionem virtutis, & non applicationis, operatio enim substantialis, seu ad substantiam terminata arguit principium productuum intrinsecè substantiale, & non arguit applicationem substantialem, sed accidentalem, quia omnis approximatio rerum creaturarum dicit ipsarum præsentias, quæ accidentales sunt. Ratio pro opposita sententia adducta nullius est momenti, sunt enim plures actus imperfectiores potentia, quam actuant: intellectio accidentalis est actus animi rationalis, quo longè imperfectior est, & intra idem substantie genus substantia est actus naturæ Angelicæ, & hæc multum illius perfectione excedit.

Docuit aliquando Bañez apud Hurtad. disp. 6. sect. 5. §. 8. existentiam neque esse substantiam, neque accedens, quod omnes nec dempro Bañez, qui postea sententiam hanc retractauit meritò impugnant. Neq. solum grauius peccat in Philosophia modus iste, dicendi sed etià in Theologia non sine scrupulo potest procedere, ex illo enim inferitur contra Concilium Tridentinum in Eucharistia aliquid manere præter accidentia panis, quia manebat existentia panis, quæ in sententia Bañez, existeret accidentium existentia. Quam opinionem reprehendit P. Soar. 3. part. t. 3. disp. 49. sect. 4. §. sed quæret. Impugnatur modus iste dicendi ex communi diuisione entis in substantiam, & accedens. Secundò quia omne ens vel est intentu propter se vel propter aliud. Si propter se, est substantia. Si propter aliud, est accedens: ergo omne ens vel est substantia vel accedens. Sic arguo iuxta differentiam substantiæ, & accidentis, quam assigno, & propugno Contr. 6. punct. 1. Alij iuxta diuersa principia haud inefficacius arguunt. Sic enim Ariaga & alij plures. Omne ens vel est de primo conceptu rei, vel non. Si est de primo conceptu rei est substantia, si non est de primo conceptu rei, est accedens: ergo omne ens, vel est substantia, vel accedens. Supponit hic modus arguendi essentiam substantiæ dicere esse de primo conceptu rei, & essentiam accidentis importare esse extra primum conceptum rei, quia differentia admissa inter substantiam, & accedens rectè procedit argumentum.

Dicendum est n. opinione, quæ existentias superadditas admittit, existentiam substantiæ esse substantiam, & existentiam accidentis esse accedens. Posterior pars per se patet, essentia enim accidentis non debet potest existentia, quæ sit substantia, huic enim accidentia debentur, & nūquam accidentibus imperfectioribus perfectior substantia debetur tanquam illorum proprietates, seu affectio, sed tanquam causa, à qua accidentia dependent, & in quam natura sua ordinantur.

In sententia non distinguente existentiam ab essentia, vtramque ab eisdem principiis procedere necessum est. Communis est sententia inter Thomistas distinguentes existentiam ab essentia vtramque per eandem actionem procedere, quod defendi poterit si dicatur existentiam non dependere ab essentia tanquam causa materiali, si autem existentia dependeat ab essentia tanquam à causa materiali non poterunt per eandem actionem produci, quia implicat per eandem actionem produci id, quod ab aliquo dependet ex vi actionis, & aliud à quo illud dependet, quia omnia, quæ ex vi actionis produciuntur, necessariò ex vi actionis dependent ab omni alio, à quo dependet actio,

& non ab alio ex vi eiusdem, & ita non possunt produci ex vi eiusdem actionis existentia dependens ab essentia, & essentia non dependens a se ipsa. Secundò productio rei dependentis ab alio supponit productionem alius, à quo dependet proprius terminus: ergo productio existentie dependentis ab essentia supponit productum essentiam. Sentio non posse in hac sententia consequenter philosophari, quin plura deurentur absurda, infertur enim ex eo quod essentia distinguatur ab existentia essentiam, & existentiam per diuersas actiones, & à diuersis causis posse produci, & necessariò per diuersas actiones, & ex diuersa causa materiali necessariò esse producendas, si existentia dependet ab essentia tanquam à proprio subiecto. Infertur etiam ex vi actionis terminatæ ad essentiam hanc fieri ens in actu, & constitui extra causas, quod præstat actio productiua cuiusvis rei, & non fieri ens actu, neque constitui extra causas, ex vi eiusdem actionis, sed ex vi actionis distincte terminatæ ad existentiam, quæ formaliter constituit essentiam in actu, & extra causas constitutam. Infertur etiam posse produci essentiam non producta existentia, quod contradictionem inuoluit in nostris principiis, quia essentia & existentia non distinguuntur, & in Thomistarum sententia, in qua ex vi actionis terminatæ ad rei existentiam, essentia eiusdem constituitur formaliter producta. Secundò, quia eo ipso quod essentia intelligatur producta intelligitur posita extra causas, & intelligitur existens ac proinde implicat rem intelligi productam, & non existèrem, & consequenter rem produci sine existentia, & ex vi cuius formaliter fit existens. Propter hæc non audeo definire quomodo in sententia distinguente essentiam ab existentia consequenter philosophandum sit de causis, & causalitatibus, ex vi quarum producuntur essentia, & existentia, quod enim consequentiùs ad hæc principia procedatur, maiora absurda in hac materia deuoranda sunt, & plura contradictoria inferenda.

5 Inquiruntur à nonnullis an rei possibili, & existenti detur communis ratio, à qua questione breuiter me expedit. Res purè possibilis connotat negationem rei existentis, cui nihil potest dari commune cum existentia rei, vel cum ipsa re existente, quia habitus, & negatio in nullo conueniunt; ens possibile præcisè sumptum, & ens existens formaliter ex parte obiecti dicunt eundem omnino conceptum obiectiuum, ut probauit Punct. 2. nihilominus non possunt conuenire in aliqua ratione superiori, in qua abstrahatur à differentia, quam includit ex modo concipiendi, quia si ens apprehendatur existens, apprehensio illa non præcinderet ab ente existente, à quo volumus præcindere rationem aliquam communem cum ente, quod ex parte actus non apprehenditur existens, sed ex vi apprehensionis præcinderetur ab apprehensione existentie, & negationis existentie. Si verò apprehendatur ens possibile præcisè, hæc apprehensio adæquatè dicitur vnā rationem, à qua volumus extrahere conceptum communem cum alia, videlicet ens possibile præcisè: ergo non dicitur rationem aliquam superiorem enti possibili præcisè, in qua conueniat cum ente existenti, sed ipsam formalissimam rationem entis possibilis præcisè: ergo implicat dari conceptum communem ex parte actus enti possibili præcisè, & eidem enti formaliter existenti, etiam si ex parte obiecti ens possibile præcisè, & ens existens formaliter non distinguantur.

6 Disputat Noster Albertin. de Prædic. subst. disp. 2. q. 2. an detur compositio inter essentiam & existentiam? negatiuè respondent plures, etiam si distinctionem admittant inter essentiam, & existentiam. Consequentius videtur procedere Albertin. qui compositionem hanc à parte rei dari concedit non inefficaci ratione: totum compositum formaliter nihil aliud dicit, quam extrema realiter distincta per se ipsa, vel per superadditum aliquem modum unitatis: sed totum existens dicit essentiam, & existentiam distinctas inter se unitas: ergo est formaliter compositum: ergo à parte rei ens existens importat realè, & physicam compositionem. Mea quidem sententia rem concludit discursus, sed non efficacius contradictoria pars euincitur. Essentia ut distincta realiter ab existentia non est ens actu: ergo, ut distincta ab existentia, non potest terminare vnionem, quia non potest terminari ad rem præcisè possibilem, sed debet supponere extremum, quod sit actu: ergo essentia, ut distincta ab existentia, non potest cum ipsa existentia totum aliquod componere, neque aliquam compositionem inire, neque potest dici essentiam terminare

vnionem ad existentiam, ut affectam existentia, quia vnio physica inter extrema quodlibet illorum respicit, ut adæquatè ab altero distinctum. Secundò quia in illo priori, in quo essentia concipitur proximè potens terminare vnionem ad existentiam non potest concipi ut affecta existentia, quia essentia ex vi illius vnionis existentia efficienda est. Hæc obiecta contradictoria, quæ legitime inferuntur procedunt ex repugnante principio, quo supponitur essentiam ab existentia distingui.

De existentia, siue distincta realiter ab essentia, siue tantum per rationem, & ex parte actus solet disputari, an formaliter sumpta dicat gradus metaphysicè distinctos, vel an dicat vniam simplicissimam formalitatem eadem omnino efficiant omnes gradus metaphysicos essentia: Negat Noster Albertin. supra quæst. 4. cum Ferr. ex communi Thomistarum sententia, existentiam habere aliquam compositionem metaphysicam. Compositionem hanc admittunt P. Soar & Egid. supra. Duplex in hac re difficultas occurrit. Prima, an existentia diuisibilis sit in gradus metaphysicè distinctos. Secunda, an gradus metaphysicè distincti ex suppositione, quod reperiuntur in existentia diuisibiliter efficiant gradus essentia, ita ut gradus genericus existentia gradui generico, & gradus specificus gradui specifico essentia correspondeat, & sic de aliis, vel an omnes gradus metaphysici existentia simul sumpti indiuisibiliter efficiant quemlibet gradum metaphysicum essentia, ita ut gradus genericus essentia non intelligatur existens tantum per gradum genericum, sed per gradum genericum, specificum, & indiuidualem existentia.

Sentio existentiam diuisibilem esse in gradus distinctos correspondentes diuersis gradibus essentia. Continet conclusio definitionem vtriusque difficultatis propositæ, quam breuiter probo. Quando concipio animal à parte rei ut ens actuale distinctum à rationali, quod etiam est ens actuale, concipio eandem distinctionem inter actualitates animales, & rationales, ac inter animal, & rationale: ergo sicut diuido per rationem hominem in animal, & rationale, sic diuido actualitatem hominis in actualitatem animales, & rationales: ergo sicut animal præcinderetur à rationali, ita præcinderetur actualitas animalis ab actualitate rationalis: ergo sicut distinguuntur animal, & rationale, ita ut non inuicem includantur, ita distinguuntur actualitates, quin vna includatur in alia, neque actualitas animalis aliquid dicat actualitatis rationalis, aut è contra. Confirmatur: ens non præcinderetur ex parte obiecti à ratione existendi: ergo à ratione, qua apprehenditur ens, apprehenditur saltem ex parte obiecti existentia, quæ ab illo ex parte obiecti formaliter non distinguitur: ergo poterit gradus ille postea ex parte actus apprehendi existens per existentiam specialem specialiter ex parte actus ab illo gradu dimanantem.

Obiiciunt Thomistæ: existentia est vltima actualitas: ergo non est diuisibilis in gradus diuersos, quos si haberet non esset vltima actualitas. Respondeo existentiam esse vltimam respectu subiecti, quod afficit, cum quo rectè componitur dari gradum existentia, qui licet sit vltima actualitas respectu subiecti, cui correspondet, non sit vltima actualitas respectu speciei, & indiuidui existentia quam componit.

Obiicit secundò Albert. Existentia nihil aliud est, quàm ratio constituendi rem actu extra causas. Sed hæc ratio consistit in indiuisibili: ergo existentia consistit in indiuisibili: ergo non est diuisibilis in gradus distinctos. Respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorem: Ratio constituendi rem indiuisibilem actu extra causas est indiuisibilis, concedo minorem: ratio constituendi rem diuisibilem extra causas est indiuisibilis, subdistinguo: intensiue, concedo, quia eademmet formalitas non potest magis extra causas constitui; extensiue nego, quia gradus distincti formaliter habent rationes formaliter distinctas inter se, per quas extra causas constituuntur, in quas est diuisibilis existentia adæquata, seu ratio constituendi extra causas indiuiduum adæquatum inuoluens rationes superiores, & inferiores.

Disputant hic nonnulli quomodo existentia requiratur ad operationes, an ut virtus causatiua, an tantum ut conditio: de quo dixi Controu. 7. Physic. punct. 4.

CONTROVERSIA III.

De attributis entis.

PASSIONES vocamus proprietates illas, quæ ab essentia physicè dimanant, & hanc indiuiduè ex natura rei per se comitantur. Attributa dicere solemus prædicata quædam, quæ extra essentiam metaphysicam rei concipiuntur, cum qua physicè identificantur: sic in Deo Misericordiam, & Iustitiam, quæ ab illo non distinguuntur, attributa, & non passionès appellare consueuimus. Enti nonnullas competere proprietates, siue aliquid ab illo distinctum importent, & passionès dici possint, siue cum illo adæquate identificentur, & attributa dicantur, fert omnium sententia, & constabit ex singularium definitionibus, quas postea dabo. An verò ab ente distinguatur, vel cum illo identificentur constabit ex his, quæ de proprietatibus singulis definiam. Quinque vulgo referuntur entis attributa, *res, verum, bonum, aliquid, vnum*. *Res, & aliquid* sunt entis synonyma, de tribus aliis attributis Controuerisiam hanc instituo.

PUNCTVM PRIMVM.

De unitate entis.

§. I.

Vnum non addit supra ens prædicatum reale positium realiter, neque formaliter ab illo distinctum, neque fictum ab intellectu.

- I** Vnum addere supra ens rationem quamdam positiam ab ipso distinctam ex natura rei docuerunt Auicenna, Scot. & Anton. Andr. apud P. Soar disp. 4. Metaph. sect. 1. n. 2. quibus addit P. Fasol. postea citandus Alen. Albert. & Bonauent.
- 2** Vnum non addere aliquid positium reale supra ens defendunt innumeri Doctores. Do primum, primum inter doctores Scholasticos Angelicum Doctorem 1. part. q. 11. art. 1. ad 1. ubi postquam sententiam Auicennæ retulerat, hæc scripsit: *sed hoc manifestè falsum est, quia quilibet res est una per suam substantiam*: & rationem reddit, quam postea expendam. Hoc testimonium rem mihi facit omnino certam, nunquam enim in re vtriusque probabili, ita loquutus esset Angelicus Doctor, qui mira doctoris scientia, & sanctissimi modestia viri docuit nos illasque vtriusque probabilia sunt sine animi contentione tradere, eaque non vt fide sancta, sed vt principiis probabilibus deducta quibus falsitas possit subesse, aliis proponere, quem modum eximè semper obseruauit Angelicus Doctor, vt ipso docendi modo, nobis licentiam faceret in hac vel in illa sententia vtriusque probabili ab ipso discendendi, quod etiam Augustini, & aliorum Patrum autoritate sussultis sine multorum inuidia nobis non licet. D. Thomam sequuntur Caietanus, Sylu. Heru. Mayr. Ocham, Durand. Arg. Capreol. Albert. Bassol. Gabr. Marf. Sonc. Fland. Iand. & Iauel. apud P. Fasol. 1. part. quæst. 11. art. 1. dub. 15. n. 12. Accedunt omnes nostri Authores P. Soar. in Metaph. disp. 4. sect. 1. P. Vasq. 1. part. disp. 128. cap. 2. P. Fonsec. cap. 2. quæst. 5. sect. 4. concl. 3. P. Valent. P. Fasol. & alij D. Thomæ interpretes. D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 1. P. Hurtad. disp. 4. sect. 1. subsect. 2. P. Arriag. disp. 1. sect. 3. subsect. 1. & 3.
- 3** Seclusa omni ratione positia enti superaddita, ex vi cuius vnum constituitur, superest sciendum, an dicat rationem aliquam positiam, saltem per intellectum distinctam à ratione entis. Partem affirmatiuam defendit P. Vasquez cap. 2. citato, pro qua refert P. Soar. supra n. 2. D. Bonauent. Alex. & Scot. vnum non addere supra ens rationem aliquam positiam, adhuc per intellectum ab ente præcisam docet Pater Soar. cum D. Thomæ, & aliis

quàm plurimis, quos ipse refert num. 7. consentit Hurtad. Arriag. Definendum est etiam an vnum saltem respectum aliquem rationis formaliter includat, quod affirmant Scotistæ non multi, quos refert, & impugnat Soncin. 4. Metaphys. quæst. 23. oppositum tamen fert omnium ferè Doctorum sententia.

PRIMA CONCLUSIO. Vnum non addit supra ens rationem aliquam positiam realiter, neque ex natura rei ab illo distinctam. Probat efficaciter hanc conclusionem Angelicus Doctor: si ens fieret vnum per aliquid superadditum, illud superadditum, rursus esset vnum: ergo tale constitueretur per aliquid superadditum: ergo in infinitum procederetur. Dices, illud superadditum esset per se vnum, quia esset ratio constitutiva vnius, sicuti præsentia est per se ipsam præsens, quia est ratio constitutiva rei præsentis. Contra: ratio illa superaddita est per se ipsam vna, & est vnitas sui ipsius: ergo iam non repugnat entitas, quæ per se ipsam sit vna, & sit vnitas sui ipsius: ergo huiusmodi est ens, quod ego contendo esse per se ipsum vnum absque vlla ratione superaddita, & esse formalissimam sui vnitatem. Confirmatur: Ideò superadditur præsentia subiecto (idem dico de aliis formis superadditis) quia subiectum est indifferens, vt habeat, & non habeat hanc præsentiam, sed subiectum non est indifferens, vt habeat, & non habeat hanc vnitatem: ergo absque fundamento datur illi vnitas realiter superaddita. Vrgens vt distinctum ab illa ratione superaddita, in qua vnitate constituitur opinio, quam impugnamus, est formalissimè vnum: ergo ratio illa superaddita superflue aduenit enti. Probo antecedens: ens vt distinctum ab illa ratione superaddita habet non esse illam rationem superadditam, neque aliquid aliud ab ipso distinctum, insuper habet esse ipsum, à quo ratio illa superaddita distinguitur: ergo habet esse indistinctum à quolibet alio, seu esse ipsum, & non esse aliud: ergo habet totam rationem formalem vnus quod tantum dicit formaliter esse ipsum, & non esse idem cum alio ab ipso distincto, quod solet definiri indiuisum in se & diuisum à quolibet alio. Confirmabunt hanc conclusionem rationes, quas pro secunda conclusione iam aduco.

SECUNDA CONCLUSIO: Vnum non addit supra ens rationem aliquam positiam ex parte obiecti præcisam à ratione entis. Probo: ratio illa præcisam, in qua formaliter constitueretur vnitas, esset formalissimè ens secundum conceptum obiecti præcisum, quem diceret: ergo non esset ratio superaddita enti, sed ratio formalissima entis. Probo antecedens: illa ratio haberet sua prædicata essentialia propria ipsius, ex vi quorum constitueretur: ergo ratione sui haberet essentiam condistinctam ab essentia entis rationis: ergo ratione sui haberet aptitudinem ad existendum, in qua consistit ratio entis: ergo ratione sui, & non ratione entis formaliter distincti esset ens: ergo non esset ratio superaddita enti, sed transcendens formalissimam rationem entis, & ab hoc ex parte obiecti formaliter indistincta. Respondebis rationem formalem vnus non posse præcindi obiectiue à ratione entis, posse tamen præcindi rationem entis à formali vnus, sicuti in eodem ente respectu suarum differentiarum secundum multorum sententiam contingit, in quibus datur præcisio non mutua, ens enim præcinditur à differentiis & potest concipi sine illis, differentia autem non possunt præcindi ab ente, non enim potest concipi differentia constitutiva substantiæ, & accidentis, & contractiua entis, quin concipiatur in ipsa ex parte obiecti ratio entis, quam contrahit, licet possit concipi ratio entis, quin concipiatur aliqua differentia substantiæ, vel accidentis, per quam potest contrahi. Contra: ideò ens præcinditur à differentia, etiam si differentia non possint ab illo præcindi, quia ens potest separari à quacunque differentia, per quam potest contrahi, & indifferens est vt contrahatur per differentias substantiæ, & separatur à differentia accidentis, vel contrahatur per differentiam accidentis, & separatur à differentia substantiæ: sed ens non est separabile ratione vnus, neque est contrahibile per vnitatem, & per negationem vnitatis: ergo non ex eo, quod ens sit præcindibile à differentiis poterit præcindi à ratione vnus. Deinde si ratio formalis vnus includit rationem entis, in illa ratione est inclusum ex parte obiecti totum id, quod dicitur *ens vnum* pro materiali, & pro formali: ergo absque fundamento constituitur ex parte obiecti alia ratio enti, cui aduenit ratio formalis

formalis vnius, & ipsa formalis ratio entis. Si redeas iterum ad differentias entis, quæ simul cum eadem ratione entis, quam transcendunt, entia adueniunt, vt constituent substantiam vel accidens, redibit iterum assignata disparitas, ex indifferentia, quam habet ens vt contrahatur, & non contrahatur, per quamcumque differentiam, à qua potest separari, quæ indifferentia fundamentum tribuit præcisioni entis à suis differentiis, quod non reperitur vt præscindatur à ratione *vnus*.

6. Secundo ex parte ipsius entis, quod opposita sententia dicit præscindi à ratione formali vnius probo repugnare hanc præcisionem, & formaliter in illa ratione entis quantumvis mente præscindatur, permanere rationem formalem *vnus*. Instaurò argumentum, quod supra constitui ad probandum rationem *vnus* non dicere aliquid realiter superadditum importare rationi entis, quod neque per rationem quid superadditum importare euinceret. Conceptus cuiusvis entis, v.g. conceptus essentialis, & constitutiuus hominis ab omni alio præcilius, & quocumque positiuo superaddito dicit entitatem hominis, quæ per se est animal rationale à se indistinctum, & per suammet entitatem non habet esse equum, sicuti habet esse hominem: ergo per suammet entitatem habet esse hominem, & non habet esse aliud ab homine, seu habet esse hominem, & non habet esse aliud ab homine: ergo per suammet entitatem habet esse vnum, quod tantum importat ens esse ipsum, & non aliud ab ipso. Confirmatur: hoc quod est esse hominem est quid positiuum, vt omnes admittunt, sed posito illo conceptu positiuo, per quem constituitur homo, quantumvis re & ratione præscindatur omnes alij positiui conceptus, permanebit homo, qui sit verus homo, & qui non sit equus, nec leo: ergo permanebit homo idem secum, & non idem cum alio, quod est formaliter esse vnum. Idem dico de quacumque alia entitate de Petro v.g. qui ex vi formalitatum positiuarum, per quas constituitur in esse Petri, quibuscumque alijs positiuis vnitatibus seclusis, erit Petrus, & non erit Ioannes: ergo erit idem secum, & non idem cum alio, in quo formaliter consistit formalissima vnius ratio. Secundo, ratio formalis vnius, & ratio formalis entis sunt reales, & formaliter distinctæ: ergo sunt entia formaliter, seu per rationem distincta in ratione talium entium, non verò in ratione entium, cum vtrique sit ens: ergo neutra illarum est ens vt sic. Probo consequentiam: ratio entis, vt sic, non dicit rationem talis entis, vt condistinctam ab alio: sed ratio entis, cui competit vnitas, vt proprium attributum dicit rationem talis entis, vt condistinctam ab alio ente, videlicet à ratione formali vnitatis, quæ est ens: ergo vnitas non afficit ens vt sic, sed tale ens condistinctum ab alio ente, videlicet à ratione vnitatis, quæ est tale ens: ergo vnitas non est passio, seu attributum entis, sed talis entis. Confirmatur: quod est attributum entis debet esse attributum cuiuscumque entis: sed illa ratio vnius præcisa non est attributum sui ipsius, quæ est ens: ergo alicuius entis non est attributum. Rationem entis dicere formaliter formalitatem positiuam distinctam à ratione vnius, est conclusio, quam impugnamus, dicere rationem talis entis inferitur manifestè, quia vbi est distinctio inter ens, & ens, est differentia vtriusque, ex vi cuius vnum differt ab alio: ergo est tale ens constitutum per talem differentiam: ergo quando intelligitur vnitas afficere ens ab illa formaliter distinctum, intelligitur afficere ens constitutum per illam differentiam, ex vi cuius differt ab vnitate: ergo intelligitur vt tale ens: ergo vnitas non afficit ens; sed tale ens: ergo non est passio entis, sed talis entis.

7. TERTIA CONCLUSIO. Vnum non addit supra eas relationem identitatis eiusdem ad se ipsum, neque quidquam aliud rationis signum. Probo: vnitas non concipitur instar forme relatiuæ, sed absolutæ: ergo non dicit formaliter relationem rationis. Secundo, quia hoc quod est Deum esse vnum (idem intellige de quocumque ente creato) est quid reale, & à parte rei existens: nullo enim signum intercedente verum est dicere *Deus est vnus*: Petrus est vnus: ergo vnitas non consistit in relatione rationis. Tertiò: relatio identitatis, quæ per rationem fingitur eiusdem ad se ipsum, fundatur in vnitate: ergo prius est ens esse vnum, quam habere relationem identitatis. Probo antecedens: ideo refero ego Petrum ad se ipsum relatione identitatis, & ad Ioannem relatione diuersitatis (loquor de relatione identitatis, & diuersitatis secundum differentiam indiuidualem) quia apprehendo Petrum esse vnum

indistinctum in se, seu à se, & Petrum, & Ioannem non vnum, sed plura: ergo relatio identitatis fundatur in vnitate, sicuti relatio diuersitatis in pluralitate: ergo sicut prius est esse plura, quam diuersa, prius est esse vnum, quam relatum relatione diuersitatis. Aduertas me non negasse vnitatem consistere in identitate rei secum ipsa, sed in relatione identitatis, quia relatio identitatis est signum identitatis verò non per modum relationis, est ipsa entitas, quæ eadem dicitur, à qua formaliter non distinguitur, si vt est in se apprehendatur, neque constituit speciem formalitatem; sed transcendit omnes, quæ in se sunt, ideo de entitate sicuti de ente eodem modo ferendum est iudicium.

S. II.

Quam indiuisiōnem entis dicat formaliter ratio vnius.

VNUM dicere negationem diuisionis constans est inter omnes Theologos & Philosophos. Extant pro hac re illustria testimonia Philosophi, & Doctoris Angelici: sic enim Philosophus 5. Metaph. c. 6. Vniuersaliter autem quocumque non habeat diuisionem, quatenus non habent categoris dicuntur. Quibus verbis expresse docet omne ens esse vnum quatenus non habet diuisionem seu quatenus est indiuiduum. Et Doctor Angelicus 1. part. quæst. 11. art. 1. in corpore sic repetit quæst. 9. de potentia art. 7. circa finem corporis vbi hæc habet: vnum, quod conuertitur cum ente, addit supra ens negationem diuisionis: non quod significet ipsam indiuisiōnem tantum, sed substantiam eius cum ipsa: est enim vnum idem, quod ens indiuiduum. Patet ergo quod vnum quod conuertitur cum ente, ponit quidem ipsum ens, sed nihil superaddit nisi negationem diuisionis. Dabo postea innumeros auctores, qui id supponunt disputantes, an diuisio, quam includit vnum, sit negatio diuisionis in se, vel negatio diuisionis à se. Verumtamen in his, qui hanc negatiōnem diuisionis rationem esse constitutiuam vnius affirmant, adhuc diffidum est, an vnum addat aliquid negatiuum supra rationem positiuam entis, an tantum eiusdem rationem positiuam importet, quia de eadem negatione diuisionis quæstio est, an sit formaliter quid negatiuum, an verò sit formaliter aliquid positiuum negatiue tantum consideratum.

Si definiamus, an negatio diuisionis, quam importat vnum sit aliquid positiuum, vel negatiuum, omnium consensu definitum erit, an vnum pro formali quid positiuum, vel quid negatiuum dicat; cum enim in hac diuisionis negatione ratio vnius sit constituenda, si dixerimus hanc esse quid negatiuum, dicendum necessarîo erit vnum addere supra ens rationem aliquam negatiuam; si verò concludamus hanc negationem diuisionis formaliter esse quid positiuum negatiue tantum consideratum, absque dubio tenendum est vnum nihil negatiuum addere supra ens, & cum dixerimus nihil positiuum realiter, neque ex parte obiecti per rationem distinctum addere, dicendum erit vnum non dicere supra ens rationem aliquam ab illo realiter distinctam, neque per rationem ab ipso ex parte obiecti præcisam. Caterum ne incassum, vt multis in hac re accidit, longa instituat disputatio, antequam definiam, an hæc diuisionis negatio sit quid positiuum, vel negatiuum, sciendum est, an hæc negatio, quam includit vnum, & de qua debemus disputare, sit negatio diuisionis in se, vel à se. Negatio diuisionis à se, est negatio illa ex vi cuius idem indiuisibiliter sumptum à se ipso diuisum non est, v.g. negatio, quia Petrus non ita à se diuidatur, vt idemmet sit alius à se ipso, quia si eodemmet Petro permanentes, Petrus esset Ioannes, conciperetur quasi diuisus in Petrum, & Ioannem, & non tantum esset vnus, sed multiplex, esset enim vnus, qui modò est, & esset alius, qui modò non est. Sic negationem diuisionis à se explicuit Caietanus apud D. Thomam 1. part. quæst. 11. art. 2. §. ad hoc dicitur. vbi dixit extrema diuisionis à se esse hoc, & non hoc. Negatio diuisionis in se dicit rem non ita esse diuisam vt resoluatur in membra aliqua diuidendis, ita vt ipsa non permaneat, sed membra illa diuidenda, in quæ fuit diuisa. In rebus compositis ex partibus distinctionis facili diuisionis negatio intelligitur, hominem enim esse in se indiuiduum, dicit non esse diuisum totum, quod modò est in materiam, & formam, quibus constat, quam si pateretur diuisionem in se diuisus diceretur homo, quia veluti in se diuisionem pateretur.

pareretur, ex vi cuius deberet esse, & partes illae, quibus constabat, permanerent inter se diuise; tunc autem non diceretur homo à se diuissus, quia non maneret idem in plures multiplicatus, potius nullo modo maneret. In entitatibus simplicibus difficilior percipitur hæc negatio diuisionis in partes, quia cum entitas simplex v.g. Angelus non habeat partes, ægre in illo concipimus diuisionem Angeli in se, & negationem huius diuisionis, quæ non potest concipi, quin concipiatur prius diuissio cuius est negatio. Verumtamen, adhuc in Angelo, hæc negatio diuisionis intelligenda est, quia non ex eo quod non fit capax diuisionis in partes, quibus caret, incapax est habendi negationem huius diuisionis, potius quia incapax est talis diuisionis concipiendus est cum repugnantia ad talem diuisionem, quæ repugnantia dicit negationem diuisionis: repugnantia enim alicuius rei dicit negationem necessariam existentem, & indefectibilem rei cuius est repugnantia. Huius conditionis est negatio, quum in quolibet ente concipimus diuisionis à se, quia nullum ens est capax diuisionis à se, vt acutè notauit Heru. quodlib. 4. q. 1. §. secundum ad videndum. Vbi dixit negationem diuisionis à se esse negationem entis possibilis, quod non obstat in quocumque ente contempleremur negationem diuisionis à se, sed etiam in simplicissima entitate, veluti in Angelo possumus considerare negationem diuisionis à se, ex vi cuius idemmet vnus Angelus non fit plures Angeli, & non diuiditur in ipsum, qui antè erat, & in alium qui non erat, & negationem diuisionis in se quatenus non diuiditur physicè in gradus metaphysicos, quibus constat, vel in duas quascumque medietates, in quas indiuisibilis est, quia medietatibus caret. Ex his habes negationem diuisionis à se semper esse negationem diuisionis impossibilis, & negationem diuisionis in se in entibus compositis, esse negationem diuisionis possibilis, & in entibus simplicibus esse negationem diuisionis impossibilis.

10 Vnum dicere diuisionem entis in se fert cõmunis Theologorum sententia; Ita D. Th. pluribus in locis, ex quibus nonnulla testimonia desumam ad hanc conclusionem stabilendam: & Durand. in 1. dist. 24. q. 1. n. 12. & Greg. de Arimino, q. 1. art. 1. in 1. Aureol. in 1. dist. 8. q. 3. art. 2. P. Fasol. sup. dub. 7. P. Soar. n. 13. vbi asserit omnes in hac conuenire. Nichilominus oppositam sententiam defendunt Caietanus §. ad hoc dicitur suprà citato, Gillius lib. 2. tract. 3. c. 3. Nazari. art. 2. dubit. vltim. & Contr. vnic. §. sed quantum, qui asserunt non dicere diuisionem entis in se, sed à se, & referunt pro sua sententia Egid. Heru. Bassol. Ocham Gabr. & Marf. quos pro opposita interpretatur Fasol. suprà, Capreol. Gab. & Soncin. apud Soar. suprà, docent vnum non solum dicere negationem diuisionis in se, sed etiam negationem diuisionis ab alio, à quibus non omnino dissentit Soar. Sit

11 PRIMA CONCLUSIO. Vnum dicit formaliter diuisionem entis in se; quam stabiliat authoritas Doctoris Angelici q. 9. de potentia art. 7. in fine corp. vbi hæc habet: Vnum addit supra ens negationem secundum quod aliquid est indiuisum in se, & dist. 19. q. 4. art. 1. ad 2. definit: vnum esse quod est indiuisum in se, & ab aliis. & paulo post: ipsa essentia creati secundum quod est indiuisa in se, & distinguens ab aliis est unitas eius. Ratione faciliè nostra probatur conclusio. Per diuisionem intelligimus vnum ens fieri plura, & ex diuisione præcisè resultat pluralitas: ergo per negationem huius diuisionis rectè intelligitur ens fieri vnum, & non plura.

12 SECUNDA CONCLUSIO. Vnum formaliter non dicit esse diuissum ab alio, quatenus diuissio hæc connotat terminum existentem, seu dicit relationem inter vtrumque terminum existentem: Ratio est manifesta. Hæc diuissio supponit vnum, & aliud: ergo supponit duplicem unitatem & duplex vnum iam constitutum: ergo non potest pertinere ad constitutionem vnus. Secundò hæc diuissio ab alio dicit pluralitatem. Sed prius est unitas, quam pluralitas: ergo hæc diuissio non potest constituere unitatem. Tertiò unitas cuiuslibet entis est independens ab existentia alijs cuiuscumque entis ab illo distincti: sed hoc ens non potest habere hanc diuisionem, nisi existeret aliud ens, à quo dicatur diuissum. Ergo hæc diuissio non illud potest vnum constituere. Vltimò: ab æterno antequam existeret creatura aliqua Deus erat vnus, & tamen non habebat hanc diuisionem cum alio ente existente, quod non erat: ergo non est de ratione vnus habere hanc diuisionem,

seu hanc distinctionem per modum relationis ab alio.

13 TERTIA CONCLUSIO. Esse diuissum ab alio quatenus præcisè dicit non habere identitatem cum alio, seu non esse aliud, siue detur aliud, siue non detur, eo modo, quo potest dici Petrus non est equus: vel Petrus non est aliud à se, seu non est non Petrus, conuenit omni enti, quatenus vnum est, & est de ratione constitutiva illius, & quæ primò, ac est de ratione constitutiva eiusdem negatio diuisionis in se. Conuenire hanc rationem enti vni, vt vnum est probat Soar. suprà n. 17. propendit tamen in sententiam asserentem hanc diuisionem ab alio, vni formaliter, & constitutivè non competere, sed tantum secundariò, & consequenter: ego tamen contendo primariò & constitutivè illi cõpetere. In primis hanc conclusionem tradit Angelicus Doctor, qui non solum per indiuisiōem entis in se, sed à se quidditatè vnus explicauit in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. ad 1. vbi dicit, distinctionem, quam per negationem negat negatio importata in ratione unitatis, esse quod vna res dicitur non esse alia, quod est dicere diuisionem ab alia, & indiuisiōem à se; & distinctione 19. quæst. 19. art. 1. ad 2. scripsit: ipsa essentia creati secundum quod est indiuisa in se & distinguens ab aliis est unitas eius, quibus verbis postquam indiuisiōem in se tanquam entis constitutivum assignauerat, addit indiuisiōem, seu diuisionem ab aliis per illa verba & distinguens ab aliis. Ratione conclusionem propugno. Non magis minus opponitur cum unitate Petri Petrum esse non Petrum, quam Petrum diuidi in suas partes: ergo sicuti de ratione unitatis est Petrum non esse in suas partes diuissum, sic erit de ratione unitatis Petrum non esse non Petrum, hoc est, non esse Ioannem, aut quoduis aliud ens, quod non fit ipse Petrus. Antecedens probò: si per impossibile Petrus esset Petrus, & esset non Petrus, hoc est, esset Petrus, & Ioannes, seu Petrus, & lignum; Petrus non esset vnus, sed plures: ergo de ratione formali constitutiva Petri in ratione vnus est non esse non Ioannem, seu non esse aliquod ens non Petrum. Antecedens probò: si per impossibile Petrus esset Petrus, & Ioannes, Petrus esset id, quod modo sunt Petrus, & Ioannes: sed modò Petrus & Ioannes sunt plures: ergo tunc Petrus esset plures: ergo non esset vnus. Consequentiam probò. Quotiescumque ex eo præcisè quod auferatur aliqua formalitas nulla alia ablata, definit esse aliud, illa formalitas illius, quod definit esse, ad illius rationem constitutivam pertinebat: sed ex eo præcisè quod deficiat in Petro, hoc quod est non esse non Petrum, etiam si reliqua omnia remaneant, deficit Petri unitas: ergo Petrum non esse non Petrum, hoc est non esse aliud, quod non fit ipse Petrus, est de essentia unitatis Petri, & ad metaphysicam constitutionem essentiae talis unitatis spectat.

14 Probat ratio facta hanc diuisionem ab alio esse essentialè unitati, verumtamen adhuc explicandum restat, an non solum sit essentialis, sed vltimò unitatis constitutiva, vt propria illius differentia, sicuti rationale est hominis constitutivum, an verò se habeat veluti prædicatum genericum, quod aliis commune sit, sicuti animal est de essentia hominis, & tamen commune est equo. Ad decisionem huius difficultatis scire oportet, quid sit prius in ente vnum esse indiuisum in se, seu non esse idem cum alio, vt ex hoc inferre possumus, ex his duobus prædicatis, quod se habeat per modum generis contrahibilis, & quod per modum differentiae contrahentis. P. Soar. suprà ideo propendit in sententiam negantem ens non esse aliud, non esse constitutivum vnus, existimat vni consequenter competere, & ita in sententia huius Doctoris dici non poterit hoc quod est ens non esse aliud, esse quid præcedens, aut pertinens ad differentiam constitutivam vnus. P. Fasol. suprà asserit rationem istam præsupponi ad rationem vnus, quia communis est enti vni, & non vni, acerrus enim lapidum non est vnus, & tamen habet hoc quod est non esse non acerrum, seu non esse aliud distinctum ab acerrum lapidum. Vnde iuxta principia P. Fasol. potius ratio ista non essendi aliud ad rationem genericam multis communem, quam ad specificam vnus constitutivam spectabit.

15 Censeo vtramque rationem, videlicet hoc ens non esse in se diuissum, & non esse aliud esse transcendere quantumque rationem constitutivam entis, & imbi in quibuscumque differentis, & ita neutram illarum posse dici priorem, aut posteriorem, sed vtramque mutuo inter se, & entis cuiuscumque transcendente. Indiuisiōem in se esse transcendente quodcumque constitutivum rei sic probò.

Illud

Illud quod est diuifum non est: ergo esse cuiuscumque rei dicit indiuiſionem illius. Conſequentia eſt legitima. Antecedens probatur: Diuiſio eſt deſtructio diuiſi, ſeu illius quod diuidi dicitur, eo enim ipſo quod diuidatur homo in materiam, & formam, iam non remanet homo, ſed remanent materia, & forma, ex quibus componebatur, idemque contingit in diuiſione integrali etiam totius homogenei, quia eo ipſo quod hæc aqua, quæ antea erat vnita, diuidatur, iam non remanet hæc aqua, quæ antea erat ſed duplex pars aquæ, ex quibus componebatur, quæ non iam partes, ſed tota denominatur: ergo diuiſio dicit non eſſe cuiuscumque rei, cui contingat: ergo eſſe cuiuscumque rei dicit non eſſe diuiſionis: ergo non diuiſio eſt tranſcendens quodcumque eſſe, & quodcumque conſtitutum rei. Conſtituitur: non diuiſio entis compositi dicit illius vnionem; non diuiſio entis ſimplicis dicit illius ſimplicitatem, ſeu identitatem prædicatorum: ſed vnio eſt conſtitutum cuiuscumque entis compositi, & ſimplicitas, vel inſeparabilitas, ſeu identitas prædicatorum in ente non composito eſt tranſcendens illius conſtitutum: ergo non diuiſio eſt de ratione conſtitutiva cuiuſvis entis. Antecedens probabo Controv. 3. Punct. 1. ubi oſtendam non diuiſionem importare aliquid poſitiuum. Aliam partem conſiſionis, videlicet ens non eſſe non ens, tranſcendere quodcumque conſtitutum, ſic probabo. Petrum non eſſe non Petrum formaliter nihil aliud eſt quam Petrum negatiue ſignificatum. Sed Petrum eſſe Petrum eſt tranſcendens, ſeu idem formaliter cum conſtitutiuo Petri: ergo ens eſſe non ens eſt tranſcendens conſtitutum entis, ſeu eſt ipſum conſtitutum entis negatiue ſignificatum. Eadem ratione, quæ dico Petrum non eſſe non Petrum, ſeu Petrum eſſe non Ioannem, & non lignum, &c. eſſe idem formaliter ac Petrum eſſe, poteſt exemplum adduci in quibuscumque aliis prædicatis, v.g. in animali, de quo eodem modo affirmo animal non eſſe non animal, ſeu animal eſſe non lignum, & non petram, &c. eſſe idem, ac animal eſſe animal. Antecedens probabo: hæc propositio Petrus non eſt non Petrus, ſeu Petrus eſt non lignum, non lapis &c. non ſignificat Petrum eſſe aliquam negationem, ſeu Petrum eſſe non eſſe Ioannis; falſum eſt enim Petrum eſſe negationem Ioannis aliſue entitatis poſitiue, ſeu eſſe non eſſe Ioannis, quod importat eſſe negationem Ioannis, quia idem ſunt negatio Ioannis, & non eſſe Ioannis; ſed eſſe aliud à Ioanne, ſeu aliquid, quod non eſt Ioannes, videlicet eſſe Petrum, qui Petrus Ioannes non eſt. Ob hanc rationem acutè notauit Heru. quodlib. 4. quæſtione prima, §. ſecundum videndum, extrema indiuiſionis à ſe, quæ prædictis propositiõibus importatur eſſe ipſa tota bis ab intellectu repetita, ſemel poſitiue, & iterum negatiue; ſic cum dicimus, *Petrus eſt non Petrus*, Petrus, qui ponitur ex parte ſubiecti, idem formaliter ex parte obiecti poſt plures negationes ex parte prædicati negatiue ſignificatus iterum ponitur: Similiter eum dicimus *Petrus eſt non Ioannes*, idem Petrus, qui ex parte ſubiecti ponitur poſitiue ſignificatus abſque alia formalitate ex parte prædicati negatiue ſignificatus repetitur, illud enim non præſuppoſitum prædicato, non negat; ſed inſinitat, hoc eſt facit ſubiectum ſignificare totum illud, quod diſtinguitur à ſignificato vocis, cui adiungitur, ita vt hæc propositio *Petrus eſt non Ioannes* in hanc reſoluitur, Petrus eſt hoc, vel illud, ſub diſiunctione recensendo omnia, Ioanne dempto: & ita de vno Petro verificatur, & inſpecto prædicato verificationis, Prædicatio illa *Petrus eſt non Ioannes* eadem eſt cum iſta *Petrus eſt Petrus*.

16 Ex his inferes de ratione vnus eſſe negationem diuiſionis, quia de ratione vnus eſt non eſſe aliud, quod eſt eſſe diuiſum ab alio, quod non eſt ipſum, & eſſe ipſum, quod importat non eſſe diuiſum à ſe, quod neceſſariò eſt, ſeu cum quo identificatur: itaque Petrum non eſſe non Petrum dicit Petrum non eſſe Ioannem, quod eſt eſſe diuiſum à Ioanne, & eſſe ipſum Petrum, quod eſt eſſe indiuiſum ab ipſo Petro, qui de eodem Petro per identitatem prædicatur.

17 Reſtat ſatisfacere Patri Faſol. arguenti: Indiuiſio à ſe conuenit æterno lapidum, qui non eſt vnus, ſed plures lapides: ergo indiuiſio à ſe non eſt conſtitutum vnus, quia conuenit enti non vni, quod dici non poterit de indiuiſione in ſe, nullum enim ens poterit assignari in ſe indiuiſum, quod vnus non ſit. Reſpondeo hoc argumento probari indiuiſionem à ſe non eſſe rationem adequatè conſtitutiuam vnus, ſiquidem ipſa ſine alia ſufficiens non eſt

ad vnus conſtituendum, non verò poſſe probari ex illo non eſſe rationem inadæquatè conſtituentem vnus formaliter vt vnus, non enim valet conſequentia: poſita hæc negatione non reſultat vnus: ergo hæc negatio non eſt ratio conſtitutiva, neque adequata, neque inadæquata vnus: ratio enim conſtitutiva inadæquata cuiuſvis concretæ poteſt eſſe exiſtere, abſque eo quod reſulter concretum ex defectu aliis rationis inadæquata, cum qua concretum conſtituit, ſicuti de facto exiſtit anima rationalis abſque eo quod hominem conſtituat, non adhuc ex defectu aliis comparti, ſed tantum ex vnionis defectu. Ad illud quod dicitur, videlicet nunquam dari indiuiſionem entis in ſe, quin detur vnus. Reſpondeo id non contingere, quia indiuiſio entis in ſe ſufficiens ſit conſtituere vnus abſque indiuiſione entis à ſe, ſed quia indiuiſionem entis in ſe ſemper comitatur indiuiſio entis à ſe, quin hæc ab illa aliquando ſeparetur. Ex quo ſit dari vtramque indiuiſionem, quando datur indiuiſio entis in ſe, & conſequenter dari vnus per vtramque indiuiſionem formaliter conſtitutum. Adde, æterno lapidum, & cuiuscumque alij enti per accidens non per ſe competere indiuiſionem entis à ſe, ſed ratione ſingularium lapidum, quos in ſe continet, quia enim omnis lapis in æterno contentus eſt à ſe indiuiſus, & diuiſus ab omni lapide, qui non eſt ipſe, & conſequenter ab omni lapide pertinente ad alium æternum, ſit hunc æternum lapidum ratione ſingularium lapidum, quos continet, habere indiuiſionem non illi primariò, & per ſe conuenientem, ſed lapidibus, quos in ſe continet, quorum quilibet ſuam habet vnitatem. Ex quo ſit omne ens, cui per ſe, & primariò conuenit indiuiſio à ſe eſſe propriè, & formaliter per ſe vnus, quia etſi æternum lapidum propriè, & formaliter non ſit vnus per ſe, non illi primariò, & per ſe competit indiuiſio à ſe, ſed ſecundariò ratione lapidum, quos abſque vlla phyſica vnione in ſe continet.

Obicit P. Faſol. Indiuiſio entis à ſe eſt negatio diuiſionis impoſſibilis: ergo non poteſt conſiſtere in illa ratio vnus. Reſpondeo concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia indiuiſio entis in ſe in ente ſimplici, ſeu non composito eſt negatio diuiſionis entis impoſſibilis, vt ſuprà dicebam, & nihilominus pertinet ad rationem conſtitutiuam vnus.

§. III.

An indiuiſiones, per quas formaliter conſtituitur vnus, importent aliquid poſitiuum.

Explicauimus iam quas indiuiſiones, ſeu quarum diuiſionum negationes includat ens, explicandum eſt modò an hæc indiuiſiones, ſeu negationes diuiſionum importent aliquid poſitiuum.

Indiuiſionem, ſeu indiuiſiones, ex quibus formaliter conſtituitur ratio vnus importare quid in ſe formaliter negatiuum defendunt P. Soar. in Metaph. diſp. 4. ſect. 1. n. 1. P. Faſol. 1. part. quæſt. 12. art. 7. & 8. P. Arr. diſp. 1. ſect. 3. ſub ſect. 3. num. 37. & ferè omnes Thomiſtæ exiſtentes vnus addere ſuprà ens aliquid negatiuum formaliter. Indiuiſionem, per quam ens conſtituitur, non dicere aliquid formaliter negatiuum, ſed poſitiuum negatiue ſignificatum, defendunt P. Valdez 1. part. diſp. 128. cap. 2. & P. Hurt. diſp. 4. ſect. 1. n. 16. qui aſerunt vnus formaliter dicere quid poſitiuum nullo negatiuo importato.

Indiuiſionem entis à ſe, quæ eſt diuiſio eiſdem entis ab alio importare quid poſitiuum probauimus præcedenti, & fatentur omnes, authores enim, qui vnitatem in aliquo negatiuo conſtituunt, aſerunt hoc eſſe indiuiſionem entis in ſe, quam tantum ad rationem formalem vnitatis pertinere plerique defendunt. Cenſeo tamen hanc diuiſionem entis in ſe, & diuiſionem eiſdem ab alio, quæ formaliter idem ſunt, poſſe conſiderari reſpectu contradicторij eiſdem entis, & reſpectu aliorum entium; exempli gratià, Petrus diuiſionem habet à ſuo non eſſe, quatenus Petrus non eſt ſui non eſſe, ſeu non eſt negatio ſui; & idem Petrus diuiſionem habet reſpectu Ioannis, quatenus Petrus non eſt Ioannes, & quatenus eſt non Ioannes, quod eſt formaliter idem, ac eſſe Petrum, vt dicebam ſuprà, propter quam rationem defendimus Petrum eſſe indiuiſum à ſe, eſſe idem ac eſſe diuiſum ab alio, eſſe enim indiuiſum à ſe dicit eſſe ipſum, & diuiſum ab alio dicit non eſſe aliud, ſeu eſſe non aliud, & cum Petrum eſſe ipſum, ſeu eſſe Petrum, ſit idem ac eſſe non aliud, ſeu eſſe non Ioannem

Ioannem, sit esse idem Petri esse indiuisum à se & diuisum ab alio. Diuerso tamen modo dicit Petrus diuisionem à suo contradictorio, quam à reliquis obiectis, quia respectu sui contradictorii, non solum est non illud, sed etiam est non esse illius, respectu vero aliorum obiectorum tantum habet ens esse non illa, non tamen est illorum non esse: rem declaro, & proba. Petrus, & negatio Petri mutuo opponuntur tanquam esse, & non esse, negatio enim Petri est non esse Petri, & Petrus est non esse lux negationis, negationis enim non datur negatio, sed per ipsum habitum destruit, & sicuti esse negationem Petri est non esse Petrum, sic esse Petrum est non esse negationem Petri. Ex quo inferitur quodlibet ens esse diuisum per suammet entitatem à suo contradictorio, non solum ut non illud, sed etiam ut non esse illius. Respectu aliorum obiectorum ens per se ipsum tantum habet non esse illa, & esse non illa, non tamen habet esse non esse illorum, homo enim non est equus, & est non equus, non tamen est non esse equi; neque homo & equus opponuntur tanquam esse, & non esse, quia homo, & equus coexistunt, & posito homine non auferitur equus, aut è contrariis esse autem, & non esse cuiuscumque entis coexistere nequeunt, & vno posito formaliter per positionem illius auferitur alterum.

22 Negationem diuisionis in se, quam dicit ens formaliter ut vnum non esse quid negatiuum, sed quid positiuum negatiue significatum, sic proba. Diuisio entis in se dicit negationem: ergo carentia huius diuisionis dicit habitum positiuum, quod opponitur cum hac negatione. Consequentia est bona, quia carentia diuisionis est non esse diuisionis: ergo si diuisio est negatio, carentia diuisionis erit non esse negationis: sed non esse negationis est quid positiuum, quia negationis non datur negatio, alias in infinitum procederetur, sed ipsum habitum positiuum est non esse negationis: ergo carentia negationis est quid positiuum. Confirmatur exemplo cecitatis, quæ est quid priuatiuum, cuius non esse est quid positiuum, videlicet potentia visiva, cuius cæcitas est priuatio, & ideo hominem non esse cæcum idem est ac hominem esse potentem videre. Primum antecedens, videlicet diuisionem entis in se dicere negationem, sic proba. Diuidi in se ens compositum, seu vnitum nihil aliud est, quam destrui vnionem, quæ est inter illius extrema, eo enim ipso quod designat esse vno inter partes cuiuscumque compositi, siue essentialis, siue integralis dicitur tale compositum diuisum in partes illas, quarum vno fuit corrupta: ergo compositum diuidi nihil aliud est quam vnionem corrumpi: ergo præcisè per negationem vnus intelligitur totum compositum diuisum in se: ergo non esse huius negationis erit non esse diuisionis: sed non esse talis negationis dicit quid positiuum: ergo non esse diuisionis dicit quid positiuum: ergo ens non esse diuisum, seu esse non diuisum in se dicit formaliter esse vnitum, quod est positiuum negatiue significatum. In ente simplici, cuius diuisio in se possibilis non est, non ita clarè tradita doctrina cernitur, verumtamen de vtroque eadem est ratio, quam iam expendo pro ente indiuisibili. Angelum esse diuisum dicit carentiam identitatis prædicatorum, quæ continet, seu extremorum, in quæ diuisus diceretur, & carentiam vnionis physica inter eadem extrema: ergo identitas prædicatorum, & omnium formalitatum, quæ sunt in Angelo, est non esse carentiæ eiusdem identitatis, quam essentialiter diceret diuisio: ergo est non esse talis diuisionis, illud enim quod est non esse alicuius constitutum, essentialiter est non esse totius constituendi, quia ad hoc ut non sit totum, sufficit non esse aliquod illius essentialiter constitutum, est adiacet reliqua, sic non esse vnionis, dicitur non esse hominis, & non esse materiæ, aut non esse formæ eodem modo diceretur non esse hominis. Diuisionem Angeli in se dicere negationem identitatis, & negationem vnionis inter ipsa prædicata, sic proba. Diuisio inter prædicata Angeli, quæ de facto sunt idem, si de facto existeret, diceret inter ipsa prædicata, id quod dicit diuisio de facto existens inter materiam, & formam hominis emortui. Sed hæc diuisio dicit negationem identitatis, & negationem vnionis inter materiam, & formam: ergo illa diuisio diceret negationem identitatis, & negationem vnionis inter prædicata Angeli, quæ de facto sunt idem, in quibus tunc intercederet: ergo eo ipso quod sit non esse negationis identitatis, aut non esse diuisionis inter illa prædicata est non esse diuisionis inter ipsa, sed identitas, seu simplicitas

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

prædicatorum, quæ sunt in Angelo est non esse negationis identitatis inter ipsa prædicata: ergo est non esse diuisionis eorumdem. Sed identitas prædicatorum, quæ sunt in Angelo, & simplicitas eiusdem Angeli, quæ ab identitate non distinguitur, est quid positiuum: ergo indiuisio Angeli in se ipso est quid positiuum. Confirmatur: magis opponitur cum diuisione prædicatorum, & magis remouet ab illa eadem prædicata identitas, & simplicitas ipsorum, quam vnio physica eorumdem: identitas enim, & simplicitas non solum faciunt vnum indiuisum, sed indiuisum, & indiuisibile, est enim prædicatorum identitas, simplicitas eorumdem, seu rei constituta per illa strictior, & intimior nexus, quam vnio; sed vnio & diuisio opponuntur sicut esse, & non esse: ergo simplicitas, seu identitas opponitur cum diuisione tanquam esse, & non esse. Confirmatur. Angelus indiuisibilis, & punctum indiuisibile quantitatis per suasmet entitates habent esse indiuisibiles, & esse indiuisa: ergo per suasmet entitates habent carentiam diuisionis: ergo per suasmet entitates habent proprias vnitates abque alia negatione superaddita.

Respondet P. Soar. suprà n. 20. ex D. Thoma in 1. dist. 24. quæst. 1. art. 3. negationem diuisionis dici negationem secundum intellectum, quatenus iste potest super negationem reflexere; in re verò esse aliquid positiuum, vnionem videlicet, quæ opponitur diuisioni, in qua ratio vnitatis consistit. In hac solutione Angelici Doctoris doctrinam agnosco. ex quo sententiam quam defendo, illiusque rationes desumpsi, ambabusque manibus illam accipio, ea enim ad nostra caltra aduersarios adducit, quia si nobiscum fateantur rationem vnus esse quid positiuum, concedere non recusabimus significari per modum entitatis negatiue, quatenus dicimus vnum esse non diuisum, & sicuti hoc nomen diuisum quid negatiuum instar positiui significat, sic nomen indiuisum, seu concretum hoc non diuisum quid positiuum instar negatiui significat.

24 Hanc solutionem ex propria sententia tantum probabiliter esse docuit P. Soar. reuult tamen validissimus miles, & acerrimus propugnator veritatis. quam sibi defendendam suscepit, propria caltra ita aperte deferere, ideo solutionem aliam exhibuit, quæ prædicti argumenti impetus reuolueret. Asserit sapientissimus Pater, lineas esse diuisas non esse negationem vnionis, sed quamlibet habere suum proprium terminatiuum, quo clauditur, & terminatur, per quod hæc linea est formaliter ab illa diuisa, sicuti illa per aliud simile continuatiuum constituitur ab hac formaliter diuisa, cui diuisioni opponitur carentia diuisionis, quæ vnionem constituit. Supponit hæc solutio dari hæc specialia terminatiua, quæ ego cum aliis plurimis non admitto: sed quidquid de hoc sit, his admissis terminatiuis solutionem impugno Realiter ablatis, vel mente præcisè his indiuisibilibus terminatiuis, ex eo præcisè quod hæ partes lineæ, quæ antea erant vnitæ, vnitæ non sunt, linea est diuisa in partes, & quamlibet pars alteri non vnita, est diuisa ab altera: ergo lineam esse diuisam non dicit formaliter illa puncta terminatiua; sed negationem vnionis, quam illa puncta terminatiua sequuntur. Ratio est, quia diuisum, & non vnitum supposita existentia extremorum vnibilium, sunt formaliter idem: sed non vnitum constituitur per negationem: ergo diuisum constituitur per eandem negationem. Deinde diuisum, & non vnitum, quæ sunt formaliter idem, necessariò habent eandem formam contradictoriè oppositam: sed forma contradictoriè opposita non vnito est vnitum: ergo forma contradictoriè opposita diuiso est idem ac vnitum: sed vnitum est quid positiuum: ergo forma contradictoriè opposita non vnito, seu diuiso, est quid positiuum: ergo vnitum est non esse diuisum: ergo vni quod formaliter dicit non diuisum, dicit formaliter vnitum in entitatibus, quæ habent extrema vnibilia, & in entitate indiuisibili identitatem prædicatorum, seu simplicitatem rei, quæ est indiuisibilitas, & indiuisio eiusdem. Rursus eadem solutio locum non obtinet in compositis essentialibus, quia sicut vnitas compositi integralis opponitur cum diuisione eiusdem compositi integralis, & est non esse huius diuisionis, ita vnitas compositi essentialis opponitur cum diuisione eiusdem compositi essentialis in materiam & formam, & dicit non esse huius diuisionis: sed hæc diuisio totius in partes essentialis non dicit extrema aliqua positiua terminantia partes essentialis sed tantum negationem vnionis essentialis: ergo vnitas compositi essentialis, quæ importat non esse huius diuisionis,

diuisionis, importat non esse negationis vnionis: ergo importat ipsam vnionem posituiam, quæ est non esse negationis ipsius vnionis.

25 Aliter respondet P. Fasol. dubit. 9. num. 3. vbi ait, diuisionem esse negationem plurium entium positiuorum, quæ sunt in se completa, & suis entitatibus terminata, de quibus verum sit dicere, hoc non est illud: vnitatem autem non negare diuisionem in quantum hæc est quædam negatio præcisè, sed etiam præcipue negare entia positia, quæ in diuisione continentur: esse enim vnium significat non habere in se plura positia entia, quorum hoc non sit illud. Ne quid claritatis, aut efficacis solutioni adimerem, illam ad verbum ex Fasol. transcripsi, contra quam, non pauca mihi occurrunt. In primis falsum est diuisionem dicere negationem plurium entium, quæ in se sunt completa, & suis entitatibus terminata, de quibus verum sit dicere, hoc non est illud, quia diuisio potius connotat, quam negat plura entia, vt extrema diuisionis: diuisio enim est negatio vnionis inter extrema, quæ vnionem terminabant, & diuisione posita illam non terminant. Secundo dicit vnitatem non negare diuisionem in quantum est pura negatio, sed etiam, imò præcipue, negare plura entia, quæ in diuisione continentur. Duo mihi in his verbis difficultatem ingerunt: primum est, vnitatem non negare diuisionem in quantum est negatio præcisè, ipse enim Fasol. nihil in diuisione constituerat, quod negatio non esset, asserit enim diuisionem esse negationem plurium entium positiuorum: ergo vnitas, quæ est negatio diuisionis nihil potest negare in hac, quod negatio non sit, in re enim pure negatiua nihil positium potest negari, quia illud quod in re non est, in ipsa negari nequit: illud positium quod vnitate negari dicit, videlicet plura entia, in diuisione non est, in sententia Fasol. quia diuisio est negatio plurium entium: in negatione autem nullo modo potest esse illud, quod negatur. Secundo contra eundem Fasol. ex eisdem verbis argumentum desumo. Diuisio est negatio plurium entium: ergo vnitas, quæ est negatio huius negationis non potest esse negatio eorumdem entium, negatio enim negationis negationem negat, supra quam reflectit, non id, quod prior negatio negabat, potius negatio negationis est positio illius, quod negatio negata negat, quæ ratione si diuisio est negatio plurium entium, plura entia erunt negatio negationis ipsorum entium, in qua consistit diuisio, sicuti cæcitas, quæ est negatio potentie visus, habet pro negatione potentiam visum, quæ est negatio, seu non esse cæcitat, & negationis, in qua consistit cæcitas. Rursus in sententia Fasol. vnitas est negatio plurium entium, & diuisio cuius vnitas est negatio, plurium entium: ergo diuisio, & vnitas sunt negatio eorumdem plurium entium: ergo sunt eadem negatio: ergo eadem negatio est negatio sui ipsius. Credo Amanuensis, vel Typographi incuria, verbum aliquod fuisse prætermisum, ex cuius defectu perfectum sensum non generant illa, quæ modò apud Fasol. legimus. Coniecto ergo sensisse Fasol. diuisionem esse negationem vnionis plurium entium, quæ posita negatione diuisa supersunt: vnitatem verò non solum esse negationem diuisionis, in qua formaliter consistit diuisio, sed etiam extremorum, quæ facta diuisione superessent, & ita non solum esse negationem negationis, sed etiam positiuorum extremorum, quorum non esse, sed quorum negatio est quid negatiuum, quia negatio positui pura est negatio: sic indicant verba illa: *Vnitas non tantum negat diuisionem in quantum est negatio præcisè, sed etiam extrema positia, quæ in diuisione continentur*, & hunc sensum perfectissimè reddent omnia verba Fasol. si vbi Typographus scripsit, *respondetur diuisionem esse negationem plurium entium*, &c. legas, *esse negationem vnionis plurium entium* addendo vocabulum *vnionis*, quod mihi persuasum fuisse omisum, quia illo posito reddunt perfectum sensum reliqua omnia, & exacta traditur diuisionis definitio.

26 Solutionem hanc, siue nobis verbis excitatam Fasoli, siue ab hoc traditam sic impugno. In primis ex illa inferitur vnitatem esse negationem diuisionis extremorum, quæ est pura negatio, & ipsorum extremorum, quæ sunt entia positia, ac proinde dicere duplicem negationem, quandam negationis, seu diuisionis, quæ in se positia erit, quia negatio negationis necessarid dicit quid positium, aliam extremorum positiuorum, quæ sunt positia

& hæc erit pura negatio, quod contendit Fasol. & videtur tradere ex verbis D. Thomæ quodlibet. 10. q. 1. ad 2. in ratione vnionis includitur negatio negationis, & rei suæ. Ex quo infero absolutè dicendū non esse vnionem importare aliquid negatiuum, sed importare aliquid positium & aliquid negatiuum, cum enim importet duplicem negationem, quandam negationis, quæ tantum est negatio in modo significandi, & in re entitas positia: & aliam extremorum positiuorum, quæ est negatio rei positie, non est maior ratio, cur dicatur vnitatem importare aliquid negatiuum, quam aliquid positium. Ceterum adhuc posset responderi, posse dari negationem ipsius diuisionis nullo importato positio, seu nulla entitate positia existente, quia diuisio dicit duo, non esse vnionis positie, quod est quid negatiuum, & esse extremorum vnibilium quod est quid positium, sine quibus stare non potest diuisio, quia etiam si detur non esse vnionis, si non detur vnibilis existentia, non dabitur diuisio, vt patet quando in eodem instanti desinunt vnio, & extrema vnitate tunc enim non dicitur totum diuidi, nec extrema diuisa dicuntur, sed destructa: nullus enim dicit diuidi calorem, quando omnes illius partes corrumpuntur, etiam si illarum vnio corrumpatur, neque diceretur totum compositum diuidi, si in eodem instanti materia, forma, & vnio in nihilum abirent. Ex hoc infero posse destrui diuisionem præcisè per destructionem positie, quod importat, destructio erit pura negatio, non posita vnionis positia, neque posita negatione negationis vnionis, quæ esset eadem positia vnio, sicuti poneretur modo negatio diuisionis, quæ est inter duo ligna non vnita, præcisè per puram negationem lignorum, illis enim corruptis diuisa non maneret, & daretur negatio diuisionis ipsorum absque aliquo positio. Hac ratione posset dici vnitatem dicere negationem extremorum diuibilium, quæ est pura negatio, & non esse diuisionis, quæ essentialiter dicit extrema positia, ex eo enim præcisè quod non detur ens positium vnibile, quantumvis detur negatio vnionis, dabitur negatio diuisionis, in quo casu negatio diuisionis nihil positium importabit, vt satis explicatum est. Ex hac doctrina ad argumentum in forma hac ratione responderetur. Diuisio est negatio vnionis, distinguo antecedens: negatio vnionis tantum, nego: negatio vnionis, & positio vnibilium positiuorum, concedo: ergo non esse diuisionis est non esse negationis vnionis: distinguo consequens: est non esse negationis vnionis tantum, nego consequentiam: est non esse negationis vnionis, vel non esse extremorum vnibilium, concedo consequentiam: ergo non esse diuisionis est non esse negationis vnionis, quod dicit formaliter vnionem positiam distinguo consequens: est non esse negationis vnionis tantum, seu necessarid, nego consequentiam: est non esse negationis vnionis, quod importat vnionem positiam, vel non esse extremorum vnibilium, quod dicit negationem formalem, concedo consequentiam: ergo vnitas dicit quid positium, nego consequentiam, quia dicit non esse diuisionis non negando negationem vnionis, quod esset dicere quid positium, sed præcisè destruendo extrema positia vnibilia, quod est quid negatiuum, in quo adquatè potest consistere diuisio, quæ dicit non esse vnionis, & esse extremorum vnibilium, quia omne totum quod essentialiter dicit plura distincta adquatè destruitur per destructionem cuiuslibet illorum, quæ essentialiter includit.

Hanc, si aliquam arripere viam ad hanc sententiam defendendam, verumtamen non illam omnino tantam reperio: occurrent enim plura, quæ ab illa discedere cogent quemcumque rem attentè meditantem. In primis non inuenio, quæ sint illa vnibilia, quæ neget vnitas, ratione quorum diuisionem neget: quod enim ait Fasolus vnitatem negare plura entia, quorum hoc non sit illud, difficile admodum est, quia vnitas Petri non negat plura entia, quorum hoc non sit illud, neque sit idem Petrus quod est tantum negare Petrum esse aliud à se, quod tantum dicit Petrum esse ipsum Petrum, vt probaui suprâ. Secundo, hæc negatio plurium entium, quorum hoc non sit aliud, & sine vnium cum Petro dicit indiuisiōem entis à se, quam docet Fasol. communem esse enti vni, & non vni, non dicit indiuisiōem entis in se, quæ in sententia ferè omnium pertinet ad rationem vnus, & in qua Fasol. adquatè rationem vnitatis constituit, quam indiuisiōem non posse adhuc prædicto modo explicari sic probo. Indiuisiō in se, quam dicit

dicit homo cōpositus ex materia & forma, dicit negationem diuisionis hominis in materiam & formam: ergo dicit & importat formaliter materiam, & formam hominis non esse diuifas: sed non potest importare formaliter hanc indiuiſionem, seu hoc quod est materiam, & formam non esse diuifas importando negationem extremorum vnibilium: ergo neceſſario importat hanc indiuiſionem importando non esse negationis vnionis inter hanc extremam: ergo importando ipsam vnionem, quæ est non esse negationis vnionis, & entitas poſitiua formaliter pertinet ad rationem vnionis. Maior est omnino certa, quia præciſe ex eo, quod materia, & forma hominis diuiderentur præciſo quocumque alio, non maneret vnus homo: idem dico de toto integrali, quod non maneret vnus si illius partes diuiderentur, quantitas enim in duo extrema diuiſa non est vna qualitas: sed multiplex. Minorem probo: Homo vt vnus, & quodlibet totum eſſentialiter includit, ſaltem pro materiali, extrema, ex quibus componitur: ergo non potest importare indiuiſionem ſui, ſeu negationem diuisionis importando negationem extremorum, ex quibus idem totum componitur, aliàs totum vt vnus importaret negationem totius, quæ adæquatè ſita eſt in negatione cuiusque extremi vnionis, ſeu cuiusque partis, quam dicit: deſtructa enim quacumque parte totum quod illam includebat formaliter ex vi deſtructionis talis partis neceſſario deſinit eſſe.

28 Denique ſi rectè expendantur omnia argumenta, quibus probauimus vnũ non addere ſupra ens rationem aliquam poſitiuam, eodem modo concludunt, nullam addere negatiuam, quia omnis ratio, quæ in ſe formaliter ſit negatio, non ſolum formaliter, ſed etiam realiter diſtinguitur ab ente poſitiuo, quia nullum ens poſitiuũ poteſt cum negatione aliqua identificari. Sed omne ens ſecluſo quocumque alio diſtincto realiter eſt vnũ: ergo omne ens poſitiuũ ſecluſa quacumque negatione eſt formaliter vnũ. Minorem probo: diſtinctio vnus ab alio ſupponit vnitatem illius, quod ab alio diſtinguitur: ergo prius eſt ens poſitiuũ eſſe vnũ, quàm diſtingui à negatione: ergo non poteſt conſtitui vnũ per negationem à ſe diſtinctam. Secundò, omni negatione ſuperaddita ſecluſa Petrus eſt Petrus, & eſt non Ioannes: ergo omni negatione ſuperaddita ſecluſa Petrus habet eſſe indiſtinctum in ſe, & diſtinctum à quocumque alio: ergo omni negatione ſuperaddita ſecluſa Petrus per ſuam entitatem habet eſſe vnũ. Tertiò, negatio ipſa habet ſuam vnitatem negatiuam abſque alia negatione ſuperaddita, aliàs in infinitum procederetur: ergo ſicuti negatio per ſeipſam habet ſuam negatiuam vnitatem, ita res poſitiua habebit per ſuam entitatem abſque vlla negatione ſuperaddita ſuam poſitiuam entitatem.

§. IV.

Nonnulla corollaria, & exacta vnus tranſcendentaliter deſinitio.

29 Ex his infero primò vnũ non addere ſupra ens rationem aliquam neque poſitiuam, neque negatiuam realiter, neque formaliter ex parte obiecti diſtinctam, ſed tantum dicere eandem rationem formalem entis diſtinctam formaliter ex parte actus modo negatiuo ſignificatã. Vnũ non addere ſupra ens rationem aliquam realiter, neque formaliter ex parte obiecti diſtinctam ſuſe probauimus: dicere rationem diſtinctam ex parte actus negatiue ſignificatã, extra controuerſiam eſt, quia omnem rationem vnus per modum negationis ſignificamus, & quia ſi vnũ ſaltem ex parte actus ab ente non diſtingueretur non poſſet dici paſſio, ſeu attributum entis.

30 Infero ſecundò, vnũ non eſſe deſiniendum indiſtinctum à ſe, & diſtinctum à quolibet alio, quia eſſe indiſtinctum ſeu indiuiſum à ſe, & eſſe diſtinctum à quolibet alio ſunt idem formaliter, idem enim eſt in Petro ipſum eſſe Petrum, & non eſſe Ioannem, ſeu eſſe non Ioannem, vt ſæpe dixi, & vtrumque importat indiuiſionem entis à ſe, quæ formaliter non diſtinguitur à diuiſione entis ab alio, quapropter deſinitio illa non dicit indiuiſionem entis, quæ formaliter pertinet ad rationem conſtitutiua vnitatis, ſed bis repetit indiuiſionem à ſe, ſemel per illa verba indiuiſum à ſe, & iterum per alia & diuiſum à quolibet alio, idem enim formaliter eſt, vt ſæpe dixi, eſſe indiuiſum à ſe, & eſſe diuiſum à quolibet alio. Rectè vnũ deſinitur indiuiſum in ſe, & diuiſum ab alio: quibus verbis deſinit vnũ Angelicus

Franciſc. de Ouidio Philoſoph. Tom. II.

Doctor in 1. diſt. 19. q. 4. a. 1. ad 2. Per priora verba deſinitionis explicatur indiuiſio entis in ſe, & per poſteriora indiuiſio entis à ſe, ſeu diuiſio ab alio.

Infero tertio vnũ in vnuerſum eſſe idem, ac indiuiſum, non tamen idem, ac vnũ, quia ens ſimplex, veluti Angelus, eſt vnũ indiuiſum, non tamen eſt vnũ, caret enim partibus ſecundum quas terminet vnionem. Dicit ergo vnũ eſſe indiuiſum, ſeu eſſe ens, quod non habeat partes diuiſas, vel quia illis careat, veluti Angelus, vel quia illas habet vnitas, veluti homo, indiuiſum enim dicit id, quod poſitiue diuiſioni opponitur, & huic æquè directè oppoſita eſt vnio partium compositi, & ſimplicitas entis, quod caret partibus, v. g. ſimplicitas, quam dicit Angelus & rationalis animus. Dixi indiuiſum conſtituens vnitatem eſſe illud, quod poſitiue opponitur diuiſioni, quia nõ quocumque non eſſe diuiſionis, quod cum illa opponitur, conſtituit vnũ, deſinitio enim extremorum vnibilium eſt non eſſe diuiſionis, & cum illa opponitur, & tamen non conſtituit ens vnũ, potiùs deſtruit ens, quod vnũ erat conſtituendum, quia diuiſioni non opponitur poſitiue ponendo id, quod diuiſio negat, videlicet diuiſio, videlicet extrema vnibilia eſſentia in inſtanti, in quo diuiſio exiſtit.

Infero quartò, in entitatibus compositis, quarum vnitas vnionem importat, non ſumi vnitatem formaliter tantum ab vnione taſquam à forma, & ab extremis vnitis taſquam à materia, cui ſimul cum vnione contingat vnitas, ſed indiuiſibiliter à toto quod eſt vnũ, quatenus includit eſſentialiter extrema vnibilia, & ipsam vnionem, quod eſt ſumi ab vnico ſubſtantiue ſumpto, hoc eſt à toto quod conſtituitur per extrema vnibilia, & per vnionem, quatenus ita eſt conſtitutum, & non ab vnico adiectiue ſumpto, quod ſonat habens vnionem, & ſignificat vnionem in obliquo, & illud quod illam vnionem habet in recto, in quo ſenſu improprie valde, totum dicitur vnũ, quia totum, quod dicitur vnũ non habet vnionem, ſicut lignum, quod dicitur album, habet albedinem, à qua adæquatè diſtinguitur, ſed totum quod vnũ dicitur conſtituitur intrinſecè per ipsam vnionem, & ita ſubſtantiue tantum poteſt dici vnũ, hoc eſt conſtitutum per vnionem, & extrema vnionis poſſunt adiectiue vnita dici, hoc eſt habentia, ſeu terminantia vnionem, à qua adæquatè diſtinguuntur. Vnitatem totius compositi non ſumi formaliter ab vnione tantum, ſed à toto conſtituto per vnionem, ſeu ab vnico ſubſtantiue ſumpto, ſic probo. Vnitas non diſtinguitur formaliter ex parte obiecti ab ente, quod dicitur vnũ: ergo vnitas materię ſumitur formaliter à materia, à qua adhuc formaliter ex parte obiecti, non diſtinguitur, & ſic vnitas formæ à forma, & vnitas vnionis ab vnione. Sed vnitas totius compositi nihil aliud eſt, quàm vnitas materię, & vnitas formæ & vnitas vnionis ſimul ſumptæ: ergo vnitas compositi ſumitur formaliter à materia, forma, & vnione, à quibus deſumuntur vnitas materię, vnitas formæ, & vnitas vnionis, cum quibus vnitatibus formaliter identificatur vnitas compositi. Verge, & declaro eandem rationem: vnio quæ poſita reſultat vnitas compositi, non dat vnitatem materię, neque formæ: neque materia, & forma habent diuerſam vnitatem cum vnione, aut ſine illa, ſicuti neque diuerſam entitatem habent: ergo materia, & forma, adhuc quando ſunt in composito, retinent proprias vnitates independentes à composito, & ab vnione, quæ mediã vnitate vnionis inter ſe vniantur, & componunt vnã vnitatem totalem, ſeu adæquatam totius: ergo vnitas adæquata totius: compositi, quæ dicit vnitatem materię, vnitatem formæ, & vnitatem vnionis, deſumitur formaliter immediatè à materia, forma, & vnione, à quibus formaliter ex parte obiecti non diſtinguitur.

Inferes quintò, partes vnitas, & non vnitas retinere eandem vnitatem, & pluralitatem, & ſicuti materia, & forma non vnitas erunt plures, ſic vnitas eandem retinet pluralitatem conſtitutã ex vnitatibus inæquatis, quas tantum habebant materia, & forma, dũ erant ſeparatæ: cõponunt tamen vnã vnitatem adæquatam poſitã vnitate vnionis, quod non dicit materię, aut formã diuerſam habere vnitatem, ſed habere eandem alteri vnitam, ſicuti materię, & formam componere rotum, quod antea non componebatur, non dicit habere diuerſas entitates, ſed habere vnitas entitates, quas antea non vnitas habebant. In partibus integralibus homogeneis idem omnino contingit, licet in modo loquendi nonnulla ſit differentia, quia ſicuti

eadem aquæ portio vnita dicitur pars, & non vnita dicitur totum, sic eadem vnitas aquæ non vnita dicitur totalis vnitas & vnita alteri vnitati aquæ, partialis vnitas dicitur, & ita posita vnione inter vnitates non est pluralitas aquarum, neque vnitatum totalium aquæ, sed pluralitas partium, & vnitatum partialium aquæ. Nihilominus semper remanet eadem vnitas in qualibet aqua, seu in qualibet portione aquæ siue vnita, siue non vnita, & tantum extrinsecè differunt, ex eo quod vnitates, quæ non vnitæ dicebantur totales, & pluralitatem aquarum constituebant, vnitæ partiales appellantur, & non dicuntur constituitur pluralitatem aquarum, sed pluralitatem partium aquæ.

34 Infero sextò, vnitates entium negatiuorum seu negationum, non aliquid posituum importare, quia cum vnitas non distingatur ab ente, neque adhuc ex parte obiecti formaliter, quale est ens talis est vnitas illius. Hac ratione ens rationis suam vnitatem rationis quodam modo includit, sunt etiam aliqua entia positiua, quæ secundum denominationem entium totalium negationem important, aqua enim & reliqua composita, quorum partes integrantes sunt eiusdem rationis præcisè per negationem vnionis cum extremo integrali eiusdem rationis dicuntur totalia: sic horum vnitates dicuntur totales quando non sunt integraliter vnitæ cum aliis vnitatibus eiusdem rationis.

35 Infero septimò, *vnium*, & *ens* adequatè conuertere tanquam passionem & essentiam, quia quodlibet ens habet esse à se indiuisum, & diuisum à quolibet alio; quo modo autem cum hoc stare possit diuisio entis in vnum & plura dicā §. vbi de vnitate entis per accidens, seu multitudinis.

§. V.

Argumenta soluta.

36 Obicitur: Ideo ens est vnum; quia est indiuisum in plura, quæ sunt adequatè idem cum ipso: ergo ea indiuisio non consistit in vnione, sed in eo quod ens non sit multiplex. Respondeo non ideo præcisè ens esse vnum, quia non est diuisum in plura, quæ non sint adequatè idem cum ipso, sed quia non est ita diuisum, & quia non est diuisum in partes, quæ inadæquatè ab illo distinguantur, quarum hæc vltima indiuisio dicit in ente composito esse vnitatem, & in non composito esse simplex, seu indiuisibile, quæ omnia rectè explicantur per hunc terminum *indiuisum*, & aliquid posituum important, quia indiuisio dicit rei simplicitatem, si res indiuisibilis sit, vel partes, & vnionem, seu vnicum substantiæ sumptum si res indiuisa sit composita.

37 Obicitur secundò Arriaga: Pluralitas, & multitudo vnitatum non est carentia, sed potius est repetitio vnitatum: sed vnitas est carentia pluralitatis: ergo vnitas est carentia alicuius positiui: ergo est quid negatiuum. Ex eisdem principiis, quibus nos impetit Arriaga, illum aggredior: Pluralitas non est quid negatiuum, vt docet Arriaga: sed pluralitas tantum est repetitio vnitatum: ergo vnitates seorsim sumptæ, seu quælibet vnitas vt distincta ab alia non est quid negatiuum. Probo consequentiam: ex repetitione negationum præcisè non potest fieri quid positiuum, quia negatio negatione additā non constituit aliquid positiuum, sed quoddam aggregatum negationum: sed præcisè ex repetitione vnitatum confurgit quid positiuum, videlicet pluralitas: ergo vnitates non sunt quid negatiuum, sed quid positiuum important. Dices vnitates esse quid negatiuum, repetitiones tamen earum esse quid positiuum. Contrà, repetitiones vnitatum, vel distinguuntur ab ipsis vnitatibus, vel non distinguuntur. Si distinguuntur, non pertinent ad pluralitatem, quia pluralitas tantum dicit hanc & illam vnitatem: si non distinguuntur, sicuti vnitates sunt quid negatiuum, sic illarum repetitiones quid negatiuum erit identificatum cum ipsis vnitatibus. Secundò repetitiones vnitatum ab ipsis non distingui est omnino certum, quia repetitio vnitatum nihil aliud est, quam hæc vnitas, & illa vnitas, eo enim ipso quod sit hæc, & illa vnitas vnitates repetitæ dicuntur.

38 Ad argumenti solutionem, scire oportet, quomodo vnitas, & pluralitas opponantur, & quam pluralitatem excludat vnitas. Ad duplicem pluralitatem potest comparari vnitas rei, v.g. vnitas Petri. Primò ad pluralitatem, quæ confurgit ex vnitate Petri, & ex aliis vnitatibus, v.g. ex vnitate Ioannis, & Francisci, ex quibus vna pluralitas affurgit. Secundò ad pluralitatem, quæ non affurgit ex ad-

uentu aliarum vnitatum, sed ex destructione huius, vbi gratia, ad pluralitatem, quæ resurgeret ex indiuisis adequatis inter se distinctis, cum quibus Petrus resurgeret si Petrus modò ex materia, & forma compositus in vtramque diuideretur. Deinde potest duplex vnitas considerari: quædam *transcendentalis*, quæ competit omnibus rebus, alia *solutudinis*, quæ competit sed vnicum, & solum esse dicimus, in quo sensu dicimus Deum esse vnum, & Solem esse vnum, quia neque possibilibus alius Deus distinctus à Deo Optimo Maximo, qui de facto existit, & non est existens alius Sol distinctus à Sole, quem in hoc hemisphærio conspiciamus. Hæc solitudo vnitas semper dicit negationem aliis entitatis eiusdem rationis, cum illa, quæ dicitur vnica secundum illam rationem, quæ vnica, seu sola denominatur. Sic in hoc sensu Solem esse vnum dicit negationem aliis Solis, & me esse vnum, seu vnicum in hoc gymnasio dicit negationem aliis hominis existentis in hoc gymnasio. Dicit hæc vnitas tam in ente creato, quam increato negationem aliis entis similis modo supra explicato, cum hac tamen differentia, quod negatio illa necessariò coniungenda est cum ente increato; repugnat enim Deum alium existere, ac prout hæc vnitas solitudinis, licet dicat negationem aliis Dei extrinsecum Deo, necessariò est coniuncta cum essentia Dei, & potest dici aliquo modo oriri ex essentia Dei, quia eo ipso quod Deus habeat essentiam infinitam necessariò cum illa coniungitur negatio aliis Dei, per quam hæc vnitas solitudinis constituitur. Enti verò creato non necessariò, sed contingenter hæc solitudinis vnitas contingit, quia contingens est respectu Solis, qui de facto existit, non dari modò alium Solem, seu dari negationem omnium Solium, qui possent existere, per quam constituitur vnitas solitudinis, quæ modo gaudet. Poterit etiam dici quemlibet Angelum necessariò habere vnitatem solitudinis secundum speciem, si defendas implicare intra eandem speciem plures Angelos numero distinctos, non tamen adhuc secundum hanc opinionem aquæ necessariò habebit Angelus vnitatem solitudinis, ac illam habet Deus, quia Angelus necessariò habet hanc vnitatem ex suppositione, quod existat, potuit enim antecederet non existere, & potest modò à Deo destitui, & hanc non habere vnitatem, Deus autem antecederet ad omnem suppositionem est vnus vnitate solitudinis, quia non tantum est necessum, non esse alium Deum, sed etiam antecederet ad quamcumque suppositionem summè necessum est existere hunc Deum Optimum Maximum, qui de facto existit.

Ex his duabus vnitatibus vnitas solitudinis opponitur cum quacumque pluralitate, & hæc dicit carentiam vnitatum oppositam multitudini, quam negat, vnitas transcendentalis non opponitur cum priori pluralitate, quæ resultat ex ipsa, & ex aliis vnitatibus extrinsecè aduenientibus, potius hanc pluralitatem componit, & ita non illum negat, sed constituit, neque illius est negatio, sed pars. Opponitur autem hæc vnitas, seu ens huiusmodi vnum cum pluralitate, seu multitudine, quæ adequatè repetitur in ipso, & quæ sit idem cum ipso, v.g. Petrus transcendentaliter vnus opponitur cum pluralitate Petri, & Ioannis, & Francisci, qui inter se distinguuntur, & sunt idem cum ipso Petro, quod non est opponi cum pluralitate, quæ resultat ex ipso Petro, & ex Ioannē, & Francisco inter se, & ab ipso Petro distinctis, cum hac enim pluralitate non transcendentalis, sed tantum solitudinis vnitas, quæ formaliter dicit negationem, opponitur, sed opponi cum pluralitate, quæ resuleret ex Ioannē, & Francisco inter se distinctis, & identificatis cum ipso Petro, quod tantum dicit Petrum ipsum non esse plura, seu non esse Ioannē, & Franciscum, quod est idem ac Petrum esse non Ioannē, & non Franciscum, quod, vt sæpe dixi, Petro conuenit per suam entitatem, & formaliter ex parte obiecti tantum dicit Petrum esse Petrum. Opponitur etiam transcendentalis vnitas, seu *vnium* transcendentaliter cum alia pluralitate, quæ posset resultare ex diuisione sui, v.g. hæc aqua, quæ modò dicitur vna, si in duas medietates diuideretur multiplex diceretur. Cum hac ergo multiplicatione opponitur vnitas transcendentalis tanquam habitus cum priuatione, dicit enim hæc vnitas quid positiuum, & illa quid negatiuum, videlicet priuationem vnionis inter vnitates, ex quibus dicitur multitudo aquarum confurgere.

Neque

40 Neque hæc oppositio formaliter est cum substantia illarum unitatum, neque cum substantia pluralitatis, quæ cõfurgit ex illis, sed cum illis unitatibus, quatenus denominantur totales, & simpliciter dicuntur pluralitate aquarum totalem componere, quia hæc unitas aquæ quatenus totalis dicit negationem vnionis cum alia unitate, quam vnio- nẽ includebat formaliter unitas aquæ, quæ in plures aquas fuit diuisa, & ita inter illam unitatem, quæ præcessit, & modò est per diuisionem corruptam, & huius unitates, quæ modò sunt, quatenus totales denominantur, datur oppositio priuatiua, quæ ex parte harum unitatum tota- lium dicit negationem vnionis ipsarum inter se, & ex parte unitatis, ex cuius diuisione hæc aquarum pluralitas resultauit, dicit vnionem earundem unitatum, & ita hæc unitas cum illa multitudine tanquam habitus cum sua pri- uatione opponitur. Eadem verò aquarum multitudo seu eadem unitates, non quatenus totales, sed præcisè quate- nus inter se distinctæ nullam oppositionem habent cum illa unitate, quæ præcessit, ex cuius diuisione dictæ sunt unitates totales, potius tota hæc pluralitas in illa uni- tate continebatur, & eadem unitates, quæ modò diuisæ pluralitatem constituunt in illa unitate continebantur tanquam partes in toto, & eandem pluralitatem compo- nebant, & absolute plures dicebantur, & annumerari po- terant, non tamen pluralitas ista, dum erat contenta in illa unitate, dicebatur pluralitas aquarum totalem, seu pluralitas totorum, sed tantum pluralitas partium aquæ, & unitatum partialium, & quælibet unitas, quæ modò diuisa dicitur totalis unitas, tunc partialis diceba- tur absque illa intrinseca differentia, quia unitas in ra- tione totalis & adæquatæ in totis, quorum partes sunt homogeneæ cum toto, præcisè consistit in negatione vnionis, & intrinsecè eadem omnino inuariata modò hæc unitas partialis dicitur, modò totalis, sicuti hæc eadem numero aquæ portio aqua totalis dicitur quando non est unitas, & partialis denominatur quando illi contin- git vnio superaddita ad aliud extremum eiusdem rationis cum ipso.

41 In compositis quorum partes inter se, & cum toto sunt heterogeneæ, sicuti in toto essentialiter composito ex materia, & forma unitas transcendentalis non opponitur cum pluralitate partium, potius ex illa componitur, sicut enim totum componitur ex materia & forma, sic unitas eiusdem totius componitur ex unitate eiusdem materie, & eiusdem forme, quæ in toto unitas, & extra totum di- uisæ constituunt pluralitatem partium. Neque partes etiam diuisæ dicuntur habere unitates totales, neque illarum unitates pluralitatem totorum, sed semper plu- ralitatem partium constituunt, quia cum hæ partes sint di- uersæ rationis cum toto, & ad illud componendum es- sentialiter ordinentur, siue unitas, siue non unitas partes dicuntur, & partiales unitates dicuntur habere, & nullo modo unitas totius cum pluralitate partium opponitur, sed tantum cum pluralitate partium diuisarum, sed cum unitatibus partium, ut ipse se diuisis, quæ tantum est oppo- ni, cum diuisione unitatum tanquam habitus cum priuatione, quia sicuti totum dicit vnionem partium, sic unitas totius dicit vnionem unitatum partium, quæ opponitur cum diuisione unitatum partium tanquam ha- bitus cum priuatione. Totam hanc doctrinam quam de oppositione unitatis cum pluralitate tradidi, pulchrè satis nobis tradidit Angelicus Doctor in 1. distinct. 24. art. 1. ad 4. paucis his verbis: *Vnum non est priuatio multitudinis, quam constituit sed quæ negatur esse in ipso.* Ac si diceret, vnum transcendentalis non dicit priuationem multitudinis, quam ipsum vnum cum aliis componit, hanc enim multitudinem tantum negat unitas solitudinis, non verò transcenden- talis unitas; sed dicit negationem multitudinis, quæ fit in ipso vno, hoc est ipsum vnum plura non esse, neque in plura diuisi, quod habet per suammet positiuam en- titatem, quia Petrus per suam entitatem habet non esse plura, seu esse diuisum in plura, quod etiam habet Ange- lus, seu entitas indiuisibilis per suam simplicitatem, & in- trinsecam indiuisiõnem.

42 Hæc omnia ad formam argumenti strictius cingo. Ar- gumentum sic procedebat: unitas est non esse pluralita- tis: pluralitas est quid positiuum: ergo unitas est quid ne- gatiuum. Distinguo maiorem: unitas solitudinis, con- cedo: unitas transcendentalis, subdistinguo: est non esse pluralitatis, quæ resultat ex ipsa & ex aliis unitatibus

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I. I.

distinctis, nego; hanc enim non negat, sed componit: est priuatio pluralitatis, quæ resultaret ex sui diuisione, & est non pluralitas identificata cum ipsa, concedo. Primum enim dicit vnionem in ente composito, quæ opponitur cum diuisione tanquam habitus cum sua priuatione, & simplicitatem, seu indiuisibilitatem in non composito, quæ à sua entitate non distinguitur: secundum dicit ipsum ens vnum, quatenus est non plura, quod dicit illam opposi- tionem, quam habet homo cum equo, quatenus non est equus, quæ non distinguitur ab ipso esse hominis, neque propriè est aliqua oppositio, ex quatuor, quæ vulgò solent assignari, & tantum præcisè dicit hoc ens non esse illud, & illud inter ipsa distincta.

Obiicit Arriaga sect. 3. subsect. 2. n. 35. doctrinam quam- dam, quæ se putat nostris argumentis satisfacere, imò sen- tentiam propriam stabilire, nostramque penitus euertere. Afferit diuisum, & indiuisum esse terminos contradic- torie oppositos, ac proinde vnum esse negatiuum, & alterum positiuum. Dicit tamen diuisum esse quid positiuum, & non diuisum esse quid negatiuum, quod sic probat ex duo- bus contradicitoriis: illorum alterum debet conuenire cui- libet enti siue reali, siue rationis, quia si hæc propositio est falsa, (*chimæra legitur*, hæc est necessariò vera, *chimæra non le- gitur*, aliàs darentur duæ contradictorie simul falsæ. Ex hac doctrina, quæ verissima est sic arguit. De Chimæra non potest realiter affirmari *chimæra realiter est diuisa*, ergo po- test dici *chimæra realiter non est diuisa*: ergo non diuisio rea- lis conuenit Chimæra: ergo non est aliquid positiuum conueni- ret. Miror recentiorum acutum hæc fuitiles nugas ad scho- las adduxisse, quæ in mente tyronis Dialectici non veni- rent, illisque dixisse manifestè probari non diuisum esse quid negatiuum, quàm verò manifestè decipiatur Arriaga, quisque videat. Nostra sententia quam tenet Hurt. & im- pugnat Arriaga, asserit vnum, & non diuisum, quod est idem formaliter ab ente non distingui, & consequenter docet esse quid positiuum; quia conceptus entis, ut sic, positiuus est, semper enim loquimur de ente reali positiuo, cum ens absolute proferimus. Si verò loquamur de ente negatiuo, vel de ente rationis, eodem modo dicemus unitatem seu non diuisionem entis negatiui esse quid negatiuum, & uni- tatem seu indiuisiõnem entis rationis esse ens rationis, eo enim modo, quo fuerit ens, erit unitas, & non diuisio, qua- tale ens afficitur. Ex quibus constat id, quod probat Arri- ga, nec nostris argumentis satisfacere, neque suam senten- tiam suadere, imò nostram confirmare mihi persuadeo. Conuincit enim Arriaga, non diuisionem in Chimæra non esse quid reale positiuum, quod est verum, quia est ipsa en- titas Chimæra, quæ non est entitas positiua realis, sed ens rationis, vnio enim, vel simplicitas illius, quæ est sua non diuisio, entitas est rationis, ac proinde cum dicimus *Chimæ- ra non est diuisa*, aut *Chimæra est non diuisa*, prædicamus de illa per modum negationis significatum quid positiuum, non reale, sed rationis, quod inconueniens non est, vnde argumentum Arriagæ adhuc non probat non diuisum in Chimæra esse quid negatiuum sed non esse positiuum reale, sed positiuum rationis, quod enti rationis, quod positiuum fingitur, potest conuenire.

Subtilius posset inquirere Arriaga, quidnam sit negatio- nem esse diuisam, si enim hanc indiuisam esse non distin- guitur ab ipsa negatione, indiuisio negationis, in qua illius unitas consistit, quid negatiui erit, sicut ipsa negatio: ergo diuisio erit quid positiuum; debet ego dici, quid positiuum importet negationis diuisio, ut possit defendi eiusdẽ indiui- sionem, & unitatẽ identificari cum negatione, & esse for- maliter quid negatiuum. Resp. diuisionem negationis esse quid positiuum, videlicet vnionem habitus, quo priuat, ex- pli gratia, negatio quantitatis continuæ habet suas partes negatiuas, quæ opponuntur partibus quantitatis, suppono modo quantitatem habere partes diuisibiles: habet insuper indiuisibilia negatiua, quibus partes negationis vniantur, quæ indiuisibilia opponuntur cum indiuisibilibus quãtita- tis & sicut hæc indiuisibilia negationis sunt nõ esse forma- liter indiuisibiliũ quãtita- tis, sic indiuisibilia quãtita- tis sunt non esse formaliter positiua indiuisibiliũ negationis, & si- cut quãtita- tis diuiditur per non esse sui indiuisibilis vnitiui, quod est negatio, sic negatio diuiditur per non esse posi- tiuum sui indiuisibilis negatiui, quod est indiuisibile posi- tiuum quantitatis. Hæc ad maiorem intelligentiam unitatis entitatis negatiuæ, quæ omnia iuxta subiectam

X 3 materiam

materiam intelligenda sunt, negatio enim propriè, nec vnitur, nec diuiditur, sed tantum improprie, eo modo quo dicitur esse.

- 45 Obicit quintò. Vnitas est passio entis: ergo distinguitur ab ente: omnis enim passio ab essentia cuius est passio necessario distinguitur, non per aliquid positum realiter enti superadditum, neque per intellectum ab ente formaliter ex parte obiecti præsum, neque per formalitatem aliquam ab intellectu constitutam: ergo tantum superest negatio aliqua, per quam possit vnitas formaliter distingui ab ente tanquam passio ab essentia. Respond. vnitatem non distingui ab ente aliquo ex prædictis modis annumeratis, neque ratione aliâ præcendente ex parte obiecti, sed tantum per rationem præcisam ex parte actus; eadem enim formalitas obiectiua hac ratione apprehensa essentia dicitur, & illa ratione apprehensa, passio, seu essentia attributum appellatur, non enim ex alio capite dicimus vnitatem esse passionem entis, nisi quia ipsissimam rationem obiectiui prædicipimus sub conceptu formali entis, & posterius sub conceptu formali vnus.

§. VI.

De vno per accidens.

- 46 Nonnulli apud Hurtad. sect. 3. §. 61. vnum per se definiunt, quod constat vno, aut pluribus conceptibus eiusdem prædicamenti, vnum autem per accidens, quod constat conceptibus diuersorum prædicamentorum. Contra has definitiones argumentatur Hurtad. exercitus hominum constat conceptibus eiusdem prædicamenti, & est vnum per accidens: ergo non est vnum per se quicquid constat conceptibus eiusdem prædicamenti, neque omne ens per accidens constat conceptibus diuersorum prædicamentorum. Non vrget obiectio, quia exercitus non tantum constat hominibus, sed hominibus hoc ordine, seu hac oppositione locali dispositis cum certa, & proportionata distantia, quæ includit illorum præsentias spectantes ad prædicamentum vbi, dicit etiam exercitus plures homines inter se coexistentes, qui vt coexistentes, dicunt simultaneas ipsorum durationes pertinentes ad prædicamentum quando, includit insuper plura alia entia artificialia, tubas, vexilla, bombardas, bellica tormenta, & huiusmodi alia quàm plurima, quæ ad strepitum militare necessaria sunt, & ad exercitus constitutionem conducunt. Arguit secundò. Actio, & passio sunt conceptus pertinentes ad diuersa prædicamenta, & tamen non faciunt vnum per accidens, ergo non quicquid includit conceptus pertinentes ad diuersa prædicamenta est vnum per accidens. Resp. actionem, & passionem posse sumi physice, aut metaphysice: si sumatur physice, tantum includit simplicem entitatem secundum quam est vnum simplex accidens habens simplicem vnitatem. Si verò metaphysice sumatur dicit conceptus formales distinctos actionis, & passionis, ex quibus si vnum velis efficere erit vnum per accidens.
- 47 Diuidit Hurtad. vnum per se, in vnum per se absolutum, & vnum per se in aliquo genere. Vnum per se absolute definit: res indiuisa in se constans vno conceptu, vel pluribus constituentibus primum quidditatum conceptum rei, vel illum substantialiter integrantibus. Vnum substantiale tantum, vnum per se absolute vocat Hurt. quod sic definit iuxta principia ab ipso tradita de conceptu quidditatio substantia, de quo Contr. 6. Punct. 1. n. 10. Vnum in aliquo genere, seu secundum quid definit Hurtad. res indiuisa in se, & in suo genere completa. Quam definitionem probat conuenire quantitati, qualitati, & reliquis accidentibus, quæ in se sunt indiuisa seu vnita, & completa secundum propriam rationem, quantitas enim, etsi ex se entitas sit absolute incompleta, in ratione quantitatis completa est, habet enim quantitas hominis quicquid requiritur ad essentiam, & integritatem quantitatis.
- 48 Vnum per accidens definit Hurt. ens indiuisum in se offectum aliquo conceptu non pertinente ad primum conceptum. Quæ definitio iuxta principia tradita ab Hurtad. de conceptu substantia, & accidentis comprehendit omnia concreta accidentalia, quæ per formam accidentalem constituuntur, quæ dicuntur vna per accidens, hoc est, per aliquod accidens, constituta. Explicat etiâ hanc definitionem de accidentibus secundum se sumptis, quia eam ipsa sunt constituti-

ua vnus per accidens non possunt vnitate per se habere, quali Angelus, qui habet vnitatem per se, simul cum accidens non constitueret cum accidente quod illi inhæret, etiâ ex substantiali subiecto constituitur. Affert insuper accidens esse vnum per accidens, quia integraliter vnitas accidentalis per quam fit vnum. Facilius diceret Hurtad. quod est accidens, & ita si quidquam illius ratio valeret probaret vniuersaliter non solum de accidenti integraliter vnito, sed de quocumque, siue diuisibili, & vnito, siue indiuisibili, & nullam habente vnionem. Ceterum sicut non est idem esse ens accidentale, seu esse ens accidens per se ipsum, & consequenter per accidens, hoc est, per conceptum quidditatio, quod est accidens, & esse ens per accidens absolute, quia quæritas, & quodlibet accidens in priori sensu sunt entia per accidens, & tamen entia per se dici debent, quia sunt species propriæ entis, quibus ratio generica entis in qua vnio cum substantia conuenit, per se debent conuenire, sic non est idem esse vnum per vnitatem, quæ est accidens, & esse vnum per accidens.

Censet conceptum vnus per se cõmunem esse substantia, & accidenti, cõposito substantiali, & accidentali, quia sicut vnio cõuenit accidens, & substantia in ratione entis, sic in ratione vnus debent cõuenire, & tã accidenti, quàm substantia vnitas per se propria, & stricta competere debet, sicut eiudem conuenit ratio entis per se propria & stricta.

Vnum per se definire absolute eadem definitione, quæ vnũ vniuersum definitur, quia vnum per accidens non est propriè vnũ, & ita non illi definitio vnus in cõmuni propriè, sed improprie, & valde analogice potest competere. Est ergo vnum per se, idem quod absolute vnum, videlicet indiuisum in se, & diuisum a quolibet alio. Sic homo per se, & homo absolute eadem definitione definiuntur, neque instituius quandam definitionem ad definiendum hominem vt sic, & aliam ad definiendum hominem per se vt distinctum ab homine picto, qui dicitur homo per accidens, sed eadem definitione, qua definimus hominem absolute, definitur homo per se, vt distinctus ab homine picto, quia ly per se nihil addit supra hunc conceptum homo absolute prolatus, quia quicquid non est per se homo, non est homo, sed homo cum addito dicitur, videlicet homo pictus.

Definitio vnus supra tradita conuenit substantia, & accidenti, concreto substantiali, & accidentali, hoc enim vnum per se existit esse dicendum, & sic accidentale, & album constitutum per formam accidentalem vnitas physice subiecto vnum per se voco, quia constitutum est per vnionem propriissimam, quæ essentialiter est vnio, & intrinsece includit omnia prædicata essentialia constitutiva vnionis propriissimæ. Hoc vnum per se diuidit in vnum per se substantiale, & in vnum per se accidentale. Vnum per se substantiale est illud quod secundum omnia quæ in se continet substantia est, quæ definitio conuenit cõposito substantiali, & entitati substantiali indiuisibili, siue sit materia, siue forma, siue totum substantiale simplex, quæ omnia non comprehenderentur si cum aliis vnum substantiale definirem, vnum cuius forma est substantia. Vnum accidentale definiendum est, vnum cuius aliquid in illo contentum accidens est. Comprehendit hæc definitio accidens vnum secundum se sumptum, in quo nihil reperitur, quod accidens non sit, & concretum accidentale, cuius forma accidens est. Sic vnum substantiale & accidentale definitio, quia suppono iam traditas definitiones, quibus conceptus vnus, & conceptus substantia, & accidentis explicantur, quæ substitui possunt definitorem loco, si definitio vnus per se substantialis, & accidentalis exactè sit tradenda, exempli gratia, definitio ego vnum per se substantiale, vnum quod secundum omnia, &c. loco illius particula vnus, illius definitionem apponere poteris, indiuisum, &c. & loco illius substantia definitionem substantia poteris substituere, & sic in aliis definitionibus, quibus exactè vnum per se substantiale, & accidentale definiat.

Vnum per accidens est illud, quod physice est diuisum, & indiuisum, seu vnitas dicitur vnio quadam morali, seu aliqua ordinatione, quæ improprie vnitas dicitur. Si vnus dicitur exercitus, vna dicitur domus, vna dicitur multitudo, quorum partibus nulla physica cõpetit vnio, sed quædam ordinatorio, seu localis approximatorio, & successio secundum tantam insensionem, vel extensionem ratione cuius aliquo modo

modo partes dicuntur vnitæ, & vnus exercitus, vna domus, vel vnus vocum concentus resultat. Hoc vnum per accidens simpliciter non est vnum, sed vnum, & aliud, seu plura vna, quæ aliquo modo vnum dicuntur, sicuti homo pictus, qui simpliciter homo non est, sed colores tabulæ ad hærentes, nihilominus secundum quid colores isti sic dispositi dicuntur pictus homo. Hoc vnum per accidens eo modo, quo cum addito, & secundum, quid dicitur vnum formaliter, vt tale includit suam indiuisiōem, seu vniōem per quam tale vnum constituitur. Sic acervus lapidū cuius partium vniō consistit in approximatione locali vt tale vnum essentialiter includit hanc approximationem, qua deficiente non erit vnum, adhuc secundum quid, sed plura, neque dicitur acervus vnius, sed acervus qui ante erat vnus per approximationem pluriū lapidū dicitur in duos acervos diuisus, multitudo illa quæ præcessit in duplicem medietatem, quarum quælibet includat multitudinem lapidū per separationem sit diuisa, vel penitus in singulos lapides resoluetur acervus, si per separationem singulorum vltimò diuidatur destructa omni acervi vniōe, quæ tantum consistebat in approximatione locali lapidū physicè diuersorum, & non in physica aliqua vniōe, potius enim carentiam huius essentialiter dicitur vnum per accidens, seu hic vnus lapidū acervus, quia si omnes lapides physicè essent vnitī non vnus acervus pluriū lapidū, sed vnus lapis, seu vnum ingens saxum diceretur tota illa substantia, quæ modo acervus dicitur lapidū.

Ex hoc inferri poterit vni per accidens competere vnitatem eo modo, quo illi competit entitas, quia sicuti acervus lapidū physicè est hic lapis, & ille lapis cum hac, & illa præsentia, sic vnitās acervi lapidū est vnitās huius lapidis, & illius lapidis cum hac, & illa præsentia, & sicuti improprie & metaphoricè dicitur acervus lapidū totum, seu compositum ex lapidibus tanquam ex vniōe, sic idem acervus lapidū dicitur improprie compositum vnum vnitatē quadam compositā tanquam ex partibus ex vnitatibus lapidū, & tanquam ex vniōibus ex vnitatibus approximationum, seu præsentiarum ipsorum lapidū.

PUNCTUM III.

Quid sit verum transcendente.

I Gi Controu. 6. de Anim. de veritate formali propositionis, nunc autem de veritate transcendentali disputandum est, & inquirendum quid sit verum, & quæ formalitas huius prædicati omne ens transcendit huiusque dicitur passio, seu attributum.

2 P. Soar. disp. 7. Met. sect. 7. n. 5. refert opinionem quandam pluriū Thomistarum asserentium verum esse prædicatum quoddam absolute ratione ratiocinata distinctum à ratione entis. Hæc sententia communiter ab omnibus iure reicitur, quia non est excogitabilis formalitas absoluta realis, & independens ab intellectu ab ente distincta, in qua possit hæc veritas consistere. Deinde quia prædicatum entis prædicatum à quocumque alio, in quo veritatem constituunt Thomistæ, adhuc manet verum, & obiectum intellectus: ergo illa ratio formaliter distincta ab intellectu per rationem ratiocinatam necessaria non est, vt ens constituitur verum.

3 Aureol. apud Capreol. in 1. dist. 13. q. 3. quem refert Soar. ibid. n. 17. aliam rationem veri excogitavit, asserit enim verum non dicere ordinem ad intellectum, sed in se includere negationem aliū rei distinctæ ab illo ente, quod dicitur verum, quo sensu dicimus hoc est verum aurum, id est non est aurichalum, vel aliquid aliud quod non sit aurum, quælibet enim entitas dicitur vera in ratione entis quando propriam naturam talis entis, & non aliam extraneam includit. Hunc dicendi modum non improbabilem videri docet Soar. n. 18. licet illum non approbet, quia nouus, & contra communem sentiendi modum veritatem constituit independentem ab intellectu. Veram doctrinam continere præter Soar. citatum modò fatetur Hurad. disp. 7. met. sect. 1. & Arriag. disp. 1. met. sect. omnes enim veram naturam alicuius appellamus quando illam proprie continet, & non aliam, quo sensu dixit Aug. lib. 2. Soliloquiorum cap. 5. verum est, id quod est, & postea addit non autem quod videtur, aut quod tale est, quale videtur, quando etiam si res non videatur nec conformitatem habere cum aliqua cognitione nihilominus ve-

ra est: ergo ex D. August. verum dicitur independentem ab intellectu iuxta Aureoli doctrinam. Nihilominus omnes Scholastici aliam acceptionem veri cognoscunt, quæ à nobis inquirenda est, quia in auro non esse aurichalum, aut aliud à se distinctum, si tantum in ordine ad se, & non in ordine ad intellectum sumatur, pertinet ad rationem vnius, quia de vnius ratione est, esse indistinctum in se, & distinctum ab alio quod dicitur esse ipsum, & non aliud, vt Punct. præcedenti expendebam.

Dicendum est verum esse ens cognoscibile sicuti est, seu ens esse aptum terminare veram cognitionem. Hanc conclusionem docet Soar. ibid. n. 25. vbi docet veritatem transcendentalem significare entitatem rei connotando cognitionem, seu conceptus intellectus, cui talis entitas conformatur. Eandem tenet Valsq. disp. 77. c. 4. & 5. Hurt. supra n. 17. qui plures alios pro ea refert, præcipue D. Aug. lib. 2. soliloq. c. 5. verum esse quod ita se habet vt videtur cognitori, si velit, & possit cognoscere. Conclusionem probō: illa obiecta vera dicimus, quæ conformantur cum cognitione: ergo ens quatenus conformabile cum cognitione verum dici debet, sicut dicitur falsum, quod aliter ac est profertur, unde cum quis mentitur, respondemus, falsum dicis.

Dicendum est veritatem transcendentalem posse considerari in ordine ad cognitionem creatam, & incretam, vt bene docet Soar. n. 26. vbi refert nonnullos, qui veritatem obiectiuam constituebant tantum in ordine ad cognitionem incretam, quia sicut veritas formalis non tantum afficit cognitionem incretam, sed etiam creatam, ita similiter veritas transcendentalis, seu obiectiuā, non tantum sumitur in ordine ad cognitionem incretam, sed etiam in ordine ad cognitionem creatam. Ex his constat rationē veri, non quam ens ex se habet, sed quam desumit ab actu, formaliter vero addere supra ipsum ens extrinsecam quandam denominationem desumptam ex cognitione, quia obiectum attingi potest sicuti est, & cognitione formaliter verā cognosci, quia hoc obiectum posse cognosci sicuti est dicitur posse terminari ad illud cognitionem attingentem rem sicuti est, quod autem possit dari talis cognitio hoc modo respiciens obiectum, extrinsecum est obiecto, sicut enim cognitio extrinseca est obiecto, ita possibilitas eiusdem cognitionis cum illa identificata eidem obiecto extrinseca dicitur, neque hæc extrinseca denominatio est aliquid distinctum ab obiecto & cognitione saltem possibili, quæ potest cognosci, sicuti est, veritas enim obiectiuā obiecto extrinseca includit intrinsecè ens, quod cognosci potest, & extrinsecè cognitionem, quæ potest sicuti est cognosci, unde differunt veritas formalis, & obiectiuā, sicuti differunt paternitas, & filiatio, quæ identificatur cum eisdem entitatibus, diuerso tamen modo ex illis pullulare considerantur, paternitas dicitur intrinsecè in parte substantiam generantem, & extrinsecè genitam, filiatio verb dicitur intrinsecè in filio substantiam genitam, & extrinsecè substantiam generantem, sic veritas formalis dicitur in vero formaliter intrinsecè cognitionem, & extrinsecè obiectum, veritas autem obiectiuā, seu extrinseca dicitur in vero obiecto intrinsecè obiectum, & extrinsecè cognitionem, quæ potest cognosci sicuti est.

Difficultas esse potest, an obiectum hac ratione verum dici possit per ordinem ad apprehensionem, an verò necessariò connotet iudicium, quæ soluenda est ex dictis Controu. 6. de an. punct. 4. vbi probavi aliquo modo reperiri in simplici apprehensione veritatem formalem: eodem autem modo, quo veritas formalis in quacumque cognitione reperitur, eodem reperitur veritas obiectiuā, seu transcendentalis in obiecto per ordinem ad illam cognitionem. Vnde qui negant apprehensioni veritatem formalem, debent veritatem transcendentalem negare obiecto per ordinem ad illam, & debent asserere veritatem transcendentalem necessariò includere mutationem obiecti veri ad iudicium.

Ex hac doctrina concluditur rationem obiectiuam intellectus, seu cognoscibilitatem, quæ respicit intellectus media cognitione, non dicere ex parte obiecti rationem veri hac veritate extrinsecā, sed tantum intrinsecā, de qua postea, quia id, quod terminat cognitionem distinguitur ab ipsa cognitione, neque eam includit, ratio autem vel includit cognitionem ipsam, quæ formaliter obiectum verum constituit, quatenus potens est terminari ad illud. Secundò quia verum formaliter includit cognitionem, ac proinde si intellectus media cognitione terminaretur ad rationem veri, terminaretur ad ipsam cognitionem, & necessariò esset reflexiua

fui ipsius, quod falsum est, non enim eo ipso quod cognoscimus aliquod obiectum, necessarium cognoscimus cognitionem qua obiectum cognoscitur, neque cognitionem aliam distinctam ab illa.

8 Dixi verum extrinsecè sumptum non esse obiectum intellectus, non quia intellectus non possit illud cognoscere, ut verum formaliter, & ipsa formalis extrinseca veritas cognitionem reflexivam terminare non valeat, sed quia necessarium non est intellectum mediâ cognitione terminari ad verum formaliter, sed sufficit terminari ad verum fundamentaliter, quod supponitur ad ipsam cognitionem, & per ordinem ad illam verum formaliter constituitur.

9 Probauimus veritatem obiectiuam dicere cognitionem extrinsecam obiecti, & ita rationem veri formaliter non esse illi adequatè intrinsecam. De vero fundamentaliter nunc dubitari potest, an importet aliquid intrinsecum enti, scilicet an cognoscibilitas purè se tenens ex parte obiecti, quæ ad omnem cognitionem supponitur, & in ordine ad cognitionem veram formaliter considerata, veritas transcendentalis dicitur, sit obiecto extrinseca.

10 Hurt. disp. 7. sect. 1. n. 11. affirmat hanc cognoscibilitatem esse extrinsecam obiecto, quia tantum dicit quod cognitio possit terminari ad illud, quæ si possibilis non esset, obiectum eodem modo inuariatum relinqueret. Arriag. disp. 1. Met. sect. 5. subf. 2. docet hanc veritatem fundamentalem esse obiecto intrinsecam, & connexionem habere necessariam cum possibilitate cognitionis, ita ut si impossibilis esset cognitio, impossibilis esset ratio veri fundamentaliter, seu formalitas illa, ad quam cognitio terminatur, & quæ fundat tanquam subiectum rationem veri transcendentaliter.

11 Displicet Arriagæ opinio, quæ impugnatur ex dicendis Controv. 10. Punct. 5. ubi probabo effectum non habere connexionem cum possibilitate causæ creatæ, neque è contra, & tales connexiones esse impossibiles, quod potiori ratione dicendum de obiecto cognitionis respectu ipsius cognitionis, hæc enim nihil tribuit obiecto, neque aliquid intrinsecum imprimit illi, quomodo ergo obiectum dependere potest ab illo, quod nil influit in existentiam illius, neque in aliquod accidens, quod intrinsecè ipsum obiectum afficiat? Adde ex repugnantia cuiusvis intellectus creati repugnatum iri omne ens creatum, & increatum, si obiectum cognoscibile connexionem habet cum possibilitate cognitionum, quibus potest attingi, quia cum nullum sit obiectum ereatum, aut increatum, quod non possit cognosci à quocumque intellectu, hoc repugnante repugnent cognitiones, quibus possent attingi omnia obiecta, & consequenter ad hanc doctrinam obiecta cum his cognitionibus connexa eandem haberent repugnantiam.

12 Neque modus dicendi Hurtad. omnino placet, asserit enim verum fundamentaliter non esse intrinsecum obiecto, quod non credo, quia verum fundamentaliter est ipsissima ratio entis, quæ terminat cognitionem, hæc autem intrinseca est obiecto, licet illi extrinsecè accidat terminare cognitionem. Quapropter dicendum est verum fundamentaliter esse rationem formalissimam entis, hanc tamen nullam habere connexionem cum cognitione adhuc possibili, neque dicere relationem ad illam, quia posse hoc obiectum cognosci ex parte obiecti nihil dicit præter formalitatem entis, seu talis entis, quod fundat hanc potentiam cognoscendi passivè, ut patet in ente rationis, quod cognoscitur, & nihil dicit ex parte obiecti, quod supponatur ad possibilitatem cognitionis, neque aliud caput potest assignari ex quo possit cognosci, nisi quia est ens, si cognoscibilitatem obiectiuam venemur.

13 Obiicies: Creatura dependet essentialiter à cognitione Dei: ergo obiectum dependet à cognitione. Respondeo creaturam dependere essentialiter à cognitione Dei, quatenus cognitio Dei est identificata cum omnipotentia, à qua dependet, non verò à cognitione quatenus est speculatiua cognitio creaturæ: quod autem creatura non possit non cognosci à Deo, est, quia cognitio Dei non potest non esse. Si autem per impossibile supponatur Deum non cognoscere, & effectum posse produci independentem à cognitione, effectus creatus existere poterit, neque indigebit cognitione Dei, modò enim tantum dependet ab illa, quatenus à conditione dirigente omnipotentiam, & quatenus ab entitate identificata cum eadem omnipotentia, à qua dependet, non verò ab illa quatenus formaliter est speculatiua cognitio obiecti. Vnde dicendum est obiectum creaturæ pendere à cognitione Dei materialiter propter ratio-

nem dictam, non verò ab alia cognitione, quæ non est causa per se influens in illam.

Obiic. Obiectum habet virtutem productiuam specierum: ergo habet connexionem cum cognitione, quæ potest produci his speciebus. Respondeo non omne obiectum effectum, quod productiuum illarum est, adhuc non habere connexionem cum possibilitate specierum, quia ut dicam Controv. 10. Punct. 5. virtus productiua connexionem non habet cum possibilitate effectuum quos continet. Vtminùs sententiam hanc defendam, hanc connexionem quam habet obiectum cum cognitione mediis speciebus, fore inter obiectum non formaliter ut cognoscibile, seu ut potens terminare cognitionem, & ipsam cognitionem respectu principium effectuum remorum cognitionis, & cognitionem ipsam ut effectum producibilem ab obiecto non ut termino, sed ut principio actiuis, de qua connexionem impressentiarum non egimus.

Neque placet opinio Hurtadi asserentis cognoscibilitatem fundamentalem entis, esse omnino extrinsecam, sententia enim cognoscibilitatem entis non distingui ab ipso ente formaliter, & ex parte obiecti, quia ens formaliter ut ens terminat cognitionem ipso tantum terminatiue se tenente ex parte obiecti: ergo secundum propriam formalitatem entis attingitur cognitione, quam terminat eademmet formalitas entis in se ipsa: ergo in se ipsa, & per se ipsam est capax terminandi hanc cognitionem, seu passivè cognoscendi, sicuti color est capax terminandi visionem, & videndi passivè, quam capacitatem habet per se ipsum, ex se enim habet color capacitatem, & proportionem ut videatur, quam non habet Angelus, seu alia substantia spiritualis, ideo dicimus primas qualitates, & substantias spirituales, & reliqua obiecta, quæ non sunt lux aut color videri non posse, quia sunt obiecta improporcionata potentie visivæ.

Vnum in hac re verum est, hanc cognoscibilitatem fundamentalem, seu intrinsecam non posse formaliter ab ente distingui, adhuc ex parte actus, nisi cognoscatur per ordinem ad aliquid intrinsecum, videlicet per ordinem ad cognitionem, licet non per istam formaliter constitutur, sicuti in quacumque causa virtus productiua cum illa identificata, & formaliter distincta ab essentia metaphysicè sumpta, non potest cognosci nisi per ordinem ad effectus possibiles, aut saltem sub conditione existentis, licet virtus illa non per ipsos effectus formaliter constitutur, sed sit adequatè intrinseca causæ. Hæc fundamentalis, seu hæc intrinseca cognoscibilitas inseparabilis est ab omni ente, & à quacumque illius formalitate, & ex parte obiecti, adhuc per rationem ab illo impræcindibilis, ob quam rationem multi non attendentes ad præcisionem quæ est ex parte actus inter ipsam & ens, illam non meminere, & ideo asserunt omnem cognoscibilitatem esse extrinsecam enti.

Cognoscibilitas ista, etiam si semper per ordinem ad cognitionem intelligatur, & formaliter tantum differat ab ente ex eo, quod in ordine ad cognitionem contempletur, in se tamen est independens ab eo, quod cognitio sit possibilis, vel repugnans, quia etiam si omnis cognitio repugnet, obiectum ex se, seu quatenus est ex se, capax esset huius nunc terminandi cognitionem realem, quod si repugnante omni cognitione non posset illam terminare, hoc non esset ex defectu capacitatis obiectivæ ad terminandum, sed ex defectu cognitionis realis non repugnantis, ideo absolute verum esset dicere, hoc obiectum præcisè quatenus est ex se, capacitatem habet, ut cognoscatur cognitione reali non repugnante, seu hoc obiectum habet quidquid ex parte sua debet habere ad terminandam cognitionem realem, sicuti de omnipotentia respectu effectuum qui repugnant, fert communis sententia, quam non solum de omnipotentia, sed de quacumque virtute creata tradam Controv. 10. punct. 4.

Vocavi hanc cognoscibilitatem intrinsecam fundamentalem, non quia non proximè conducat ad cognitionem actuale, sed quia est fundamentum, supra quod cadit cognoscibilitas extrinseca, quæ à cognitione desumitur, sicuti possibilitas, seu non repugnantia effectus, fundamentum, supra quod cadit possibilitas extrinseca eiusdem non tantum formaliter intellecta per ordinem ad virtutem causatiuam, sed ab hac tanquam à forma desumpta.

Hæc

19 Hæc cognoscibilitas fundamentalis, seu potius intrinseca entis considerata in ordine ad cognitionem veram, quam ex se potest terminare, siue talis cognitio repugnet, siue non repugnet, optime dicitur passio, seu attributum entis, & veritas transcendentalis conuertibilis cum ente, præcindibitis ab illo ex parte actus, quia cum illo adequatè conuertitur, & illi est intrinseca, vt probauimus, & insuper habet sufficientem distinctionem ab essentia, quia ex parte actus distinguitur, vt possit dici illius attributum, quia est posterior ente, prius enim hoc apprehenditur in ordine ad se, sub qua consideratione dicitur ens, & posterius in ordine ad cognitionem veram, sub qua consideratione dicitur verum, & hæc causalis nostro modo concipiendi vera est; quia est ens, potest cognosci: & hæc est falsa; quia potest cognosci est ens. Alia cognoscibilitas extrinseca, quam habet obiectum ad cognitionem veram possibili quâ potest cognosci similis possibilitati extrinsecæ, quam habet effectus tanquam a forma, a causa, a qua potest produci aliquo modo potest dici passio entis, quia comitatur omne ens, non tamen proprie, quia non desumitur ab ipso ente, neque ab illo nascitur, sed a cognitione obiecto extrinseca delimitur.

20 Obicit Hurt. ad probandum omnem cognoscibilitatem esse extrinsecam: Eò præcisè quod cognitio terminetur ad obiectum, obiectum est aptum vt terminet cognitionem: ergo tota cognoscibilitas obiecti desumitur a cognitione. Distinguo antecedens: eo præcisè quod cognitio terminetur ad obiectum, obiectum est capax terminandi cognitionem capacitatem extrinsecam, concedo antecedens: capacitatem intrinsecam, subdistinguo: formaliter, nego antecedens; illatiuè, concedo antecedens: ergo tota cognoscibilitas obiecti desumitur a cognitione, nego consequentiam.

21 Inquires an obiectum quod constituitur verum formaliter per ordinem ad cognitiones, quibus cognoscitur sicuti est, habeat diuersas veritates per ordinem ad diuersas cognitiones, quibus cognoscitur, vel eadem in ordine ad omnes. Respondeo veritatem transcendentalem obiecto intrinsecam, in ordine ad quascumque cognitiones consideretur, intrinsece esse eandem omnino indiuisibilem, quia veritas, est in ordine ad cognitionem ab ente per nostrum intellectum distinguatur, formaliter tamè non constituitur per ipsas cognitiones, ac proinde non multiplicatur, est cognitiones multiplicetur, quia sicuti plures cognitiones possunt terminari ad idem obiectum, quoniam obiectum multiplicetur, sic possunt terminari ad eandem veritatem transcendentalem obiectiuam, quæ per se ipsa potest pluribus cognitionibus attingi, non enim obiectum habet aliquam formalitatem per quam sit capax terminandi hanc cognitionem veram, & aliam per quam possit terminare aliam cognitionem, sed per eandem terminat omnes cognitiones, quibus idem obiectum formaliter representatur.

22 Veritas obiectiuæ extrinseca, seu extrinseca cognoscibilitas desumpta formaliter ab actu vero, quo potest obiectum cognosci, iure multiplicatur dicitur multiplicatis cognitionibus, quia cum primariò in se cognitionibus, & eadem, quæ primariò cognitionem afficit, secundariò obiectum afficiat, cum in cognitionibus diuersæ veritates reperiantur, diuersis veritatibus subiectum affici necessario dicendum est: Constituent tamen hæc omnes distinctæ veritates vnum tantum verum, quia concreta accidentalia non per formas, sed per subiecta multiplicantur, sic vnus dicitur artifex homo pluribus artibus instructus.

23 Vltimò nota non bene dixisse Hurt. S. 11. veritatem non esse passionem entis; sed verum, quod breuiter impugno. Verum est concretum includens ens tanquam subiectum & veritatem; tanquam formam: sed ens quod est subiectum non potest accidere enti: ergo tantum potest illi veritas contingere. Quod si D. Thomas & alij asserant veritatem non esse in obiecto, ex quo infert Hurtadus non esse passionem illius, loquuntur de veritate propria actus & extrinseca obiecto, quam dixi non proprie esse passionem entis, non verò de veritate transcendentali obiecto intrinseca quam sæpe fundamentalem vocauimus.

ad sui perfectionem, quo sensu merces falsas vocamus, & pecuniam falsam dicimus; hæc falsitas non opponitur veritati, sed rectitudini, & integritati, seu bonitati rei, ac proinde proprie non est falsitas proprie & strictè, sed defectus, seu malitia opposita bonitati, & integritati rei. Falsum etiam dicimus omne id, quod est obiectum cognitionis falsæ enunciationis: hoc sensu ait Paul. 1. ad Rom. idolum esse mendacium, quia est obiectum falsæ enunciationis, quâ Deus enunciat. Hæc acceptio falsi latissima est, nullum enim est ens, de quo non possint multa dici per errorem, ac proinde iuxta hanc acceptiōnem ens etiam increatum falsum diceretur, quia de illo possunt falsæ enunciationes affirmari, vt si quis diceret non esse immensum, & infinitum. Hoc genus falsi enti increato tribuere, licet in re nullam illi imperfectionem tribuat, indecens est propter loquendi modum, ac proinde vitandum est, neque inter idiotas vnquam dicendum.

Falsum est quod apparet id, quod non est, & probabiliter fundat cognitionem sui: hæc definitio probatur ex dictis de veritate, quia sicut verum est quod fundat cognitionem, quæ cognoscitur, sicuti est ita falsum debet esse, quod fundat cognitionem illius, quod non est. Ad hoc autem vt dicatur ens fundare hanc cognitionem, necessarium est vt aliqua probabilitate aliter ac est iudicetur, aliàs error iudicii, seu falsitas tota tribueretur intellectui cognoscenti, & non obiecto cognito, quia cum omne ens ex se sit aptum fundare veram cognitionem sui, & hoc habeat ex sua natura, necessum est aliquid speciale reperiri in illo, quod dicitur falsum ad hoc vt dicatur fundare cognitionem rei aliter ac est, hoc autem erit similitudo cum alio ente, cum quo confunditur, & quod iudicatur qualem habet aurichalcum cum auro, illa enim accidentia quæ habet aurichalcum similia accidentibus auri, quasi nobis dicunt illorum subiectum esse aurum, & mediis illis aurichalco decipimur iudicantes esse aurum, & propter hanc rationem aurichalcum falsum aurum, & hoc est simulatum, & apparenter fictum appellamus.

Ex his primò infertur falsum semper dici per ordinem ad intellectum, qui deceptus accidentibus, seu coniecturis probabilibus tenentibus se ex parte subiecti de illo aliter iudicat, quia secluso hoc iudicio nullum ens falsum dici potest, ens enim ex se maiorem aptitudinem, seu inclinationem vt sic loquamur habet ad fundandam veram sui cognitionem, quam falsam, nihilominus non dicitur verum, nisi per ordinem ad cognitionem: ergo neque falsum dici poterit, nisi per ordinem ad cognitionem, quæ de illo aliter ac est iudicetur.

Infertur secundò; ens non dici falsum per ordinem ad intellectum diuinum, quia cum intellectus diuinus non possit aliter ac est, de obiecto iudicare, non potest obiectum dici falsum per ordinem ad iudicium illud diuinum.

Infertur tertio; falsitatem obiecti semper oriri ex imperfectione cognoscentis, quia, etsi aliqua accidentia similia fundamentum aliquod præbeant, vt hoc obiectum cum illo confundatur, & aliud ac est iudicetur, nihilominus ex se aptum erat terminare cognitionem veram, & accidentia quæ similitudinem referebant cum alio ente sufficientia non essent, si intellectus perfectè cognosceret, vt illum deciperent, vt patet in Deo qui propter sui perfectionem decipi non potest.

Infertur quarto; falsitatem non sumi per ordinem ad apprehensionem incomplexam, quia in simplici apprehensione non reperitur formalis falsitas, ac proinde per ordinem ad illam non potest sumi, falsitas obiectiuæ; potest autem sumi in ordine ad apprehensionem complexam, quia in hac aliqualis falsitas reperitur, vt dicebam Contr. 7. de Anima Puncto quarto.

Infertur quinto; non omnem propositionem falsam formaliter habere obiectum falsum in hac acceptione rigorosè sumptum, propositio enim, quæ quis affirmaret esse plures Deos, est falsa, nihilominus pluralitas Deorum non est falsa neque Dij falsi, sed ficti dicuntur, quia non probabiliter apparent existentes, neque possunt nisi per summam amentiam possibiles iudicari: & quando comœdus regè representat dicitur Rex fictus, non tamen Rex falsus, quia non probabiliter potest Rex iudicari. Denique quoties temerè, & sine probabili fundamento circa aliquod obiectum decipior, propositio, seu iudicium est falsum, non verò obiectum, quia non probabiliter aliter ac est iudicatur, sed temerè.

Infertur

PUNCTUM III.

Quid sit falsum.

1 Falsum appellare solemus id, quod non est iuxta regulas artis, neque habet omnia requisita, quæ debet habere

- 9 Infertur sextò; falsitatem non esse passionem entis, sicut est veritas, quia non omne ens probabiliter apparet aliter ac est: sunt enim plura ita ab aliis distincta, vt nulla probabilitate possint cum aliis confundi, nisi per summam cognoscentis ignorantiam: neque vt ens falsum dicatur sufficit ipsum fundamentum quodlibet tribuere, vt aliter ac est iudicetur, sed requiritur fundamentum tale esse, vt prudenter quis possit moueri ad iudicandum de re aliter ac est.
- 10 Notandum est quod quando duo entia ita inter se sunt similia vt quodlibet fundamentum tribuat vt confundatur cum alio, exempli gratia, aurum, & aurichalcum, ex natura rei non magis debuisset dici aurichalcum falsum aurum, quam aurum falsum aurichalcum, nihilominus vsu receptum est vt illud quod est imperfectius vocemus falsum respectu alijs similis perfectioris, & aurichalcum, falsum aurum dicimus, non verò aurum, falsum aurichalcum appellamus, quod tantum ex vsu, & communi loquendi modo dependet, potest tamen aliqua huius assignari ratio, quia cum quolibet entitas propriam perfectionem affectet, melius per metaphoram dicimus rem imperfectam nos fallere intendere simulantem se perfectiorem, quam rem perfectam nos decipere procurare, imperfectior se esse fingentis: sicut enim in rationalibus homo ignobilior sepe se alium nobiliorem esse fingit, & oppositum non nisi raro contingit, ita in non cognoscentibus per metaphoram dicimus rem imperfectiorem induere se figura alijs perfectioris, vt perfectionem simulat, quam in se non habet.
- 11 Inquiri solet, an obiectum artificiale falsum dicatur ex eo, quod non sit iuxta regulas artis executioni mādatur. Resp. negatiuè, id enim potuit accidere ex eo, quod artifex non formauit ideam, quam formare debuisset iuxta artis regulas, & ita licet opus externū sit conforme ideæ, tamen declinat à regulis artis, & tunc illud opus non potest dici falsum, quia est conforme cognitioni, quia cognoscitur, error enim tunc tantum est in artifice, qui non formauit ideam, quam formare debuisset, non verò in praxi, quæ perfectè est imitatrix propriam ideam. Si verò artifex perfectam habeat ideam operis exercendi iuxta regulas artis, & ex imbecillitate potentie exequutricis non se conformantis in opere externo directioni ideæ internæ, tunc illud opus executioni mandatum propriè non est obiectum ideæ, neque praxis vt dicebam in Logica Controuers. I. Punct. 2. quia tale opus est monstruosum respectu directionis, quia est præter intentionem agentis, ac proinde non illud opus dicitur falsum in ordine ad illam cognitionem, quia in ordine ad cognitionem tantum potest dici falsum obiectum cognitum per talem cognitionem.

PUNCTUM IV.

Quid sit bonum transcendentale.

- 1 DE hac re latè, & doctè P. Soar t. I. Metaph. disp. 10. Ego verò breuiter attingam omnia, quæ ad naturam boni cognoscendam necessaria sunt.
- 2 Bonum est duplex; aliud bonum in se, aliud bonum alteri. Bonum in se est quod in se est perfectum, vnde Deus summè bonus dicitur, quia habet summam perfectionem, reliqua verò entia creata bona dicuntur, quia habent perfectionem requisitam ad suum esse, entitas enim incompleta licet non habeat perfectionem requisitam ad esse completum, habet tamen perfectionem, quæ ad suum esse incompletum requiritur, quia constituitur in esse materie. Perfectio est triplex essentialis, accidentalis, integralis. Perfectio essentialis consistit in prædicatis essentialibus, quibus entitas constituitur, hæc à nulla entitate, adhuc diuinitus potest separari, nulla enim entitas potest esse sine sua essentia. Perfectio accidentalis est aggregatio omnium accidentium, quæ exiguntur à forma ad suum esse naturale, in hoc sensu rem perfectam vocamus, quæ habet colorem, figuram, & pulchritudinem, aliæque accidentia iuxta propriam naturam requisita. Perfectio integralis est integritas omnium partium, quo sensu perfectum hominem vocamus illum, qui omnibus membris, partibusque corporis gaudet, & imperfectum mutilum aut mancum, eum qui membrorum aliquo orbatus est.
- 3 Hanc triplicem perfectionem triplex bonitas comitatur, quædam essentialis (essentialem voco non quia sit

formaliter ipsa essentia, sed quia realiter identificatur cum illa, & ex parte obiecti formaliter, tantumque ab ipsa ex modo significandi differt) alia accidentalis, integralis alia Bonitatem accidentalem, & integram posse ab ente defectu nulli dubium est, essentialem verò, seu quæ in essentia fundatur non posse ab illo separari constat ex dictis. Hanc bonitatem in ordine ad se, quæ est idem ac perfectio entis non esse passionem illius ex parte obiecti docet Hortad. disp. 7. Metaph. lect. 4. quem impugnat Arriaga disp. 1. Metaph. lect. 6. immeritò tamen quia ex parte obiecti nullum prædicatum identificatur cum essentia est attributum, sed ipsa essentia, dicitur autem attributum ex modo cognoscendi, seu ex parte actus, quia apprehenditur tanquam passio, sicut est attributum hominis esse intellectum, & volituum in opinione non distinguere intellectum, & voluntatem ab anima, & in hoc sensu existimo hanc bonitatem, seu perfectionem esse passionem entis, quia conuenit omni enti, & non est ratio formalis illius, ens enim non definitur per perfectionem requisitam ad sui esse, sed per rationem existendi. Hanc conclusionem docet Soar disp. 10. lect. 3. quapropter assero hanc bonitatem rectè dici transcendentalem omni enti, consequitur enim omne ens, & à nullo, adhuc formaliter ex parte obiecti præcindi potest.

Bonum alteri est triplex, honestum, vile, & delectabile. Honestum sumi potest in ordine ad mores, & in ordine ad naturam: hoc honestum physicum dicerem, illud verò morale honestum in ordine ad mores. Bonum moraliter honestum est, quod independentè à quacunque utilitate, seu iucunditate per se est decens, & conueniens homini ratione videnti, hoc bonum præcipuè sumitur in ordine ad actiones humanas; opera enim virtutum honesta vocamus. Deinde derivatur ex actionibus in alia externa, velut enim honestum vocamus, quatenus est præscriptus ratione honesta, recta, seu decente homini ratione prædicto. Alio modo definiri solet honestum, id, quod dignum est honore, & laude, ita virtutum opera honesta dicuntur, quia illis laus debetur, nullum enim aliud premium virtutis magis consonum, quam laus: in hoc sensu virtutum habitus honestos dicimus, quia oriuntur ex operibus honestis, & in illa inclinant, non verò potentias naturales quia hæc ex se sunt indifferentes ad opera bona, vel mala laude, vel vituperio digna. Hoc bonum honestum est maxime per se appetibile, & præcipuum bonorum.

Bonum honestum in ordine ad naturam est aliud quod perficit naturam per se, & illi per se est commodum secundum quilibet ratione virtutis, delectationis, & utilitatis in ordine ad aliud bonum, vt est sanitas, integritas, & ipsa vitæ: hoc bonum ait Soar. n. 14 appellasse Philosophos bonum naturæ decens, in quod bonum inclinat appetitus innatus naturæ, sicut appetitus rationalis rationis regulis gubernatus in opera bona, atque honesta, quapropter hoc bonum potest appellari honestum honestate naturali, cuiuslibet enim naturæ decet propria integritas, atque perfectio, illa verò quæ subiecto sunt decencia honesta dicuntur in eodem genere, quo decencia appellantur.

Bonum delectabile est illud, quod delectationem & voluptatem affert subiecto, sicut dulce palato, quod in illo delectationem causat. Bonum vile dicitur, quod conducere potest ad bonum honestum, seu delectabile acquirendum, etiam si ex se nullam ex his rationem habeat.

Hæc omnia bona esse appetibilia nullus dubitat, honestum enim est præcipuum appetibile inter omnia, per se enim est decens, pulchrum, & ornamentum naturæ. Delectabile verò est conueniens subiecto, illique valdè charum, frui enim natura obiecto delectabili, & in illo quietem, dulcedinemque sibi gratam reperit. Vile verò non per se appetitur, sed ratione illius ad quod est vile, qui enim amat honores, amat pecunias, quibus honor comparari potest.

Omnia entia creata bonitatem aliquam habent sibi conuenientem, habent enim accidentia, passionem, & proprietates sibi maxime conuenientes, fuitque Priscillianistarum, & Manicheorum error, quem impugnant Patres, quos citatos reperies apud Soar. n. 4. asserentium esse quoddam creaturas ex se malas, & à quodam principio summe malo procreatas.

In substantia verò increata rectè notat Soar. ibid. num. 7. non reperiri hanc conuenientiam per modum vnus ad aliud, Deus enim est simplicissimus ens, in quo nulla est proprie

proprietates, seu passio distincta ab essentia, sed eminentissimè in entitate simplicissima continet perfectiones omnes, quæ in aliis entibus essentia, & passionibus distinctis correspondent, excellentiori quodam, longèque eminentiori modo.

9 Ratio utilitatis, omni enti creato, & increato convenit, causæ enim viles sunt suis effectibus, & accidentia, & passionibus substantiis, quas afficiunt in ordine ad suum esse, & conservari, & Deus ipse utilis est nobis, quatenus ab illo innumera bona, beneficiæque maximopere appetibilia recipimus.

10 Ratio honesti moraliter sumpti non omni entitati convenire certum est, sunt enim plura quæ maximopere decent hominem ratione præditum, & inhonesti dicuntur, quorum peccatum primum inter reliqua inhonestia locum obtinet, nihil enim magis alienum à ratione, quàm summum bonum, omniumque bonorum fontem offendere, & ab illo per peccatum averti.

11 Non omne ens habere rationem delectabilis certum putato, cui enim dolor, & tristitia delectari poterunt? sunt tamen aliqua, quæ, etsi huic subiecto molestiam afferant, alij verò delectationem, commodumque conciliant, lux enim quæ vesperationis oculos offendit, reliquorum viventium vitam oblectat.

12 Ex his infero cum Soar. n. 10. bonum transcendens pessimè sumi à bonitate honesta in genere moris. Affirmat Soar. posse dici bonum transcendens, quod abstrahit ab omnibus bonitatibus prædictis, quia ratio illa abstracta non potest non omni enti convenire, cum bonitas perfectionis, & utilitatis conveniat enti creato, & increato, & bonitas honestatis physica per modum perfectionis afficientis aliud, conveniat omni enti creato, & increato non per modum unius aliud afficientis, sed eminentissimo quodam modo per modum simplicis entitatis ratione supra explicata.

13 Ego ad hanc rationem abstractam non recurro ad bonitatem transcendentali in omni enti assignandam, quia si specialis ratio boni omni enti competit, hæc potiori iure dicitur passio illius, quàm ratio alia univiersalis abstracta ab hac speciali, quod convenit omni enti, & ab alia quod illi non convenit, sicuti rationale hominis passionem esse dicimus, & non rationem aliquam abstractam à rationali quod convenit homini, & ab inanimabili, quod illi non convenit. Bonitas integralis aut accidentalis non esse passionem entis ex eo infero, quod utraque sæpe sæpius ab ente separatur, & integralis bonitas entitati indivisibili, Angelo, v. g. qui partes non habet integrantes nullatenus competit, & accidentalis integritas physica Deo non convenit, quia in illo nullum accidens physicum reperitur. Bonitas, seu perfectio essentialis, & insuper bonitas utilitatis omni enti competit, & ex hoc capite utraque posset dici passio entis, nihilominus exillimo perfectionem essentiali, quæ constituit in omnium prædicatorum essentialium integritate propriè dici passionem entis, quia hæc omni enti convenit, & immediatè intelligitur ens essentialiter constitutum comitari, & est quod intrinsecè pertinet ad ipsum ens absque vilo respectu ad aliquod extrinsecum, sine quo ratio utilitatis intelligi nequit. Hanc perfectionem essentiali non distingui ex parte obiecti ab ipsa entis essentia, dixi n. 2. & facillè probatur ex eo, quod nihil aliud importet quàm ipsa prædicata essentialia ut sufficientia absque vilo alio rem constituere, & adæquatè metaphysicè componere, seu ipsa prædicata tanquam quoddam aggregatum, in quo continentur omnia, quæ ad rem essentialiter constituendam requiruntur; quod tantum ex modo cognoscendi ab ipsa essentia distinguitur. Hanc essentiali perfectionem physicam honestatem, seu naturæ honestatem appello, ut cum aliis loquar, licet propriè honestatis nomen propriè bonitati morali, quàm physica conveniat.

14 Explicui iam rationem boni, probavi bonum honestum, delectabile, & vile esse amabile, ex quo inferitur hæc omnia bona connotare actum appetitus, quem possunt terminare; potest tamen dubitari, an illum connotent tantum tanquam potentiam potentem versari circa illa, an verò tanquam rationem formalem boni constitutam, quod iam explicui.

15 In primis dicendum est rationem terminantem actum appetitus, seu voluntatis supponi ad ipsum actum, ac proinde obiectum in hoc sensu per se formaliter esse appetibile, non per actum, quia ideo appetitur, quia est appeti-

bile, non tamen è contra est appetibile, quia appetitur. Addendum tamen rationem appetibilis extrinsecè includere actum appetitus, quia si hic actus non esset possibilis, obiectum absolute appeti non posset quantumvis ex se virtutem haberet terminandi appetitum; sicut enim entitas dicitur producibilis per non repugnantiam intrinsecam, & à potentia extrinseca potente eam producere, sic appetibile dicitur per entitatem intrinsecam tenentem se ex parte obiecti, & ab appetitu extrinseco potente illam appetere.

De bono formaliter eodem modo philosophandum est, ac de appetibili, affirmo enim totam rationem formalem boni tenere se ex parte obiecti ad actum amoris, seu appetitus, unde obiectum non constituitur bonum per actum appetitus, vel amoris, sed per convenientiam, quam dicit ad subiectum, & honestatem, seu physicam, seu moralem, quam in se habet, & per delectabilitatem, seu utilitatem, quæ supponuntur ad actum appetitus, non enim ideo est obiectum conveniens subiecto, quia appetitur, sed ideo appetitur, quia est conveniens subiecto. Unde convenientia, quæ est ratio formalis bonitatis supponitur ad amorem, explicatur tamen per ordinem ad illum, sicut obiectum per suam potentiam, per quam rectè cognosci potest tanquam per medium extrinsecum.

Ex his inferitur diuerso modo respicere verum cognitionem, quàm bonum amorem; verum enim respicit cognitionem tanquam formam illud constituentem in ratione veri, quando hac seclusa tantum consideratur ut ens; bonum verò respicit amorem tanquam actum, qui potest tendere in illud, ut in obiectum adæquatè ab amore distinctum, quando secluso amore concipitur convenientia in ordine ad subiectum honestas moralis, & physica, delectabilitas, & utilitas.

PUNCTUM V.

De malo bono transcendentali opposito.

Tot malorum genera reperiuntur quot bonorum Puncto præcedenti assignauimus, malum enim dicitur quod caret perfectione sibi debita: in hoc sensu mors hominis, & non esse cuiusvis rei est summum malorum, quia est carentia totius entitatis, ac proinde totius perfectionis, & essentia physica, malum etiam dicitur quod opponitur integritati accidentali, in hoc sensu dicimus malum esse cibum non habentem colorem, odorem, & saporem sibi debitum, & malum esse cathedram, vel mensam, cui deficit aliqua pars ad sui integritatem requisita.

Hoc malum est duplex, negatiuum, & positiuum: negatiuum est carentia perfectionis debita, sicut est carentia frigoris in aqua, duorum brachiorum in homine; malum positiuum est positiua entitas data subiecto contra exigentiam illius, in hoc color est malus aquæ, & duplex caput est malum homini; homo enim, qui duplex haberet caput valde imperfectus diceretur, & monstrum.

Deinde est malum, quod opponitur bono honesto utili, & delectabili, tam positiue, quàm negatiue, negatio enim operis honesti debiti malum inhonestum dicitur, sicut negatio auditionis Missæ in die festo, quæ dicitur malum inhonestum negatiuum. Malum positiuum est actus positiuus indecens homini recta ratione vtenti, sicuti actus intemperantia hoc malum opponitur honestati morali, honestati verò physica opponitur priuatiue negatio qualitatibus substantia, v. g. frigiditatis aquæ, & positiue qualitas, cui subiectum physica repugnat, calor scilicet eidem aquæ.

Bono utili priuatiue opponitur carentia medij requisiti ad bonum honestum, vileve consequendum, & positiue opponitur illud quod non solum non iuuat, sed etiam retrahit ab eodem bono consequendo. Bono honesto illius carentia priuatiue opponitur, & positiue malum inhonestum. Delectabili bono opponitur priuatiue carentia obiecti delectabilis, quo subiectum ex aliquo capite debebat frui, & positiue obiectum doloriferum tristitiam, anxietatemve adducens.

Nota diuisionem tam bonorum quàm malorum tantum esse precisuam, non verò in membra physica opponi, idem enim bonum, idemque malum potest sub diuersis rationibus ad diuersas species pertinere.

CONTRO

CONTROVERSIA IV.

De distinctione entis.



CONTROVERSIA præcedenti, quam institui de vnitare, veritate, & falsitate entis, egi de falsitate, & malitia, seu de ente falso, & malo, quæ vero & bono opponuntur; de distinctione autem placuit specialem hanc Controversiam constituere, quia de illa plura scitu digna & inter Theologos valde controuersa exagitantur.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit realis distinctio.

Hoc ens ab illo distingui primò dicit non esse illud, quod citra omnem controuersiam est. Venit in questionem an hoc ens non esse illud dicat aliquid positium ex parte entis, vel aliquid negatiuum, & an præter hoc quod est hoc ens non esse illud, aliquid aliud importetur, vt hoc ens ab illo dicatur distinctum, & an illud à quo hoc ens distinguitur necessariò debeat existere.

Quæstio potest esse tantum de nomine, an terminus distinctionis existere debeat, quæ nihil de re potest importare, vt bene omnes, qui rem hanc accuratè tractant. Certum est enim ad hoc vt hoc ens non sit illud, non requiri illud existere, exempli gratiâ, ad hoc vt Petrus non sit Ioannes, certum est non requiri Ioannem existere, quia Ioanne non existente propositiones hæc *Petrus non est Ioannes*, & *Petrus est non Ioannes* veræ sunt, hæc enim propositio *Petrus est Ioannes* falsa est, & priori contradictoriè opponitur, in qua veritatem arguit, ex duabus enim contradictoriis non potest non vna esse vera, & altera falsa, & ita ex falsitate huius veritatis alterius legitimè consequentiâ deducitur. Quod si distinctionis nomine non solum significemus hoc non esse illud, sed relationem diuersitatis inter extrema, certum est necessariò requiri vtriusque existentiam, vt illorum quodlibet distinctum dici possit. Hac ratione doctè dixit P. Soar. disp. 4. Metaph. sect. 1. num. 16. Deum ab æterno existentem non habuisse ab æterno hanc distinctionem à creaturis, quia creaturæ non fuere ab æterno, sed ab æterno habuisse Deum non esse creaturam, quod adueniente creaturâ fundat hanc positiam distinctionem, quâ Deus dicitur distinctus à creaturâ per se ipsum, qui ab æterno intrinsecè habuit non esse creaturam, sed esse distinctionem Dei à creaturâ, seu inter Deum & creaturam, quatenus non solum dicit Deum non esse creaturam, sed esse distinctionem, seu diuersum, quod relatio diuersitatis dici solet. In hoc sensu sumpta distinctione hæc propositio *Petrus distinguitur à Ioanne*, in has res soluitur *Petrus est Ioannes est*, & *Petrus non est Ioannes*. Hanc distinctionem distingui ab vnitare certum est, quia hoc ens esse vnum, est independens ab omni alio termino, eo enim ipso quod ens existat est vnum formalitè dempto quocumque alio, & tamen non dicitur distinctum, quovis sit aliud à quo distinguitur.

Primum illud conceptum distinctionis absolutæ ex vi cuius hoc ens non est aliud modo negatiuo significari certum est, an verò ex parte obiecti negationem importet, vel rem positiam instar negationis significatæ, inter auctores est dubium. Censent nonnulli conceptum obiectiui ex vi cuius hoc positium ens formalitè nō est aliud, dicere negationem; melius tamen Hurtad. disp. 6. sect. 1. & alij plurimi docent esse eandem positiam essentiam entis modo negatiuo significatam. Plura de hac re dixi Controv. 3. Punct. 1. vbi probaui ens hoc non esse aliud, v.g. Petrum non esse Ioannem, seu Petrum esse non Ioannem, dicere conceptum positium entis nulla alia negatione formalitè importata. Vide dicta ibi, quibus hanc additionem. Priusquam intelligatur in Petro negatio Ioannis, debent intelligi Petrus, & Ioannes: sed in illo priori intelligitur Petrus vt non Ioannes, & Ioannes vt non Petrus: ergo independentè ab omni negatione habet Petrus

non esse Ioannem. Maiorem probò: negatio supponit subiectum, cui inhærens concipitur formalitè existens, & connotat habitum quo prius intellectum secundum se dependenter ab ipsa: sed illa negatio apprehenditur in Petro tanquam in subiecto, & apprehenditur respiciens Ioannem tanquam habitum, quo prius intellectum respiciens Petrum existentem, & connotat habitum videlicet Ioannem, vt distinctum ab illa constitutum cum suis differentiis individualibus: sed eo ipso, quod Petrus, & Ioannes intelligantur cum suis differentiis individualibus secundum negationem superaddita, præcisè per ipsas differentias intelliguntur Petrus non Ioannes, & Ioannes non Petrus: ergo ad hoc vt Petrus non sit Ioannes, vel ad hoc vt sit non Ioannes, & ad hoc vt Ioannes non sit Petrus, vel vt sit non Petrus non requiritur formalitè aliqua negatio, sed præcisè per positias entitates intelligitur Petrus aliud à Ioanne, & Ioannes aliud à Petro: Secundo si rogemur cur rationale habeat hanc negationem respectu huiusmodi, & non illam habeat cum animali, respondetur quia rationale non est idem cum huiusmodi, & est idem cum animali: ergo prius est hoc ens esse idem, aut non esse idem cum illo, quam habere, aut non habere negationem superadditam: ergo antecedenter ad omnem negationem superadditam habet rationale non esse huiusmodi, seu esse non huiusmodi, & esse ipsum rationale, seu animal cum illo identificatum.

Difficilius sanè erit distinguere conceptum hunc ex vi cuius Petrus distinguitur ab equo, quatenus distinctio tantum dicit hoc non esse illud, à ratione vnus, quia Petrus vt vnus dicit non esse aliud, & non esse Ioannem: ergo dicit esse distinctum à Ioanne distinctione hac ratione accepta, & non per modum relationis essentialitè connotantis duplex extremum existens. Porro non multum curandum est de horum conceptum distinctione, neque quidquam aliquid dici refert distinctionem hac ratione sumptam, non distingui formalitè adhuc ex parte actus ab vnitare, neque ex hoc inferri distinctionem, & vnitatem non distingui, quia dici potest illam acceptionem distinctionis esse valde impropiam, & distinctionem huiusmodi sumptam dicere duplex extremum existens, in quibus instat relationis distinctio concipitur, quæ distinctionem ab vnitare distingui certum est, quia distinctio ista præter vnitatem huius entis, quod dicitur distinctum, connotat tanquam terminum vnitatem alius entis existentis, à quo hoc ens dicitur esse distinctum, & est dependens ab illa: vnitatem autem huius entis independens est ab omni alio. Nihilominus nonnulla potest reperiri distinctio ex parte actus inter distinctionem, adhuc in primo sensu acceptam, & vnitatem: potest enim vnitatem huius entis dicere hoc non esse aliud, quatenus non esse aliud dicit negationem pluralitatis, quam habet hoc ens, si simul esset idem, & aliud, seu si in plura diuideretur, quam pluralitatem primò, & per se intendit negare vnitatem, & ne illa deat pluralitas, negat vnitatem extrema illa, ex quibus talis pluralitas assurgeret. Distinctio verò dicit hoc ens non esse illud, quatenus hoc ens non esse illud, seu esse non illud fundamentum est, vt positio illo ente assurgat distinctio secundo modo accepta, seu relatio diuersitatis inter hoc, & illud ens, ita distinctio Petri non respectiua, seu dependens ab extrinsecò, seu adæquatè cum ipsa identificata dicit Petrum non esse Ioannem, seu Petrum esse non Ioannem, non intendendo negare pluralitatem, quam haberet Petrus, si simul esset Ioannes, sed intendendo fundare relationem diuersitatis, seu distinctionis relatiuæ dependentis ab existentia extrinseci extremi, quæ existente Ioanne resultauit ex Petro tanquam ex fundamento, cuius ratio fundandi est ipsum non esse Ioannem, & ex Ioanne existente tanquam ex termino, ex vi cuius poterit dici Petrus formalitè distinctus à Ioanne distinctione relatiua, quæ eadem est cum relatione diuersitatis.

Hac ratione poterit distinctio aliqua adæquata intrinseca enti in illo reperiri, quæ formalitè ex parte actus ab vnitare distinguatur, & possit dici passio entis cum illo conuertibilis, & in quocumque statu ab illo inseparabilis, quia eo ipso quod existat ens, habet non esse aliud, ex vi cuius habebit distinctionem relatiuam, seu relationem diuersitatis si ponatur aliud extremum, ex quo tanquam extrinsecò, & ipso ente per se ipsum non alio tanquam ex fundamento resultet relatio. Sic distinctio illa absoluta formalitè sumpta, & distinctio respectiua sumpta fundamenta-

taliter poterit dici passio entis, quia distinctio respectiva sumpta fundamentaliter, hoc est, fundamentum distinctionis respectiva formaliter non distinguuntur, distinctio enim absoluta formaliter sumpta nihil aliud est, quam fundamentum distinctionis respectiva, ut supra dicebam. Distinctio respectiva formaliter sumpta, proprie non poterit dici entis passio, quia passio, seu attributum cuiusvis rei necessarium, & independentem ab omni extrinseco illi competit, hæc tamen distinctio respectiva contingenter, & dependentem ab existentia alius extremi extrinsecè accedit enti. Quod illi conveniat dependentem ab extremo extrinsecè existente probandum non est, sed supponendum; agimus enim de distinctione, quæ assurgit ex subiecto, quod dicitur distinctum tanquam ex fundamento, & ex extremo alio extrinsecè existente tanquam ex termino. Eandem respectivam distinctionem contingenter enti competere ex eisdem principis facile probo. Contingens est respectu huius entis iam existentis existere aliud, à quo hoc essentialiter non dependet: ergo contingens erit eidem enti quicquid illiconveniat dependentem ab existentia eiusdem entis, à quo essentialiter non dependet, quia quicquid accedit dependentem à re contingentem necessarium cum illa eandem subit contingentiam: ergo contingens est respectu cuiusvis entis distinctio respectiva in ordine ad omnia entia, à quibus essentialiter non dependet. Quod si ens supponat alia entia, à quibus essentialiter dependet, & cum his fundet necessarium relationem distinctionis, seu diversitatis, non ideo hoc accedit, quia ens indiget hac relatione, seu his extremis, ut terminet hanc respectivam relationem, sed ut ab illis existentiam recipiat. Secundo: distinctio, quæ est passio entis, convenit cuicumque enti eidem necessitate respectu omnium entium: sed hæc distinctio respectiva non convenit cuicumque enti eidem necessitate respectu omnium: ergo hæc distinctio respectiva non est passio entis. Tertiò: distinctio, quæ est passio entis, convenit necessarium enti in creatura. Sed hæc respectiva distinctio non convenit necessarium enti in creatura, quia Deus ab æterno existit sine hac respectiva distinctione, seu relatione diversitatis respectu creaturarum existentium; quæ ab æterno non fuere, & sine quibus Deus existit per totam æternitatem: ergo hæc distinctio respectiva non est passio entis.

6 Ex his inferitur necessarium dicendum esse nullam distinctionem propriam, & formalem esse passionem entis: sed tantum esse proprium entis habere in se fundamentum distinctionis, vel distinctionem illam absolutam, ex vi cuius ens habet non esse aliud propriæ, & strictè habere rationem formalem distinctionis, & formaliter distingui ab unitate modo dicto supra. Malo ergo dicere distinctionem formalem esse passionem entis, & hanc distingui ab unitate formaliter ex parte actus, & consistere in hoc quod est ens non esse aliud, quatenus istud non esse aliud fundamentum est aptum ad fundandam distinctionem aliam respectivam, quæ adveniente alio ente confurget ex distinctione absoluta, quæ est passio entis, & ex alio extremo adveniente, cui intrinsecè alia inest distinctio absoluta, tanquam ex termino. Hac ratione rectè assignatur distinctio, quæ sit passio entis formaliter à reliquis passionibus distincta, quæ illi necessarium conveniat, & cum illo adæquatè convertatur.

7 Vtræque distinctio tam absoluta, quam respectiva, destruit rationem unitatis in extremo, quod dicitur distinctum, respectu illius à quo distinguitur, seu quod non esse dicitur ens illud, quod distinctione absoluta consideramus: nihilominus neutra per se formaliter opponitur cum unitate, quia unitas formaliter tantum opponitur cum pluralitate, quam intendit negare, & materialiter cum distinctione, & distinctio formaliter opponitur cum identitate, & materialiter cum unitate, quæ materialiter dicit identitatem entis, quod unum dicitur cum se ipso, & indistinctum à se.

8 Inter unitatem, & distinctionem hoc modo explicatam nullum prioritatis ordinem agnosco, quia non est prius unum non esse aliud, quatenus non esse aliud destruit pluralitatem, quam non esse aliud, quatenus non esse aliud fundamentum est distinctio respectiva, neque e contra: sed utrumque non esse aliud, seu idem non esse aliud æquè primò afficit ens in ordine ad fundandam distinctionem respectivam, & in ordine ad destruedam, seu negandam pluralitatem, & ita nullum agnosco ordinem inter has passiones, seu inter attributa immediatè essentialia ra-

Franc. de Ovidio, Philosoph. Tom. II.

tionem entis. Distinctio alia respectiva, quæ dicit existentiam termini distincti, posterior est distinctione absoluta, quam dixi propriè esse passionem entis, quia dependet ab aliquo extrinseco, & supponit existens, non solum ens, quod dicitur distinctum, & extremum respectu cuius, seu à quo distingui dicitur, & supponit hoc non esse illud, & illud non esse hoc, quod est supponere distinctionem absolutam in utroque extremo.

9 Distinctionem, quam propriè passionem entis esse dixi, absolutam vocavi, non quia intelligatur omnino absoluta nullo alio termino connotato, quia adhuc distinctio illa quomodocumque intelligatur semper respectu aliud intelligitur, hoc enim quod est Deus ab æterno non esse Angelum, sub hac ratione significatum instat habentis negationem Angeli non potest apprehendi sine Angelo, qui de Deo negatur, vel cuius negationem ab æterno dicitur Deus habuisse. Dicitur tamen distinctio absoluta, quia non exigit existentiam termini, sicuti illam exigit distinctio alia, quam hucusque respectivam vocavimus; posset tamen utraque distinctio vocari respectiva, prior illa quæ est passio entis, & non requirit terminum existentem respectiva transcendentaliter; & posterior altera, quam respectivam semper vocabimus, & requirit terminum existentem respectiva prædicamentaliter.

10 Distinctio respectiva transcendentaliter, quæ est propria entis passio, terminum respicit tanquam quid extrinsecum, & nullo modo pertinet formaliter ad sui constitutionem, & adæquatè cum fundamento identificatur; distinctio verò altera relativa prædicamentaliter terminum dicit tanquam quid pertinet ad sui constitutionem, dicit enim hæc distinctio fundamentum, quod distinctum dicitur in recto significatum, & illius terminum significatum in obliquo, utrumque tanquam illius proprium constitutum intrinsecè pertinet ad illius constitutionem. Hac ratione distinctio, quæ relativè distinguitur substantia ab accidenti, dicit in recto substantiam, & accedens, & in obliquo substantiam. Eodem modo distinctio, quæ distinguitur Petrus à negatione Ioannis dicit in recto Petrum, & in obliquo negationem Ioannis, & distinctio, quæ distinguitur negatio Ioannis à Petro dicit in recto negationem Ioannis, & in obliquo Petrum. Comparavi Petrum, & negationem Ioannis inter se, quia Petrus & negatio Petri hac distinctione relativa comparari non possunt, quia distinctio hæc petit extrema coexistentia, & cum coexistere non possit Petrus, & negatio Petri, habitus & negatio eiusdem habitus, nunquam inter hæc extrema poterit reperiri distinctio hæc prædicamentaliter relativa. Distinctio, quæ fundamentum dicit substantiale, & accidentalem terminum, vel è contrà talis dicitur, quale fuerit fundamentum, quod in recto importat, sic distinctio, quæ substantia ab accidenti distinguitur, substantialis dicitur, & distinctio, quæ accedens distinguitur à substantia, accidentalis appellatur, etsi in re utraque distinctio aliquid substantiæ, & accidentis aliquid habeat.

11 Entia purè possibilia, quæ actu non sunt, strictè loquendo distinctionem actualem non habent, quia id quod non est actu non potest esse actu distinctum, dicuntur tamen habere suam distinctionem possibilem. Eadem ratione ens purè possibile ab alio ente existente propriè non distinguitur hac relatione prædicamentaliter relativa; neque ens actu existens ab ente possibili distinguitur distinctione relativa prædicamentaliter, de qua loquimur, quia cum id, quod est purè possibile absolute non sit, neque existat, sed esset, aut existeret, ut dicebam Controu. 2. Punct. 1. sufficiens non est ad fundandam distinctionem respectivam prædicamentaliter, quæ necessarium exigit utrumque extremum realiter existens.

PUNCTUM II.

De distinctione ex natura rei.

1 Celebris est distinctio formalis quam Scotistæ ex suo Magistro defendunt, media inter distinctionem realem, & rationis, de qua in præsentis disputationem institui-mus. Totus multorum est labor, qui de hac rescripserunt in impugnanda hac distinctione, quam non explicant, neque ad mentem Scotistarum referunt, & facile multa in illam congerunt argumenta, à quibus omnibus se abstine-

abstinerent, Scotistarum mentem sollicitè indagassent, & prius ad hanc distinctionem explicandam, quam impugnandam suam nauassent operam. Curabo ego prius distinctionem hanc exponere eà ratione, quā defenditur à discipulis Subtilis Doctoris, ipsiusque doctrinæ acerrimis defensoribus, qui iure optimo Scotistarum nomen sibi arrogant.

2 Distinguit schola D. Thomæ distinctionem entis vniuersaliter sumptam in distinctionem realem, & rationis: distinctionis rationis dicitur quæ tantum habet esse obiectiue in intellectu, & secundum totum suum esse essentialiter dependet à cognitione intellectus. Distinctio realis est illa, quæ habet suum esse independentem ab intellectu cognoscente, & in se ipsa habet suam entitatem, siue cognoscatur, siue non. Quam diuisionem illius auctores adæquatam esse defendunt, & nullum aliud membrum diuidens medium inter duo assignata reperiri posse propugnant. Rursus distinctio rationis diuiditur in distinctionem rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Rationis ratiocinantis distinctio dicitur illa, quam intellectus absque vlllo fundamento architectatur, ut cum dicit, *Petrus est Petrus*, & Petrum à se ipso distinguit. Distinctio rationis ratiocinatæ est illa, quæ cum fundamento distinguitur ab intellectu v. g. cognoscit intellectus hominem sentire, & ratiocinari, & his operationibus distinctis fundamentum desumit ad distinguendum prædicatum animalis, cui sensationes tanquam principio correfpondeant, & prædicatum rationalis, cui correfpondeant ratiocinationes, quæ prædicata nullā distinctionem inter se habent independentem ab intellectu, sed tantum beneficium huius, distinctionem extrinsecam, quæ iure dicitur rationis, sortiuntur.

3 Censent plures in prima diuisione distinctionis factā in distinctionem realem, & rationis, oppositi Thomistas cum Scotistis inuenientibus aliam distinctionem mediam inter realem, & rationis: falluntur tamen quia si nomine distinctionis realis intelligatur omnis distinctio, quæ est independentem ab intellectu, & verè est seclusa omni fictione, concedent Scotistæ distinctionem adæquatè diuidi in distinctionem realem, & rationis, ut expressè docent Faber. in 1. disp. 20. n. 44. Theod. tit. 2. de Deo vno disp. 1. num. 43. & 5. Rad. 1. part. Controvers. 4. Barthol. de Sosa in 1. distinct. 2. quæst. 7. artic. 3. diff. 54. num. 39. & Meriner. in Logica cap. 1. de vniuersalibus disputat. 1. quæst. 2. sect. 1. num. 13. omnes ex præclarissima Diui Francisci familia, & alij quam plurimi. Differunt huc vsque auctores vtriusque scholæ tantum in modo loquendi, quia Thomistæ omnem distinctionem, quæ absque intellectu ope subsistit, distinctionem realem appellant, Scotistæ verò non ita sed distinctio illa, quæ absque interuentu intellectus existit, distinctio ex natura rei ab his dicitur, quam rursus diuidunt in distinctionem formalem, in qua subdiuisione maior dissensio reperitur inter vtriusque Scholæ Doctores, quam ego in præfati explicabo.

4 Illa quæ ex natura rei absque vlla fictione distinguuntur, inquit Scotistæ, in duplici sunt differentia: quædam quæ de potentia Dei absoluta possunt saltem non mutuo separari, sicuti materia, & forma, quæ ex natura rei nullo beneficio intellectus distinguuntur, & mutuo possunt separari, potest enim materia existere sine forma, & forma sine materia, & sicuti forma, & illius vnio, in quibus forma potest separari ab vnione, etsi hæc sine forma non posset existere, & ita non mutuo separari possunt. Hæc extrema separabilia siue mutuo, siue non mutuo, realiter distinguuntur iuxta Scotistarum opinionem, in quo conueniunt cum Thomistis. Alia sunt extrema, inquit Scotistæ, distincta ex natura rei, quorum neutrum, adhuc diuinitus, ab altero potest separari, licet à parte rei habeant entitates, conceptibiles, & quidditates distinctas, ita ut sint plures entitates, & quidditates distinctas, non verò plura entia quia illorum distinctio versatur inter entitates, & conceptibiles, non verò inter entia: hæc distinctio vocatur distinctio ex natura rei formalis, non realis, & ita componi potest cum identitate reali. Sic distinctio hæc explicat Sosa n. 34. & Merinero n. 14. Ex his inferit Sosa aliā esse distinctionem formalem, aliam distinctionem formarum. Distinctio formarum est, quæ intercedit inter albedinem, & nigredinem, quæ non est distinctio ex natura rei formalis, sed distinctio ex natura rei realis, quæ non solum est inter entitates, sed inter entia: distinguitur enim albedo à nigredine tanquam ens ab ente

similiter inter duas albedines est distinctio realis, quæ separari possunt, & sunt duo entia non tamen distinguuntur formaliter, quia vtrique habet eandem formalitatem, & eandem essentiam. Distinctio formalis est illa, quæ reperitur cum identitate reali inter formalitates, & quidditates distinctas, quæ nullo modo possunt separari. Hæc distinctio ex natura rei formalis iterum subdiuiditur in formalem essentialiter differentem, sicuti distinctio formalis quæ intercedit inter actionem, & passionem in eadem sententia, quæ actionem à passione realiter non distinguit. Distinctio formalis non essentialis est illa, quæ intercedit inter extrema non constituta species essentialiter oppositas, sicut illa, quæ datur inter rationale, & risibile, quæ essentialiter non differunt, quia risibile est passio rationalis, & ad eandem essentiam cum illo reducit, ad eandemque pertinet essentiam.

Distinctionem ex natura rei realem ex quatuor capitibus Scotistæ agnoscunt: primum est ex generatione secundum corruptionem, tertium ex separatione, quartum ex dependentia. Quia quoties duo diuersa generatione generantur, vel diuersa corruptione corrumpuntur, vel separantur vnum ab alio, vel vnum ab alio dependet, certum est distinguuntur ex natura rei realiter. Distinctionem ex natura rei formalem ex aliis quinque capitibus inuestigant Scotistæ, quæ recenset Merinero supra n. 20. videlicet ex exclusione, ex definitione, ex descriptione, ex demonstratione, & ex duplicatione. Quoties enim aliqua ita se habent, ut vnum aliud excludat à sua ratione formali, vel diuersa definitione essentiali sua descriptiua explicetur, quæ explicatur aliud, aut de ipso demonstratur aliquid quod non demonstratur de alio, vel denique in quantum tale dicitur aliquid de illo, quod non dicitur in quantum tale de alio, tunc vnum ab alio ex natura rei formaliter distinguuntur.

Eandem distinctionem formalem magis explicant Rada r. p. Contr. 4. notab. 3. de Sosa supra n. 39. ex Guillemo Rubico vetustissimo Subtilis Doctoris discipulo, cuius intellectum circa Magistrum mentem de hac distinctione valde commendat Sosa ibid. per non identitatem primo modo dicendi per se, illa enim asserit Guillem. hac distinctione gaudere in his, quæ realiter sunt idem, quæ non identificantur primo modo dicendi per se. Illa verò primo modo dicendi per se tantum identificari asserunt Scotistæ, quæ se habent veluti definitum, & definitio adæquata, vel inadæquata: illa secundo aut tertio modo identificantur, quorum vnum non est definitio aliud, neque pars definitionis, sicut risibile respectu rationalis, existentia respectu essentiae. Asseritque Guillem. per istam non identitatem non esse intelligendam distinctionem aliquam in re extra hoc est, realem, inter illa quæ distinguuntur: sed tantum intelligendam esse distinctionem definitionum, seu conceptuum obiectiuorum, quorum significata licet sint vna, & eadem res, conceptus tamen definitiuus illius rei ita sunt diuersi, quod vnus non sit alius, & significatum vnus distinguatur à significato aliud. Addit insuper hic author illa, quæ formaliter distinguuntur, non requirere identitatem realem ut significata per proprias cuiuslibet definitiones, sic animal & rationale licet in se sint idem realiter, tamen hæc identitas non exigitur ex conceptu significato per definitionem animalis, quia tantum id quod significat definitio animalis, excludit vel saltem non includit significatum per definitionem rationalis, & ita obiecta significata per definitionem animalis, & per definitionem rationalis, etsi realiter sint identificata, non exigunt identitatem ex vi definitionum, quapropter formaliter distinguuntur independentem ab omni fictione intellectus. Eadem ratione defendunt Scotistæ distinguuntur ex natura rei formaliter essentiam, & relationem, & attributa inter se, quia essentia non est definitio, neque pars definitionis relationum, neque contra. Similiter vnum attributum non est definitio, neque pars definitionis aliud, ideo formaliter attributa inter se distinguuntur ante omnem fictionem intellectus. Deinde asserunt essentiam realiter identificari cum relationibus, & attributa inter se, & cum essentia non obiecta distinctione ex natura rei formali ratione infinitatis, quæ est in Deo, quæ arguit identitatem realem inter essentiam cum attributis & relationibus, & inter attributa comparata inter se, & cum relationibus, & opponitur cum distinctione

distinctione reali inter hæc extrema, non verò arguit eadem infinitas in eisdem extremis identitatem formalem; neque opponitur cum distinctione formali ex natura rei eorundem, quia infinitas non variat quidditates, aut formalitates, quæ sunt in Deo, sed identificat realiter diuinæ essentia; omne quod est cum illa compossibile, quia est modus, seu gradus intrinsecus perfectionis entitatis ipsi entitati adueniens, ex vi cuius Deus habet summam perfectionem, quæ opponitur cum distinctione reali, ex vi cuius possit vnum extremum ab alio separari.

7 Ecce discipuli D. Thomæ & Scoti immediatè diuidunt distinctionem, in distinctionem rationis, & in distinctionem, quæ est independentem à fitione intellectus, seu quæ in ipsis entitatibus independentem ab omni operatione intellectus reperitur in rebus, differunt autem in eo, quod membrum conditinctum à distinctione rationis Thomistæ vocant distinctionem realem, & Scotistæ non distinctionem realem, sed ex natura rei dici volunt, in quo tantum est dissensio de modo loquendi, hæc tamen ad aliam de re valde grauem viam sternit. Afferunt Scotistæ diuisionem ex natura rei conditinctam à distinctione rationis contrahi per duplicem aliam inferiorem, videlicet per distinctionem ex natura rei realem, & hanc distinctionem habere affirmant omnes entitates, quas Thomistæ distinguunt distinctione opposita distinctioni rationis, quam absolutè realem appellant, & per distinctionem ex natura rei formalem, quæ Scotistæ distinguunt affirmant omnes entitates, quas Thomistæ tantum distinguunt distinctione rationis ratiocinata. Ex his inferes easdem entitates realiter distinctas appellari ab Scotistis, & Thomistis, cum hæc tamen differentia, quod Thomistæ appellant distinctas realiter illas, quæ adæquatè opponuntur distinctis per rationem; Scotistæ verò afferunt obiecta realiter distincta, non adæquatè opponi distinctioni rationis, sed obiecta distincta realiter, & obiecta formaliter distincta, quia utramque distinctionem habent independentem à fitione intellectus, & nomie generico adæquatè opposito distinctis per rationem ex natura rei distinguuntur. Ex his inferes distinctionem mediam, quam Scotistæ defendunt non esse distinctionem ex natura rei vt sic, quia distinctio ex natura rei communis est iuxta illorum phrasim speciali distinctioni, quam ipsi propugnant, & communis, quam cum Thomistis admittunt, sed distinctionem ex natura rei formalem independentem ab omni fitione intellectus.

8 Quæ potui claritatè, & fidelitate Scotistarum opinionem proposui, magni enim duco grauissimæ Scholæ sententiam penetrasse, & indecorum valdè iudico præterdere doctissimos impugnare viros illorum mente non affecturâ. Neque casu dixi semper, hanc opinionem Scotistas defendere, quam nunquam Scoto tribui, sunt enim grauissimi auctores qui Scotum explicant de distinctione formali factâ per intellectum, è suis Herrera r. tic. disp. 8. q. 13. & disp. 14. q. 1. & ex nostris P. Soar. in Met. disp. 7. sect. 1. & lib. 4. de Trinit. cap. 4. Salas 1.2. q. 3. tract. 2. disp. 4. sect. 3. Hurt. disp. 6. sect. 3. §. 27. & plures alij. Referuntur nonnulla Scoti testimonia, præcipuè in 1. dist. 2. quart. 2. q. 7. ad probandum hanc distinctionem mediam, quam sui volunt esse independentem ab intellectu, ex mente Subtilis Doctoris non distinguî à distinctione rationis, à quo non multum distat explicatio Rubionis quam de hac distinctione retuli, verumtamen sunt plures Scotistæ, qui agrè ferunt Scotum sic ab alijs explicari, cum quibus non contendendo, sed libenter admitto distinctionem formalem traditam ab Scoto esse distinctionem quamdam independentem ab intellectu existentem mediam inter distinctionem rationis, & illam, quam realem Scoti discipuli appellant.

9 Hanc mediam distinctionem sic explicatam defendunt Scotistæ omnes, Herrera dempto, qui Subtilem Doctorem de distinctione rationis explicat. Præter Scotistas illam defendunt P. Fons. Met. c. 6. §. 6. sect. 1. Agid. de Præsent. lib. 5. de visione Dei q. 5. art. 4. §. 2. n. 35. quibus nonnihil consentire videntur Conimb. in præfatione Porphyrij q. 4. art. 2.

10 Distinctionem omnem adæquatè diuidi in distinctionem rationis, & distinctionem realem, nulla data distinctione formali independentem ab intellectu existente conditincta à distinctione reali, defendunt cum S. Th. Scotistis exceptis, & vno, vel altero ex alijs modo relato, reliqui omnes Scolastici Doctores ideo nullum refero, videantur

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

P. Soar. in met. disp. 7. sectio 1. & Vsq. a. p. disputatio 116. cap. 5. Sit

CONCLUSIO. Nulla datur distinctio, quæ rationis non sit, minor illâ, quam Scotistæ vocant distinctionem realem, quâque communis sententia appellat distinctionem rei à re, vel rei à modo. Abstineo à vulgari argumento, quod contra distinctionem prædictam ferè omnes adducunt, videlicet distinctionem omnem, quæ non est dependenter ab intellectu futuram esse realem, quod Scotistæ concedunt sumpto termino reale pro illo quod opponitur enti rationis, & tantum dicit id, quod existit independentem ab intellectu, quod Scotistæ non reale vocant, sed ex natura rei; & rursus illud subdiuidunt in esse ex natura rei reale, & ex natura rei formale. Alio iam modo contra hanc distinctionem argumentor. Eo ipso quod duæ formalitates ante omnem intellectum distinguantur, datur hæc formalitas, quæ non est illa, & illa quæ non est ista: ergo datur duplex formalitas: ergo duplex entitas: ergo distinguuntur eadem distinctione, quæ distinguuntur de facto materia, & forma: ergo distinguuntur realiter. Probo consequentiam: materiam realiter distinguî à forma nihil aliud est, quàm materiam non esse formam, neque è contrâ: sed idem haberent illæ formalitates: ergo formalitates illæ distinguerentur realiter eadem distinctione, quæ distinguuntur de facto materia, & forma. Respondent Scotistæ distinguî realiter dicere non esse idem realiter, quod non haberent illæ formalitates, quæ tantum non essent idem formaliter, & tamen essent idem realiter. Contrâ: non esse idem realiter nihil aliud est, quàm non esse idem ante operationem intellectus: sed formalitates illæ ante operationem intellectus non sunt idem: ergo non sunt idem realiter: ergo non solum carent identitate formali, sed etiam identitate reali. Negabit Scotista antedicens, & dicit non esse idem realiter non tantum dicere utrumque non esse idem ante operationem intellectus, sed ita non esse idem, vt possint saltem non mutuo separari, vel vt possit vnum produci sine alio, vel sine alio corrumpi, vel vnum ab alio dependere, quæ sunt quatuor capita, ex quibus Scotistæ agnoscunt distinctionem realem. Quando verò ante operationem intellectus non sunt idem, & tamen viâ separationis, vel viâ generationis, corruptionis, aut dependentiæ non identitas seu distinctio non inferitur, sed tantum viâ exclusionis aut definitionis, &c. hæc non identitas realis non est, sed tantum formalis. Tria capita ex quibus non identitatem, seu distinctionem ex natura rei formalem à distinctione reali distinguunt, videlicet posse vnum separari ab alio, posse produci sine alio, vel posse ab alio corrumpi ad vnum reducuntur, videlicet non posse vnum separari ab alio, quia ex eo præcisè, quod vnum ab alio non possit separari, non potest sine illo produci, aut corrumpi, sed quidquid sit de hoc, probo ex his quatuor capitibus non posse distinguî non identitatem formalem à non identitate reali, neque distinctionem ex natura rei formalem à distinctione ex natura rei reali. Separatio vnius entitatis ab alia formaliter non constituit distinctionem, sed illam supponit, & ideo hæc entitas ab alia potest separari, quia ab illa distinguitur: ergo dicendum non est entitatem non distinguî realiter, quia non potest separari; neque realiter distinguî, quia potest separari; sed potius inferendum, distinguuntur realiter: ergo potest separari; non distinguuntur realiter: ergo non potest separari. Idem dico de reliquis alijs capitibus distinctionis, si enim rogemus quænam sit ratio formalis distinctionis realis inter Petrum, & Ioannem, non dicemus posse produci sine alio, vel diuersis actionibus produci, aut corruptionibus corrumpi, aut posse vnum ab alio dependere, sed potius dicemus hæc omnia procedere ex ipsa distinctione: ergo distinctio realis in ratione realis, prout distincta à distinctione ex natura rei formali non potest per hæc capita inter se constitui: ergo nullum est caput, ex quo distinguatur distinctio ex natura rei realis à distinctione ex natura rei formali. Hæc est valida impugnatio à priori contra sententiam Scotistarum, quam desumo ex destructione differentiarum, quas assignant inter distinctionem rei formalem, quam insequor.

Petrus potest dependere à Ioanne, ab illo separari, distinctam productionem & corruptionem terminare ex eo præcisè, quod ante operationem intellectus non habet identitatem, seu quia ante operationem intellectus est distinctus à Petro, & ideo non potest separari, neque distinctam produ

productionem, aut corruptionem terminare animal à rationali, neque vnum ab alio dependere, quia ante operationem intellectus non distinguuntur: ergo eo ipso præcisè quod distinguantur, vel non distinguantur ante operationem intellectus identificantur, vel non identificantur realiter: ergo distinguere realiter nihil aliud est, quam distinguere ante operationem intellectus. Dices non ex eo præcisè posse Petrum dependere à Ioanne, separari ab illo, &c. quia distinguitur ab illo ante operationem intellectus, sed quia distinguitur realiter ante operationem intellectus. Millies petes principium, & terminos repetes, antequam argumentum dissoluas. In isto iterum: distinguere realiter nihil addit supra hoc quod est distinguere ante operationem intellectus. Negabis antecedens, sed à te peto, quid addat? Respondebis posse separari vel dependere vnum ab alio, &c. Contrà: distinguere realiter vnum ab alio dicit formaliter posse separari ab illo: ergo cum dicis Petrum posse separari à Ioanne, quia realiter ab illo distinguitur, dices posse separari Petrum à Ioanne, quia potest ab illo separari, & idem reddis per idem. Eadem ratione si in his, quæ ante operationem intellectus tantum ex natura rei formaliter distinguuntur, non distinguere realiter dicit formaliter non posse vnum dependere ab alio, neque ab illo separari; cum dicis rationale non posse dependere ab animali, neque separari ab illo, quia non distinguuntur realiter ab illo, dices non posse dependere, neque posse separari, quia non potest dependere, neque potest separari, & propositiones illæ verè causales non erunt, neque veram rationem physicam à priori reddam, cum dicam, Petrus separatur à Ioanne, quia distinguitur ab illo, sed ad summum reddam idem per idem magis explicatum, vt cum dico, Petrus est homo, quia est animal rationale.

13 Secundò argumentor sic: suppone materiam, & formam per se ipsas unitas absque vnione superaddita, ita vt non possint de potentia Dei absolutè existere non vnitæ, in quo nulla est repugnantia. Tunc materia, & forma realiter distinguuntur, & non posset vna ab alia separari, neque vna produci sine alia, aut iam producta sine alia corrumpi, neque vna ab alia per causalitatem dependere, quia vtraque crearetur, & nulla entitas creata virtutem haberet influendi in aliam creatam: ergo distinctio realis non dicit formaliter rem vnā posse separari ab alia, vel ab illa dependere, &c. licet enim rectè valeat, hoc ens potest separari ab illo: ergo distinguitur, non tamen valet, hoc distinguere ab illo: ergo potest ab illo separari, quia posse vnum ab alio separari non tantum dicit negationem identitatis, sed etiam negationem connexionis. Respondebit Scotista: tunc materiam & formam distinguendas esse viā productionis, quia non potest vna produci sine alia, posse tamen produci distinctā productione ab aliis productione. Contra hanc solutionem reddit argumentum supra factum: Ideo materia, & forma assignatæ possent distinctis productionibus produci, quia realiter distinguuntur: ergo prius est realiter distinguere, quam diuersis productionibus produci. Hoc omitto, & de ipsis materiæ, & formæ creationibus arguo: In illo casu creatio materiæ non posset separari à creatione formæ, neque è contra, quia necessariò materia, & forma simul erant creandæ: neque vna creatio dependeret ab alia, neque produceretur per distinctam aliam creationem: ergo ex nullo capite possent hæ creationes realiter distinguere secundum principia Scotistarum: ergo neque materia & forma realiter distinguuntur in prædicto casu ex eo, quod creationes illarum realiter distinguuntur.

14 Secundò: Si prædicata illa, quæ distinctis gaudent definitionibus, ex natura rei distinguuntur ante omnem intellectus operationem, in Deo relationes, & attributa distinguuntur ab essentia ante omnem operationem intellectus ex natura rei formaliter: ergo in Deo Paternitas, & Deitas erunt duplex entitas, quarum vna non est alia ante operationem intellectus. Concedant Scotistæ in Deo dari duas entitates, & distinguere paternitatem ab essentia tanquam duas entitates, non verò tanquam duo entia, quia paternitas, & essentia tantum sunt vnum ens. Ita discurret Sosa supra citatus. Contrà: Extrema, quæ distinguuntur inter se, secundum illam rationem distinguuntur, quam in se habent, exempli gratiā, distinguuntur Petrus & Ioannes; eo ipso quod Petrus, & Ioannes, qui distinguuntur, sint indiuidua substantialia, distinguuntur vt duo indiuidua substantialia: eo ipso quod hæ albedines sunt indiuidua

accidentalitæ, distinguuntur vt duo indiuidua accidentalitæ, quia distinguere vt talia supra hoc quod est distinguere, tantum dicit esse talia, illa, quæ distinguuntur, sicuti distinguuntur vt modum tantum dicit esse modum illud quod distinguuntur ab illa, quæ est res, & non distinguuntur tanquam modum à re: sed essentia ante omnem operationem intellectus est ens, & Paternitas ante operationem intellectus est ens: ergo si ante operationem intellectus distinguuntur, non possunt non distinguere vt ens ab ente: ergo si essentia, & Paternitas ante operationem intellectus distinguuntur, distinguuntur vt duæ entitates, & duæ relationes: quod Scotistæ concedunt, sed vt duo entia, quod Catholicæ negant. Secundò entitas, & ens adhuc per intellectum ex parte obiecti distinguere non possunt, nisi tantum ex parte actus, quia in ipsa ratione obiectiua entis reperitur ratio entitatis, & in ipsa ratione entitatis reperitur ratio entis, vtraque enim, si vtraque dici potest, quæ vna est simplicissima, tantum dicit aptitudinem ad existendum eandem omnino in entitate, & in ente: ergo entitas, & ens, adhuc secundum definitionem, seu conceptibilitatem obiectiua non differunt: ergo realiter ex natura rei: ergo id quod realiter conuenit his extremis vt entitatibus, eisdem vt entibus realiter conuenire necesse est: sed Paternitas, & essentia vt entitates distinguuntur ante omnem operationem intellectus, vt Scotistæ fatentur: ergo ante operationem intellectus distinguuntur vt entia, & erunt duo entia. Consequens est plusquam absurdum: ergo antecedens falsum.

Vltimò, vt bene Ruifius arguit t. de Trinit. disp. i. sect. p. n. 12. ex Doctore Angelico i. contra gentes, c. 38. duæ entitates non possunt coalescere in vnā rem, quæ simpliciter sit vnā: vna se habeat vt actus, & altera vt potentia. Si enim vtraque esset actus non efficeret vnum simpliciter, & per se vnum, sed vnum per accidens constans ex rebus quasi congregatis, & coaceruatis, quapropter si Deitas, & Paternitas ante intellectus operationem sint duæ entitates, seu duæ realitates, vt faciunt per se vnum ens, seu se vnum simpliciter, necesse est aut Deitatem se habere vt potentiam ad Paternitatem, vel è contra, vel vtramque entitatem mutuo esse sibi actum integrantem, vt cernitur in partibus integrantes continui. Secundò Paternitas ante operationem intellectus distincta ab essentia erit essentialiter incompleta, quia supponit essentiam, cum qua vnum ens constituit, & similiter essentia distincta ante operationem intellectus à Paternitate erit entitas incompleta, quia simul cum Paternitate distincta constituet vnum ens simpliciter, quod ante operationem intellectus ex natura rei si realiter cōcedere reculas, erit cōpositum, & dicitur in Patre æternò ante intellectus operationem dari compositionem, ex vi cuius ex entitatibus incompletis, & incompositis fit vna entitas, seu vnum ens completum, & cōpositum, quod valde alienum est ab ente increato. Aliis absurdis Theologicis, innumeris Patrum, & Conciliorum testimonis eandem sententiā insequitur Noster Ruifius supra, quibus modò parco, vt me intra Philosophicæ cancellos contineam.

Obiiciunt Scotistæ cum Scoto: Formalitates diuine essentia, & diuine relationes licet sint eadem omnino res, tamen ita inter se comparantur, vt formalitas essentia sit ex natura rei actu formaliter communicabilis, & de facto communicetur, & formalitas relationis sit incommunicabilis, & de facto non communicetur; similiter Filiationis relatio de facto producit, & essentia non producit ante omnem operationem intellectus: ergo essentia, & filio distinguuntur ex natura rei formaliter, licet nō distinguuntur realiter, ne in Trinitate quaternitas admittatur. Probatur consequentia: communicari, & non communicari, produci, & non produci sunt contradictoria: sed contradictoria non possunt competere ex natura rei, seu ante operationem intellectus rebus tantum per intellectum distinctis: ergo essentia, & relatio distinguuntur ante operationem intellectus: Non distinctio ex natura rei realis: ergo distinctio ex natura rei formali: ergo datur in diuinis talis distinctio.

Si huius distinctionis beneficio possent rebus realiter identificatis duo contradictoria competere, de facto possent cōuenire animalitati, & rationalitati in homine identificatis realiter, quæ in sententiā Scotistarum hæ distinctio gaudet, & ita possemus dicere produci rationem animalis hominis non productā ratione rationalis cum illa realiter identificata, & vnā sine alia corripit, existere formalitæ

formalitate passionis sine formalitate actionis, cum qua realiter identificatur, quia formalitates istae distinctionem habent ex natura rei formalem, quae sufficiens est, ut possint ea, quae in se sunt contradictoria, absque contradictione competere: ergo mysterium Trinitatis non esset supra naturam rerum creatarum, siquidem in illis inuenitur distinctio, ratione cuius in eisdem possint componi illa, quae in hoc mysterio miramur, videlicet essentiam identificatam realiter cum paternitate communicari non communicatam paternitate, & filiationem identificatam cum essentia produci non producta essentia: ergo si haec distinctio aliquo modo mysterium explicaret, illud adaequaret cum natura rerum creatarum, & corruptibilem, quod non esset mysterium explicare, sed destruere, & ad naturam creatae regulas Trinitatis mysterium componere, ita ut nihil in illo eluceat, quod non dico caput intellectus creati, sed neque physicam capaciatem naturae creatae aliud in se simile includendi, ratione distinctionis ex natura rei formalis, quae reperitur in rebus creatis realiter identificatis, superaret.

18 Ex eodem principio alio modo insto: Distinctio ex natura rei formalis non sufficit ut formalitatibus creatis realiter identificatis, etiam si ex natura rei formaliter distinguantur, possint conuenire haec contradictoria; communicatur, & non communicatur; producit, & non producit: ergo non possunt in diuinis haec praedicata componi, ratione similis distinctionis formalis, vel minor distinctio requiritur in diuinis ut illa praedicata contradictoria componantur, quam in creatis. Antecedens est certum, alias posset dari in creatis mysterium aliud Trinitatis. Consequentia est legitima, in qua si concedas primam partem consequentis ruit argumentum supra factum, & tota virtualis distinctio. Si secundam admittas, videlicet requiri minorem distinctionem in diuinis, quam in creatis ad illa praedicata contradictoria videlicet componi, & non componi, produci, & non produci componenda, sic argumentabor. Etiam si in creatis non possint componi praedicata illa contradictoria sine distinctione reali, possunt in diuinis componi absque illa, modo distinctio formalis intercedat: ergo poterunt componi absque distinctione formali. Negabis consequentiam, sed petam ego rationem speciale propter quam ad haec praedicata componenda non requiritur in diuinis distinctio realis, quae in humanis requiritur quia redde ex infinitate Dei, quae sufficiens erit non solum ad componenda haec praedicata sine distinctione reali cum distinctione formali, sed ad illa componenda absque distinctione reali, & formali. Nullo enim fundamento dices Dei infinitatem sufficere ad componenda haec praedicata sine distinctione reali, sine qua non possunt componi in creatis, & non esse sufficiens ad haec praedicata componenda sine haec distinctione formali non reali, quam nunquam vtilem experti sumus ad similia praedicata componenda, & quia posita, adhuc superat caput nostri intellectus, illa praedicatorum compositio, & diuinum Trinitatis mysterium, ac si aliis distinctio non esset posita. Remanet ergo haec distinctio posita aequè difficile mysterium, & illorum praedicatorum compositio in diuinis ad illa praedicata componenda, si distinctio haec in creatis sufficiens non sit ad alia similia praedicata componenda; quia aequè explicatu difficile est, quomodo in diuinis componantur haec praedicata sine distinctione reali cum formali tantum, & in creatis cum formali, sine reali componi non possint, ac explicatu difficile est, quomodo possint haec praedicata, quae in creatis sine distinctione reali non componuntur, in diuinis sine distinctione reali, & formali componi. Si verò distinctio haec in creatis sufficiens est ad similia praedicata componenda, sequitur mysterium Trinitatis non excedere mensuram entis creati, & naturae regulis metiri, posseque dari hominem vnum in essentia, & trinum in personis, cuius personalitates inter se distinguantur & cum essentia identificentur, quod est totum Trinitatis mysterium euertere. Haec ergo distinctio formalis media, etiam si admittatur vel mysterium admittit, vel illius difficultatem integram relinquit. Ex quo infero nullum illius fundamentum in hoc mysterio reperiri, neque aliqua ratione posse ex illo inferri, & inutile omnino esse ad veritatem Catholicam Trinitatis aperiendam, defendendam, vel explicandam. Restabat modo explicandum quomodo illa praedicata, communicari, & non communicari, produci, & non produci, possent cum essentia, & relationibus absque distinctione

Francisc. de Ouidio Philosoph. Tom. II.

reali, & ex natura rei componi, ut praedictae difficultati satisficeret. Verumtamen hoc non ad Philosophum, sed ad Theologum, neque ad quaestionem quam exagimus de distinctione virtuali spectat, sed ad materiam de Trinitate, in qua si difficultas haec exactè explicetur, actum erit de omnibus, quae in eadem materia possint occurrere, ideo abs re satis in praesenti difficultatem hanc explicandam susciperem; sufficiat ergo probasse ex principiis Philosophicis distinctionem hanc admittendam non esse, & ipsam admissam inutilem esse ad difficultatem praesentem saluo mysterio explicandam.

19 Alia argumenta, quibus haec distinctionem propugnant Scotistae sumuntur ex distinctione graduum superiorum, & inferiorum, quam in praedicatione eiusdem individui reperiri contendunt, quam quaestionem exagito ex Punct. 3. in quo à n. 12. adducam, & soluam Scotistarum argumenta.

PUNCTUM III.

An inter gradus metaphysicos distinctio aliqua non ficta intercedat.

Doctorum sententiae.

1 Inuenta est distinctio media, quam modo impugnabimus ad praedicata metaphysica, quae eidem entitati conueniunt distinguenda, ideo ad plenioram notitiam, & impugnationem huius distinctionis mediae hic tracto de graduum distinctione ex qua illam inferri illius propugnatores praetendunt.

§. I.

Scotistarum sententiam refero.

2 Procedit quaestio tam de distinctione graduum superiorum inter se, v.g. de distinctione animalis respectu differentiae rationalis, per quam contrahitur, & respectu speciei hominis, quam contrahit, quam de gradibus superioribus respectu differentiarum individualium, per quae contrahuntur, de homine, v.g. respectu Petreitatis, & reliquarum differentiarum individualium.

3 Praedicata vniuersalia inter se & à differentia individuali distingui distinctione ex natura rei formali ante omnem operationem intellectus defendit Scotus cum suis in 1. 2. quaest. 2. & in quodlib. quaest. 2. & 7. Met. quaest. 16. dissentit Fonsl. Met. cap. 1. quaest. 11. & lib. 4. cap. 2. quaest. 4. sect. 3. & lib. 5. cap. 7. quaest. 3. sect. 3. ad 2. Verumtamen inter Scotistas de hac re nonnulla est opinionum varietas. Conueniunt omnes praedicatum superius, & praedicatum differentiale, per quod contrahitur, videlicet animal & rationale, distinguui ex natura rei formaliter tamquam duas entitates, seu formalitates modo explicato Punct. praecedenti. De eisdem verò praedictis superioribus respectu differentiarum, quas contrahunt, non omnium eadem mens: Socrates, Mauritijs, & Balin. apud Merinerum in Logic. c. 1. de vniuers. disp. 1. q. 2. sect. 2. n. 68. affirmant praedicatum genericum respectu speciei ad quam contrahitur inadaequatè formaliter distinguui, speciem verò respectu praedicti superioris nullam habere distinctionem. Itaque asserunt praedicti auctores animal distinguui ex natura rei formaliter ab homine distinctione inadaequatè ante omnem intellectus operationem, & hominem huiusmodi distinctionem non habere respectu animalis. Fundamentum desumunt ex Subteli Doctore asserente in 1. dist. q. 7. idem formaliter esse, quod aliud in suo conceptu includit, ex quo inferunt hominem esse idem formaliter cum animali, quia includit in suo conceptu, & animal non esse idem formaliter cum homine, quia conceptus hominis in conceptu animalis non includitur. Eodem modo possent hi auctores inferre compositum non distinguui à quacunque illius parte, quia illam in se includit. Trombeta, Basilius, & Rada apud eundem Merinerum supra, docent speciem distinguui formaliter à genere ante operationem intellectus, genus autem non distinguui ab specie. Horum fundamentum ex eodem Scoto desumitur: id est idem formaliter cum alio, quod est de conceptu illius, seu quod est definitio, seu pars definitionis illius: sed animal est de conceptu hominis, & pars definitionis hominis, &

Y 3 homo

homo non est de conceptu animalis, neque pars definitionis illius: ergo animal non distinguitur ab homine, & homo distinguitur ab animali. Itaque sectatores vtriusque dicendi modi distinctionem non mutuam admittunt inter hominem & animal, cum hac tamen differentia, quod priores illam ponunt ex parte animalis, & eandem ex parte hominis negant; posteriores verò illam ex parte hominis constituunt, & negant ex parte animalis. Magis ad rem iuxta propria principia questionem dirimit Merimero, qui affirmat inter hominem & animal dari distinctionem mutuam inaequatam, & animal distingui ex natura rei formaliter ab homine ante operationem intellectus, quatenus homo formaliter est rationalis, & identificari cum illo quatenus est animal, & eadem ratione hominem quatenus est rationalis distingui ab animali, & quatenus animal cum animali formaliter identificari. Eodem modo sentiunt hi omnes de homine respectu Petri, & de animali respectu hominis.

- 4 Pert. communis sententia hæc prædicata quomodocumque comparantur, nullo modo distingui ante intellectus operationem. Ita D. Thomas i. p. q. 5. art. 4. ad 1. & q. 76. art. 3. ad 4. & de ente & essentia c. 4. & 7. Metaph. lect. 4. Cum D. Thomas ferè omnes Thomistæ sentiunt, eandemque sententiam tenent Nominales apud P. Soar disp. 6. Metaph. sect. 9. n. 9. & disp. 5. sect. 2. n. 8.

§. II.

Verior sententia.

- 5 **P**RIMA CONCLUSIO. Differentia individualis ante intellectus operationem nullo modo distinguitur à ratione specifica. Debet convenire in hac conclusione, ut bene notavit Soar. supra, omnes Doctores, qui negant naturam esse à parte rei vniuersalem. Ratio est facilis: si differentia individuales distingueretur à differentiis individualibus, distinctio enim semper est mutua inter quæcumque extrema intercedat, eo enim ipso quod hoc non est illud, implicat illud esse hoc, & per locum intrinsecum implicat distingui hoc ab illo, & non distingui illud ab isto, sicuti implicat hoc esse idem cum illo, & illud non esse idem cum isto: ergo natura specifica, & differentia individualis essent duo inter se distincta: ergo qualibet illarum haberet suam vnitatem. Vel ergo natura distincta à differentia individuali haberet vnitatem multis communem, vel non haberet vnitatem multis communem: Si haberet vnitatem multis communem, esset vniuersalis, quod prædicti superioris alia negant. Si non haberet vnitatem multis communem, natura ut distincta à differentiis individualibus esset non communis: ergo singularis, seu individualis: ergo ut distincta à differentia individuali haberet vnitatem individualement: ergo esset individua sine differentia individuali, & consequenter haberet differentiam individualement, quia esset individua, & illam non haberet, quia supponitur distincta à differentia individuali.

- 6 Secundò vniuersaliter eandem sententiam probo. Si natura specifica ante operationem intellectus distingueretur à differentia individuali ante operationem intellectus seclusa differentia individuali intelligeretur constituta in suo esse, nihil enim constituitur per illud, à quo distinguitur, & verè ut distincta à differentia individuali intelligeretur existens, sicuti materia distincta à forma, etiam quando illi est unita, ut distincta ab ipsa forma habet suam existentiam. Idem dico de vniione, & de quocumque modo etiam inseparabili à re cuius est modus, qui ut distinctus à re habet suam existentiam, licet inseparabilem ab existentia rei, respectu cuius dicitur modus: ergo ut sic existens natura specifica esset individua, & singularis: ergo implicat distingui à differentia individuali, aliàs ut distincta ab hac esset individua, & non esset individua, haberet differentiam individualement, & non haberet differentiam individualement. Probo priorem consequentiam: natura ut sic existens terminaret per se ipsam actionem causarum, sed nihil potest terminare actionem causarum, & esse existens, quod ex vi illius formalitatis præcisæ secundum quam terminat actionem causarum, & est existens, non sit singulare, & non commune, cum nulla ratio communis per se possit produci aut existere, ni abeamus in chimericâ illam sententiâ, quæ Platoni tribuitur asserenti dari quasdam naturas communes separatas, à quibus tanquam à principiis singularia suum esse habent: ergo natura illa, quæ fingitur distincta à differentia individualibus ut distincta ab illis esset indivi-

dua, & consequentes haberet differentiam individualement, ut conuincit ratio, & illam non haberet, ut supponitur: ergo implicat dari talem naturam distinctam à differentia individuali. Rursus, natura specifica ut existens distincta à differentia individuali cum qua fingitur individuum contra incommunicabilis: ergo est individua, & non individua, ut sæpe intuli.

Vltimò, si natura specifica à differentia individuali distingueretur, non posset natura specifica, seu natura humana in Petro differre à natura specifica Ioannis per differentiam individualement, quia nihil ab alio distinguitur per aliquid sibi superadditum, sed per illud, ex vi cuius constituitur seruata proportionem inter modum, quo res constituitur, & quo ab alio differt, si enim realiter, ex vi huius entis constituitur, & non per rationem, ex vi huius realitatis, & non per rationem differt ab alio. Quod si ex vi huius, adhuc per rationem constituitur, ex vi huius adhuc per rationem ab alio differt. Sed si differentia individualis distinguitur à ratione hominis, quæ est in Petro, non potest realiter ratio hominis, quæ est in Petro, constitui per rationem individualement: ergo non poterit ex vi huius distingui à ratione hominis, quæ est in Ioanne: ergo distinguitur per se ipsam ut distincta à differentia individuali, vel nullo modo distinguitur. Si primum dicas, sequitur naturam ut distinctam realiter à differentia individuali esse distinctam ab omni alia natura etiam eiusdem speciei, ac proinde esse individualement, & consequenter esse individualement, & non esse individualement. Si dicas secundum, & asseras per differentiam individualement non differre naturam specificam Petri à natura specifica Ioannis, sed Petrum à Ioanne, sicuti per formam hominis non distinguitur materia hominis à materia equi, sed homo ab equo, sequitur naturam non solum metaphysicè, sed physicè omnino eandem manere in Petro, & in Ioanne, etiam postea differentia individuali vtriusque, & consequenter peruenire Petro tantum perire differentiam individualement illius, illiusque naturam specificam omnino eandem permanere in Ioanne, qui vitæ remanet superstes. Eadem ratione infertur tantum produci differentiam individualement Ioannis, quando Ioannes producit, quia iam illius natura fuerat in Francisco producta. Neque hæc absurda possunt deuorare, qui velint defendere naturam à parte rei esse vniuersalem quia etiam contra hos infertur naturam vniuersalem non esse futuram, de ratione enim vniuersalis est multiplicari in singularia, & in his fieri plura, quod antea fuerat vnum, sed esse quoddam singulare subiectum, cui acciderent distinctæ differentie individuales, sicuti eidem subiecto plura accidentia inter se distincta contingunt.

SECUNDA CONCLUSIO: Prædicata superiora inter se quæ in eodem individuo reperiuntur, ante intellectus operationem nullam fortiuntur distinctionem. Dico prædicata, quæ in eodem individuo reperiuntur, quia si comparatus prædicatum rationale quod est in homine cum prædicato animalis quod est in equo, certum est inter hæc extrema distinctionem reperiiri, quia rationale hominis sicuti cum equo identificatum non est, sed ab illo distinguitur, sic identificatum esse non potest cum animali equi, sed necessariò ab illo distinguentum est. Ratione hæc contra Scotum pugnat Arriaga: si ratio superior est indifferens ut ab hac vel illa differentia specifica determinetur: ergo ratio entis, & substantiæ, quæ reperiuntur in Angelo potest esse in lapide: ergo Angelus non est omnino spiritualis, quod est absurdum. Probat consequentiam in lapide nihil potest reperiiri, quod spirituale sit, sed ratio substantiæ, quæ est in Angelo potest reperiiri in lapide: ergo ratio substantiæ quæ est in Angelo non est spiritualis: ergo Angelus non est totus spiritualis. Durioribus aliis telis Scotistæ resistunt, & aliis maioris momenti illationibus non terrentur. Plura in principiis Scoti reperio, quibus Arriaga discursus infringitur in primis, et si Scotistæ afferant in Angelo prædicatum spirituale, & substantiæ prædicatum distingui ex natura rei formaliter, asserunt identificari realiter, ratione cuius identitatis sunt inseparabilia, ac proinde rectè ex hoc capite dicitur prædicatum substantiæ, quod est in Angelo est formaliter distinctum à prædicato spiritualis non posse reperiiri in lapide propter identitatem, quam habet cum reliquis prædicatis Angeli, à quibus est inseparabile ex vi huius identitatis.

Secundò

Secundo dici potest prædicatum substantiæ in Angelo esse spirituale propter identitatem realem, quam habet cum prædicato spirituali, à quo realiter non distinguitur, etsi distinguatur formaliter, rectè enim dicitur prædicatū substantiæ in Angelo constitui spirituale per rationem formalem spirituales, cum qua realiter est identificatum, etsi ab illa formaliter differat. Vltimò, forsan Arriaga Scotistas non rogauit, an ipsi absurdum reputent iuxta propria principia admitti in Angelo prædicatum quoddam superius prædicatis materialitatis, & spiritualitatis, quod in se formaliter neque materiale, neque spirituale sit, & ratione cuius secundum se sumpti Angelus nullam ex his rationibus habeat, sed ratione alius prædicati inferioris, quod si non fecit, illòque non audiuit dicentes hoc esse absurdum, vanè illos his terribilibus aggreditur, quæ facillimo negotio ipsi eludent. Cum Scotistas ego in his, quæ in hoc puncto tracto tantum contendo, ex his, quæ in præcedenti præmissis, videlicet distinctionem illam mediam admittendam non esse, & ideo iuxta principia communia, mea instituo argumenta, quæ si Scotista dissoluere intendat suā distinctionem mediā imperandus est rationibus, quibus Puncto præcedenti probauit talem distinctionem non posse subsistere. Quod si in præsentī hoc punctum institui ut clariùs conficeret distinctionem illam non esse admittendam, id non omnibus argumentis, quibus meam probationem assequi præsumo, sed solutionibus argumentorum, quibus graduum distinctio propugnatur, & ostendendum necessum non esse gradus hos ante intellectum distinguere, ut ex his constet distinctionem illam mediam admittendam non esse propter hos gradus distinguendos, neque in his aliquid habere fundamentum, ac proinde gratis omnino, & absque vilo fundamento aditui.

9 Conclusionem hanc ex præcedenti probō. Prædicata omnia vniuersalia, quæ sunt in Petro, ante omnem intellectus operationem non distinguuntur à differentia indiuiduali, sed cum illa identificantur: ergo identificantur vni tertio: ergo identificantur inter se. Non acquiescit huic rationi Arriaga, existimat enim responderi posse, quodlibet prædicatum superius identificari cum propria differentia indiuiduali distincta realiter à differentia indiuiduali alius prædicati, & ita neque ex hoc capite identificari vni tertio neque inter se. Effugium prouidè præcluserat P. Soar. disp. 6. Metaph. sect. 9. n. 15. ubi probat omnia prædicata, quæ sunt in quocumque indiuiduo identificari cum simplicissima differentia indiuiduali, nullam compositionem neque distinctionem realem admittente, ex vi cuius per intellectum immediatè contrahitur species infima, & in illa omnia prædicata superiora, quæ essentialiter includit. Sic arguit: non minds essentialis est ordo inter rationem genericam, specificam, & indiuidualem, quam inter alias differentias essentielles magis, & minds vniuersales vsque ad specificam. Sed corpus non potest contrahi ad differentiam animalis nisi media differentia viuens: ergo animal non potest contrahi ad differentiam Petri nisi media differentia hominis: ergo datur vna differentia indiuidualis in se simplicissima, quæ contrahendo rationem hominis contrahat in illa omnia prædicata superiora, quæ in homine continentur: ergo differentia illa, ex vi cuius concipimus contrahi rationem communem adæquatam hominis, est vna entitas realiter simplicissima, & in composita, ex vi cuius immediatè concipimus contrahi omnia prædicata in specie contenta. Confirmatur: Implicat dari à parte rei hoc animalis indiuiduum indifferens ut sit hic homo, vel hic equus: ergo in hoc homine non datur quædam differentia indiuidualis afficiens prædicatum animalis, & alia differentia realiter ab illa distincta afficiens prædicatum rationalis realiter distincti à prædicato animalis. Confirmatur: si in Petro distinguerentur animal, & rationale, & quodlibet horum prædicatum haberet differentiam indiuidualem distinctam à differentia indiuiduali alterius, siue identificatam cum ipso prædicato, siue ab illo distinctam posset prædicatum animalis existere affectum sua differentia specifica: sed sic est, quod nunquam potest existere animal affectum differentia indiuiduali, quin sit affectum differentia specifica: ergo animal non afficitur differentia indiuiduali realiter distincta à differentia, per quam afficitur rationale, si enim sic afficeretur, adæquatè distingueretur in Petro hoc animal ab hoc rationali, & ita posset vnum existere sine alio, sicuti existit in materia sine forma.

10 Probatur secundò eadem prædicatorum identitas. In Petro esse animal, esse rationale, &c. sumuntur ab eadem indiuisibili anima, ex vi cuius Petrus hæc prædicata dicitur habere: ergo in Petro hæc prædicata nullam possunt habere distinctionem realem. Dices in eadem anima distinguere gradum animalis, & gradum rationalis, ex vi quorum constituitur Petrus in esse animalis, & in esse rationalis. Contrà: in anima gradus animalis dicit principium sensationis, & gradus rationalis dicit principium intellectuum. Sed eademmet entitas indiuisibiliter sumpta potest esse principium sensationum, & intellectuum: ergo frustra distinguetur in anima rationali principium sensationis à principio intellectus: ergo frustra distinguuntur in anima gradus animalis, & gradus rationalis. Maior est apud omnes inconcussa, minorem probō: Idemmet principium indiuisibile, seu eadem virtus absque vlla distinctione potest influere in effectus inter se distinctos, & longè diuersos, ut patet in ipso gradu animalis, qui dicit principium in se vnum omnino indiuisibile sensationum inter se specie distinctarum, & in gradu rationalis, qui dicit principium idem indiuisibile apprehensionis, & discursus, necnon volitionis, quæ sunt operationes specie diuersæ: ergo rectè potest dari vnum principium commune sensationibus & intellectibus, quantumvis hæc specie differant. Dices operationes illas, quibus datur principium commune, nunquam separari in principio productiuo, secus sensationes, & intellectiones, quia datur animal potens sentire & non potens intelligere. Contrà: separatio arguit tantum distinctionem in his in quibus reperitur: ergo etiam si sensitiuum animalis non rationalis, v.g. sensitiuum equi distinguatur à rationali, à quo separatur, non inferatur sensitiuum hominis distinguere à rationali à quo nunquā separatur, sicuti virtus productiua caloris in igne, & virtus productiua frigiditatis in aqua, in quibus hæc virtutes separantur, realiter distinguuntur; in Deo autem potente producere calorem, & frigiditatem, in quo hæc potentie non separantur, nullo modo distinguuntur, sed eadem omnipotentia indiuisibiliter sumpta est virtus productiua caloris & frigiditatis.

11 Vltimò à priori probatur conclusio: Tota hæc abstractio generum, & specierum, & tota prædicatorum acolutia rectè componitur absque vlla distinctione reali inter prædicata, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur præcisè per distinctionem nostri intellectus apprehendentis instar vnius, quæ in re sunt plura, & instar plurium, quæ in re sunt vnum: ergo ex hac abstractione, & prædicatorum serie nulla inferitur distinctio realis in prædicatis, quæ in eodem indiuiduo reperiuntur, sed illi per distinctionem rationis sufficienter prouisum erit: ponitur ergo absque vilo fundamento hæc rationis distinctio. Consequentia optima est, quia tota ratio distinguendi hæc prædicata desumpta fuit ex nostro modo loquendi, & concipiendi rationes superiores, & inferiores, hanc genericam, & illam specificam, &c. Antecedens probatur: ex eo præcisè quod idem principium indiuisibile realiter producat operationes inter se specie distinctas, sufficiens fundamentum habet intellectus ut concipiat principium harum operationum, ut distinctum à principio illarum, & ut in principio reali realiter vno apprehendat vnum principium formale harum operationum, & aliud principium formale illarum. Similiter ex eo quod intellectus cognoscat in hac entitate principium harum operationum, & in illa principium operationum valde simile, etsi in re principia sint valde distincta, fundamentum habet ut apprehendat hæc principia ex parte obiecti distincta instar vnius communis vtriue entitati: ergo necessum non est reperiri in ipso obiecto aliqua realis distinctio horum prædicatorum, ut tota series prædicatorum supremi generis, generum intermediorum, speciei infimæ, & vltimi indiuidui subsistat, & ut per differentias contrahentes rationes genericas à supremo genere vsque ad infimum indiuiduum descendat, & ut per abstractiones rationum similium factas per intellectum ab infimis indiuiduis ad supremum vsque genus ascendat.

12 Obiiciunt primò Scotistæ: vbi cumque est compositio, est distinctio extremorum componentium, sed in specie est compositio ex genere, & differentia, quibus componitur: ergo in specie est distinctio generis, & differentie tanquam extremorum componentium. Respondeo concedendo maiorem sumpta compositione, & distinctione in eodè ordine, hoc est sumpta distinctione reali extremorum quando

quando compositio est realis, & sumpta distinctione rationis quando compositio est tantum per rationem, quia ad compositionem per rationem factam sufficit extrema per rationem distincta, & necessum non est extrema realiter distinguere: deinde distinguo minorem: in specie datur compositio ex genere, & differentia: realis compositio, nego minorem; per rationem, transeat minor: ergo datur distinctio prædicatorum, distinguo consequens: datur distinctio realis, nego consequentia: datur distinctio rationis, concedo consequentia. Non absolute concessi in specie dari compositionem per rationem, sed hoc omni, quia ad rem non attinet, & absolute verum non est, quia species formaliter sumpta est vnus simplex conceptus nullam compositionem intrinsecè inuoluens, sed tantum extrinsecè de quo in Log. Contr. 6. Punct. 2. n. 4. Placet hic contra Scotistas notare non consequenter procedere, nonnullos qui afferunt speciem realiter componi ex genere & differentia propter distinctionem formalem, quæ reperitur inter prædicatū animalis, & negant dari in Deo reale compositionem essentialis & atributionum, etiam hæc ab essentiali ex natura rei formaliter distinguuntur, quia non distinguuntur realiter, si enim distinctio illa formaliter sufficiens est in specie ad realem compositionem, cur eadem distinctio formalis ad similem compositionem in Deo sufficiens non erit.

13 Obiic. secundò: Animal, & rationale diuersis definitionibus essentialibus definiuntur: ergo habet diuersas essentialias: ergo distinguuntur ante operationem intellectus. Si ageremus de definitionibus, quibus definiuntur ratio communis animalis, & ratio communis rationalis, difficile non esset non solum definitiones, sed etiam definita realiter inadæquate distinguere, quia definitio animalis non tantum se extendit ad animal hominis, sed ad animal equi, quod distinguitur à rationali, & ita definita harum definitionum distinguuntur realiter tanquam includens, & inclusum, definitum enim definitionis animalis dicit animal identificatū cum rationali, quod est adæquatū definitū definitionis rationalis, & insuper dicit reliqua animalia identificata cum aliis differentiis inanimabilis, rugibilis, &c. Ceterum necesse non est ad hanc materiam attinere potest reperiri, quia actio educitua, & passio adæquate conuertuntur absque distinctione actionis à passione, & nihilominus diuersis definitionibus definiuntur. Resp. ergo eandem entitatem physicā posse diuersis definitionibus etiam essentialibus definiri, & per diuersos conceptus essentialia explicari, qui omnes eandem essentialiam physicā importat, significatā in ordine ad diuersā connotatā: physicè enim esse actū huius in hoc, quod est formalitas actionis, & actū huius ab hoc, qui est formalitas passionis in re est omnino idē explicatum per ordinē ad connotatā diuerso modo se habentia: ideo concedendū non est entitatē definitā duplici definitione essentiali, habere duplicem essentialiam, seu vnā duplici modo explicatā, quia vtraque definitio ex parte conceptus obiectiui directi, & ex parte definiti in nullo differunt, sed tantum in connotatis diuersis, vel in diuerso modo significandi eadem connotata, sicuti differunt acclue, & decliue.

14 Obiic. tertio Scotista: Animal formaliter vt animal non est rationale; neque rationale formaliter vt rationale est animal: ergo formalitas animalis excludit formalitatem rationalem, & formalitas rationalis excludit formalitatem animalis: ergo distinguuntur hæc formalitates: non realiter: ergo ex natura rei. Resp. ante intellectus operationem animal & rationale omni modo esse omnino idē absque vlla distinctione realitatis, & formalitatis: cum autē dicimus rationale vt rationale non esse formaliter animal, seu excludere rationem formalem animalis, loquimur secundum nostros conceptus, in ordine ad quos tantū datur hæc distinctio formalis, quia rationale vt rationale formaliter non esse animal tantū dicit entitatem physicā, quæ à parte rei indiuisibiliter est animal, & rationale, cognosci diuersis conceptibus formalibus, & in ordine ad diuersas operationes, quando dicimus cognosci vt rationale, & aliis diuersis quando vt animal dicimus cognosci. Itaque animal vt animal & rationale vt rationale distinguuntur ex parte actus, quibus cognoscuntur, & ex parte obiectorum quæ oblique eisdem actibus tanguntur, quia rationale vt rationale dicit entitatem hominis connotatis rationantibus, & animal cum illo identificatū formaliter vt animal, dicit eandem omnino entitatem absque vlla distinctione ex parte obiecti connotatis sensationibus, quæ à rationationibus realiter distinguuntur. Dixi animal identificatū cum rationali, quia animal vt sic dicit animal hominē, equi, & leonis, &c. quod inadæquate distinguitur ab hominē, quia præter hominē seu rationale identificatū

cum animali hominis dicit inanimabile, cum quo identificatur anim. equi, & rugibile cum quo identificatur anim. leonis, &c.

Obiiciunt quartò. Actus vitalis supernaturalis titulo vitalitatis exigit principium vitale, & non exigit ex hoc titulo principium supernaturale: Idem actus titulo supernaturalitatis exigit principium supernaturale, & non exigit principium vitale: sed non potest ex eodem capite nullo modo distincto non petere eadem principia: ergo in hoc distinguuntur vitalitas, & supernaturalitas: si enim vitalitas, & supernaturalitas essent idem, id quod exigeret actus titulo vitalitatis, exigeret titulo supernaturalitatis: sed titulo vitalitatis exigit principium vitale: ergo titulo supernaturalitatis exigeret principium vitale: ergo actus titulo supernaturalitatis exigeret, & non exigeret principium vitale. Idē dictio de ratione vitalitatis respectu principij supernaturalis, quod exigeret. Distinguntur ergo in actu, ratio supernaturalitatis, & ratio vitalitatis saltem ex natura rei. Resp. hunc actū vitale supernaturalē ratione supernaturalitatis, quam in se habet physicè exigere omnia principia, quæ exigere dicitur titulo supernaturalitatis, & titulo vitalitatis, & alio quocumque titulo sibi intrinsecò, quæ eadem principia omnia simul indiuisibiliter sumpta physicè exigit ratione vitalitatis, & ratione cuiusvis prædicati, quod in se continet, quia physicè omnia prædicata, quæ sunt in actu, illorum quodlibet ab eisdem principijs indiuisibiliter sumptis dependent, neque prædicatū aliquod actus connexionem aliquam habet cum aliquo principio, quam eandem omnino physicè non habeant reliqua prædicata. Nihilominus dicimus actum vitalem supernaturalē, titulo vitalitatis non exigere principium supernaturale, quia potest dari alius actus non supernaturalis vitalis, in quo contemplatur vitalitatem eiusdem speciei cum illa, quæ est in hoc actu, quæ non dependet à principio supernaturali. Ex quo fundamentū desumimus ad dicendū actum titulo vitalitatis præcisè non exigere principium supernaturale, & exigere principium vitale, quia non solum vitalitas huius actus, sed nequylla alia poterit reperiri in aliquo actu, quæ non dependet à principio vitali, eo enim ipso quod actus sit vitalis, quicquid ille sit, debet à principio vitali dependere. Eadē ratione dicitur de actu supernaturali vitalitudo supernaturalitatis exigere principium supernaturale, & non vitale, quia potest reperiri, & de facto reperitur in alio effectu supernaturalitatis eiusdem speciei cum illa, quæ est in actu, quæ non supponat principium vitale, & non potest reperiri in aliquo effectu supernaturalitatis aliqua, quæ principium supernaturale non supponat.

Obiiciunt quintò: Vbi est separatio, distinctione intercedere necesse est: sed animal separatur aliquando à rationali: ergo ab illo distinguitur. Probatur antecedens: animal quod est in equo separatur à rationali, & deficiente omni rationali potest permanere animal, quod est in equo: ergo animal distinguitur à rationali. Resp. illa extrema distinguere quæ inter se separantur, & ita animal equi, quod separatur à rationali distinguatur ab illo, non verò animal hominis, quia hoc neque separatur, neque separari potest à rationali.

Obiic. sexto: Ratio animalis in homine est ratio conueniendi cum equo, ratio rationalis est ratio disconueniendi: eadem ratio non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi respectu eiusdem termini: ergo ratio animalis & ratio rationalis realiter distinguuntur. Resp. prædicatū animalis in homine tantum fundare conuenientiam per rationem cum equo, non reale, seu physicā, quia realiter, & physicè homo, & equus in nullo conueniunt, sed sunt penitus diuersi. Similiter ratione tantum fundat disconuenientiam, hoc est differentiam prædicati, in quo aliqua fuerat conuenientia per rationem, quia talis est differentia qualis est conuenientia: physicè autem homo secundum se totus, & secundum prædicatū animalis, & rationalis physicè sumpta, totus est ab equo diuersus. Ex hoc conuenientiam, & disconuenientiam, quam fundant prædicatū animalis, & rationalis sufficere animal, & rationale per rationem distinguere, quia ad hoc vt diuersa prædicata per rationem conueniant diuersis entitatibus, sufficiens est hæc entitates per rationem distinguere, & necessum non est in his entitatibus distinctionem reale reperiri. Ad argumentum in forma distinguo maiorem: Animal in homine est ratio conueniendi cum equo, & rationale est ratio disconueniendi cum equo: conueniendi, & disconueniendi realiter, nego: conueniendi, & disconueniendi per rationem, concedo. Sed idē non potest esse ratio conueniendi, & disconueniendi, distinguo eodē modo: conueniendi, & disconueniendi realiter concedo minorem: conue

conueniendi, & disconueniendi per rationem, subdistinguo; idem re, & ratione concedo: idem re & ratione distinctum, nego minorem: ergo animal, & rationale distinguuntur: realiter nego consequentiam; per rationem, concedo consequentiam.

Obiiciunt septimò Scotistæ: Animal in homine fundat realem similitudinem cum equo, & rationale in eodem homine fundat realem dissimilitudinem cum eodem equo: sed idem respectu eiusdem non potest fundare realem similitudinem, & realem dissimilitudinem respectu eiusdem: ergo animal, & rationale realiter distinguuntur. Nonnulli respondent hominem secundum se non esse similem, aut dissimilem equo, sed ratione operationum, quas habet, quibus immediatè similitudo, aut dissimilitudo conuenit. Ex quo fit hominem, & equum habentes plures operationes distinctas posse habere quasdam inter se similes, v.g. sensationes, quæ in homine, & equo similes sunt, & alias operationes proprias vniuersaliumque speciei, quæ inter se sunt valde dissimiles, sicuti sunt actus ratiocinandi in homine, & hinniendi in equo. Contendunt alij similitudinem, & dissimilitudinem immediatè competere substantiis, quia homo secundum se similis est equo, in hoc quod est posse sentire, & dissimilis in hoc quod est posse ratiocinari. In hac re tantum potest esse controversia de nomine in qua certum esse debet similitudinem, & dissimilitudinem semper dicere tanquam rationem fundandi accidentia, quod omnes affirmant cum Aristotele dicente, similitudinem, & dissimilitudinem fundari in qualitate, & æqualitate, & in æqualitate in quantitate, siue hæ relationes immediatè denominent accidentia, in quibus fundantur, siue etiam hanc denominationem, ipsis substantiis immediatè impertiantur, de quo non curo. Respondeo independentè à quacumque sententia eundem hominem per ordinem ad has operationes, quas continet eiusdem rationis cum aliis operationibus, quæ sunt in equo, posse physicè secundum totam physicam entitatem dici similem equo, & eundem hominem secundum eandem physicam entitatem, physicè indiuisibiliter sumptam posse esse dissimilem equo in ordine ad alias operationes, quibus alie eiusdem rationis in equo non correspondent, quia sicut idem homo secundum eandem rationem physicam physicè indiuisibiliter sumptam potest esse principium operationum similium aliis equi operationibus, v.g. sensationum; & principium operationum dissimilium omnibus equi operationibus, v.g. intellectuum, sic potest in ordine ad has dici dissimilis, & similis in ordine ad illas. Quod si similitudo, & dissimilitudo opponantur, non ideo sub quacumque ratione repugnant in eodem subiecto in ordine ad eundem terminum, quando sumuntur in ordine ad distinctas operationes. Addit Arriaga tantum opponi omnimodam similitudinem cum quacumque dissimilitudine, non verò aliqualem similitudinem, cum aliqua dissimilitudine, sicuti non opponitur calor non summus cum frigidityte non summa; componuntur enim calor ut quatuor cum frigidityte ut quatuor in eodem subiecto existente, licet non componatur summus calor cum aliquo frigiditytis gradu: sic in homine accidere ait Arriaga, qui non est summè similis equo, sed aliquo modo similis, cum quo componi potest aliqua dissimilitudo, quæ tantum dicit hominem non esse summè similem, sicuti componuntur in eodem subiecto lux ut quatuor, & tenebræ ut quatuor, id est priuatio quatuor graduum lucis, licet non possit componi subiectum summè lucidum cum aliqua lucis priuatione. Nonnihil doctrina rem explicat, verumtamen non ex illa præcisè potest prædicta difficultas satisfieri, quia in subiecto calido ut quatuor, & frigido ut quatuor, dantur calor & frigiditytas qualitates distinctæ, à quibus subiectum frigidum, & calidum denominatur, & non potest idem subiectum secundum eandem formam ab alia indistincta constitui secundum quid calidum, & secundum quid frigidum. In præsentem autem secundum opinionem, quæ relationes non distinguit à fundamento, & termino, videtur concedi idem subiectum secundum eandem formam indiuisibilem constitui simile, & dissimile, si animal, ratione cuius homo est similis, & rationale ratione cuius est dissimilis, inter se non distinguuntur. Standum ergo est priori solutioni & dicendum eandem entitatem respectu eiusdem termini dici similem in ordine ad aliquas operationes, quas in se continet, & dissimilem in ordine ad alias operationes, quia semper simili-

tudo, & dissimilitudo in ordine ad operationes tanquam ad rationes fundadi desumitur, præcisè enim operationibus, & accidentibus, similitudo in substantiis non reperitur.

PUNCTUM IV.

De distinctione virtuali in ordine ad prædicata contradiçtoria.

§. I.

Explicatur virtualis distinctio.

Non agimus de distinctione fundamentali in ordine ad ens rationis, quam nonnulli virtuales appellant, ex vi cuius intellectus fundamentum desumit ad singendam distinctionem rationis inter prædicata realiter identificata, sed de distinctione virtuali reali in ordine ad prædicata opposita, & contradiçtentia. Scopum difficultatis explico. Rem virtualiter, aut eminenter esse aliquid non est formaliter esse tale, sed continere proprietates, & virtutes, quas continet aliud, ita ut possit idem præstare, quod præstat aliud, aut quod præstaret, si esset formaliter tale. In hoc sensu dicimus pecunias esse quodammodo omnia, quia omnia quæ possunt aliis comparari pecuniis acquiri possunt. In eodem sensu dicimus sensum internum esse eminenter omnes externos, quia omnia obiecta quæ pluribus externis sensibus percipimus, vno interno attingimus, dicimus etiam Solem, & alias causas vniuersales eminenter esse ignem, & alias causas particulares, quia id potest præstare vnus Sol vniuersalis causa, quod plures particulares possunt efficere. In hoc sensu virtualiter esse distinctum non erit distinctionem in se habere, sicuti Solem esse virtualiter ignem non dicit in se continere essentiam ignis, sed id posse præstare sine distinctione reali, quod virtute distinctionis, quam in se habent, præstant alie entitates, ita ut in ordine ad illa, quæ distinctionem consequuntur, non desideretur distinctio formalis vera, & realis in tali entitatè, etiam si nulla ratione in ipsa reperitur, sed summa identitas, sicuti non desideratur in Sole natura ignis in ordine ad producendum calorem, quem posset producere, si formaliter natura ignis haberet, quia etiam illam non habeat, eundem calorem potest Sol producere per suam naturam, etiam si realiter non sit ignis, quem posset producere, si esset ignis. Dicimus ergo distincta virtualiter illa extrema, quæ in re nullam habeant distinctionem, sed realiter omnino sunt idem, præstant tamen idem quod præstarent si realiter essent distincta.

Catèrum hæc virtualis distinctio potest considerari in ordine ad effectus ad extrà productos, & intrinsecè in ordine ad illa quæ de eadem entitate prædicantur, & quæ ex se independentè ab hac virtuali distinctione sine contradictione non possunt eidem entitati conuenire, sicuti sunt communicari, & non communicari, produci, & non produci, & alia huiusmodi. Distinctionem virtuales in ordine ad plures effectus ad extrà productos ab eadem indiuisibili entitate, qui ab aliis causis distinctis producuntur, monstrant exempla adducta ex causis vniuersalibus, quarum vna simplex & indistincta producit omnes effectus, quos alie causæ realiter distinctæ producunt, & quos non vna tantum particularis causa sine consortio aliis particularis à se distinctæ posset producere. Difficultas est de distinctione in ordine ad prædicata, quæ ex se dicunt contradictionem, & ratione huius virtualis distinctionis in eadem entitate possunt reperiri absque vlla repugnantia, ita ut illa prædicata ex se contradiçtentia ratione subiecti quasi exuant contradiçtionem, & absque illa in eadem confluant entitatem.

§. II.

Quid de hac distinctione virtuali sentiendum sit in diuinis: ubi illius natura magis explicatur.

Distinctionem hanc virtuales cum summa identitate in Deo constituunt doctissimi, & grauissimi Theologi: illam expressè docet Caietan. 1. parte, q. 32. art. 1. §. 46.

S. ad evidentiam, & S. ad secundum, cuius hæc sunt verba: Ad secundum verò dicitur quod præceptor non intelligit essentiam, & paternitatem ut duo obiecta formalia secundum se, sed ut unum formaliter, & multa virtualiter. Eandem tradit P. Valentia 1. p. disp. 22. punct. 1. S. est autem observandum, & q. 13. punct. S. ad confirmationem respondetur, & sæpe alibi: P. Molina q. 28. art. 5. disp. 3. concl. 3. P. Her. disp. 2. cap. 3. n. 18. & disp. 12. c. 2. n. 4. P. Zuniga disp. 2. dub. 4. membr. 1. P. Tanner disp. 4. de Trinit. q. 1. dub. 5. n. 23. & disp. 2. q. 2. dub. 3. P. Arrub. disp. 100. cap. 3. n. 17. P. Hurtad. hic disp. 6. sect. 3. P. Arriaga disp. 5. de Logica, sect. 4. subsect. 2. M. Albiz. disp. 3. sect. 9. & latè Agid. de Præsent. lib. 5. de beatitudine, q. 5. art. 6. S. 2. n. 14. & S. 3. & 4. his subscribunt ferè omnes politiores, & acutiores recentes. P. Granad. 1. p. tract. 3. disp. 5. sect. 3. & tractat. 5. disp. 5. c. 7. hanc distinctionem impugnât, & P. Alarcon. Luisius Tur. part. 1. select. disputat. Centuriâ 4. dub. 35. gravissimâ censurâ dignam esse opinionem defendentem hanc distinctionem virtualement nimis seuerè censet.

4 Ex triplici cap. potest argui contra auctores videntes hanc distinctionem virtualement in Deo ad defendendum mysterium Trinitatis, actus liberos Dei quâ respondere prætendunt omnibus argumentis, quæ in his materiis occurrunt. Si enim illis obiciatur: Essentia communicatur: Paternitas non communicatur: Essentia, & Paternitas sunt idem: ergo communicatur, & non communicatur. Respondent distinguendo maiorem: Essentia, & paternitas sunt idem formaliter, & distinctæ virtualiter, concedo minorem: sunt idem formaliter, non distinctæ virtualiter, nego minorem; & eodem modo consequenti distinctio asserunt absque vlla contradictione posse essentiam, & Paternitatem communicari, & non communicari non obstante identitate formali, ratione distinctionis virtualis, quia ex vi huius essentia, & paternitas cum summa identitate reali, & absque vlla distinctione formali habent in ordine ad hoc quod est communicari, & non communicari, eandem capacitatem, quam haberent in ordine ad eadem prædicata, si in re realiter essent distinctæ; & sicuti posita distinctione reali formali, quæ tantum est vera distinctio, inter essentiam & paternitatem, absque vlla contradictione posset essentia communicari, & Paternitas non communicari, sic nulla data distinctione formali de facto, ratione tantum huius distinctionis virtualis, seu eminentialis, quæ in re distinctio non est, sed tantum cum addito distinctio dicitur, potest essentia communicari, & Paternitas non communicari. Hi ergo ex triplici capite possunt impugnari. Primo si contra illos probetur non dari conceptum illum, quem distinctionem virtualement appellant. Secundo probando conceptum illum, etiam si datur, non esse distinctionem virtualement appellandum. Tertio, admissio conceptu, & nomine distinctionis virtualis possunt impugnari, ex eo quod hæc distinctio virtualis rem non explicet, sed æquè obscurum mysterium Trinitatis, ad quod explicandum præcipuè inuenta est, & omnino integra omnia argumenta quæ contra prædictum mysterium, & constitutum decreti liberi Dei relinquant, nihilque noui neque lucis, sed distinctis verbis obscurius tradat, quod omnes Catholici fatentur, & ideo solum difficilius impugnetur, quia non ab omnibus percipitur.

5 In primis contendendum non est an conceptus ex parte obiecti assignatus ab his authoribus appellandus sit distinctio virtualis, quia hoc esset de nomine contendere, & congruè satis conceptus ille, si admittendus sit virtualis poterit appellari distinctio, quia est distinctionis æquiualentia, & id quod alij æquiuale tale virtualiter dici solet.

6 Secundo est mihi certum, conceptum illum, quem isti auctores distinctionem virtualement appellant in Deo esse concedendum, existimo enim distinctionem virtualement, quæ ponitur in Deo in ordine ad hoc quod est essentiam communicari, & Paternitatem non communicari, Filiationem produci, & essentiam non produci in re non aliud, ad huc formaliter importare, quod Catholice omnes in Trinitatis mysterio consentiunt, & eadem ratione distinctionem virtualement in ordine ad cognoscendum, vel non cognoscendum scientiâ visionis, amandum, vel non amandum idem subiectum absque vlla distinctione reali, neque physicâ variatione, casu, quo obiectum cognoscatur, vel non cognoscatur scientiâ visionis; ametur, vel non ametur, tantum importare simplicitatem Dei, ex vi cuius absque vilo superaddito, & amat obiecta, & libertatem ex vi cuius

potuit non velle producere, ea quæ producere voluit, & velle producere illa, quæ noluit producere; Admittendum esse conceptum illum, quem isti auctores distinctionem virtualement appellant, sic probatur: Vna, & simplicissima entitas distincta realiter actu: ergo simplicissima entitas Dei realiter indistincta æquiuale duplici entitati realiter distinctæ. Consequentiam negare non potes, si velis de nomine tantum contendere. Sic illam corroborat: æquiuale alij est valere quod valet illud aliud: ergo eo ipso quod vna simplicissima entitas Dei, præter id, quod præstat duplex entitas quod est valere, quod duplex entitas, æquiualebit duplici entitati. Iam primum antecedens efficaciter probatur: entitatem esse intrinsecè realiter identicam cum aliquo, & ab eodem distinguui, realiter produci, & realiter non produci, realiter communicari, & realiter non communicari in creatis euidenter distinctionem arguunt, & seculo Deo non possunt duo ex his extremis oppositis nisi duobus entitatibus realiter distinctis conuenire, si enim admittatur posse creaturam produci secundum hanc entitatem, & non produci secundum aliam cum ipsa identificata, tota eueritur Philosophia, & vis illius argumentationis destruitur: sed fide certum est essentiam diuinam communicari, & Paternitatem non communicari: Filiationem produci, & essentiam non produci, & essentiam non distinguui à paternitate neque à filiatione: ergo fide certum est vnam simplicissimam entitatem Dei posse habere in se prædicata, quæ ratione naturali euidenter cognoscimus non posse extra Deum reperiri nisi in creaturis realiter distinctis: ergo fide certum est vnam simplicissimam entitatem Dei valere quoad hæc prædicata produci, & non produci, communicari, & non communicari, id quod valet duplex entitas creata, quibus tantum, & nulli simplici extra Deum, absque contradictione possunt hæc prædicata conuenire, vnum vni creature, & aliud oppositum creature alteri, ab alia cui aliud conuenit prædicatum, distinctæ: ergo fide certum est Deum valere ad habenda in se prædicata intrinsecè, quæ in creaturis arguunt realem distinctionem duplicis entitatis: ergo certum est æquiuale in ordine ad hæc prædicata duplici entitati distinctæ, etiam si in se formalissimè sit vna simplex entitas.

7 Conceptum obiectiuum distinctionis virtualis sic explicatum, existimo Catholice à nullo posse negari (dico non posse negari conceptum distinctionis virtualis, hoc est prædicatum obiectiuum, quod auctores distinctionem virtualement appellant, quia potest quis admissio hoc conceptum asserere non dari distinctionem virtualement, quia conceptus virtualis distinctio non est dicendus, qui tantum de nomine contenderet, quia conceptus ille tantum exprimit id, quod omnes Catholice credimus, & fide reuelatum est, videlicet entitatem diuinam tantæ esse virtutis, & perfectionis, ut non obstante identitate inter essentiam, & relationem, quæ obfaret in quacumque entitate distincta à Deo ut possit essentia communicari, & relatio non communicari, & sic de aliis prædicatis oppositis. Itaque duo dicit hæc virtualis distinctio vnum de fide, & aliud lumine nature notum, videlicet identitatem inter essentiam, & Paternitatem non obfata ut essentia communicetur, & Paternitas non communicetur: hoc fide certum est. Dicit insuper identitatem in quacumque entitate extra Deum obfata ut eadem communicetur, & non communicetur, producat, & non producat, quæ prædicata in rebus creatis euidenter arguunt distinctionem realem, quod nature lumine certum est, ex quibus discretè inferunt auctores distinctionis virtualis valere entitatem simplicissimam Dei ad id, quod tantum extra Deum potest valere duplex entitas distincta, quod est æquiuale duplici entitati distinctæ, & rectè dicitur distinguui æquiuale, seu virtualiter, quod enim valet ad id, quod aliud præstat, rectè virtualiter seu æquiuale dicitur illud aliud, est formaliter tale non sit.

8 Hic est conceptus obiectiuus distinctionis virtualis, quem tradunt omnes Doctores, qui illam propugnant, & doctissimi Magistri è nostris elucidant, in quem si rectè expendatur nihil momenti potest adduci, nihil enim in illo continetur, quod fide diuina reuelatum, aut nature lumine compertum non sit, tantum abest à censurâ, quam non nimis maturè contra sententiam hanc pronuncians Torres, à qua etiam ipse longè abesset, si expendisset, quid

quid nomine distinctionis virtualis Doctores intelligant, & à quibus Doctoribus distinctio hæc virtualis propugnatur.

10 Longè facilius poterit quis ex tertio capite distinctionem hanc virtualem impetere, contēdendo distinctionem in re admittendam eandem omnino difficultatem continere, ac ipsum mysterium, & nullam huic lucem dare, & omnia argumenta æquè insoluta; ac difficilia manere hac distinctione virtuali admittā, ac essent sine illa; seu eidem omnino argumentis impugnari distinctionem virtualem, quibus impugnatur ipsum mysterium, & æquè difficile ac istud illam propugnari, quod sic suadeo. Distinctio virtualis in Deo importat æquivalere Deum in ordine ad hæc prædicata communicari, & non communicari duplici entitati distinctæ, quod formaliter dicit posse habere in se summè simplici hæc duo prædicata communicari, & non communicari, produci, & non produci, communicari ratione essentie, non communicari ratione relationis identificate cum essentia, produci ratione filiationis, non produci ratione essentie identificate cum filiatione, quæ in quacunque alia entitate simplici dicerent contradictionem, ergo distinctio virtualis dicit posse Deo convenire hos conceptus communicari, & non communicari, qui ex se sunt contradictorii; in quo est tota mysterij difficultas, eadem omnino in hac distinctione virtuali, ac in ipso mysterio. Urgeo: Dari hanc distinctionem virtualem est Deum esse talis naturæ ut ipsi eidem omnino simplici possint convenire hi duo conceptus communicari, & non communicari. Sed hi duo conceptus sunt contradictorii: ergo dari hanc distinctionem virtualem in Deo dicit Deum esse talis naturæ ut ipsi possint convenire duo conceptus contradictorii, quod horret metaphysica, & natura lumen.

11 Fateri ergo in re parum, vel nihil lucis addi ex hac virtuali distinctione obscuritati mysterij, & æquè difficile obici intellectui rem attentè contemplati, ac ipsum mysterium, nihilominus credo, hac distinctione posita expeditoribus terminis, quibus fieri potest summam mysterij difficultatem tractari, & aptioribus ad infringendam vim syllogisticam omnium argumentorum, quæ contra hoc mysterium inficiuntur, quibus fateor ego mysterium ipsum ex parte obiecti significari conceptibus tamen formalibus, quibus, etsi idem significet, melius tamen aliis idem obiectum significantibus rem ut fieri potest expriment, & vim argumentorum infringunt, quibus secundum alios dicendi modos non ita dici potest satisfieri. Ad confirmationem Respondeo hanc distinctionem virtualem non dicere, posse Deo competere duo prædicata contradictoria, quod horret Metaphysica, sed posse illi competere duo prædicata, quæ respectu aliis entitatis simplicis distinctæ à Deo essent contradictoria, quin in ipso Deo contradictoria sint, & optimè composibilia ratione huius distinctionis virtualis, quia communicari, & non communicari, produci, & non produci, & sic quicumque alij termini cum affirmatione, & negatione propositi nullam dicunt contradictionem, nisi sint eiusdem de eodem indistincto, & non sufficit ad contradictionem esse de eodem indistincto formaliter, sed etiam de eodem indistincto, seu non distincto virtualiter, seu æquivalenter in ordine ad prædicata, quæ affirmatiue, & negatiue epuntiantur. Ex quo fit communicari respectu essentie, & non communicari respectu Paternitatis, Filiationem produci, & essentiam non produci, & esse contradictoria, quia licet essentia, & Paternitas, & essentia, & Filiatio sint idem formaliter, & dicant unam simplicissimam entitatem, affirmatio communicationis de essentia, & negatio communicationis de Paternitate non sunt de obiecto non distincto virtualiter, seu æquivalenter, etsi sint de eodem obiecto simplicissimo nullam includente mixturam distinctionis formalis, quæ sola est vera distinctio, distinctio enim virtualis, seu æquivalens, ut sæpe dixi, distinctio non est, sed quid æquivalens distinctioni, sicuti Sol, qui virtualiter est ignis, non est simpliciter, & sine addito ignis potius prædicata essentialia illius opponuntur cum prædicatis essentialibus ignis, sic essentia, & Paternitas, quæ virtualiter distinguuntur non possunt dici absolute distingui, neque in se formalem, seu propriam distinctionem habere, potius sunt una simplicissima entitas, cuius simplicitas essentialiter opponitur cum distinctione reali, quæ formaliter, & propriè distinctio sit.

12 Si roges unde hæc distinctio eminentialis, seu virtualis innoscat. Respondeo nobis innoscescere, & à posteriori ex ipso Trinitatis mysterio, à priori ex infinitate Dei illius non repugnantia agnoscere, non enim repugnat simplicissimam entitatem infinitam tantum valere quantum valet duplex finita. Non levis poterat esse disputatio an hæc distinctio virtualis admittenda sit in diuinis respectu notionalium tantum, an etiam respectu essentialium, sed hæc non ad nostrum attinet institutum, cuius tantum est naturam huius distinctionis explicare, & definire admittenda sit necne respectu verò quarum formalitatum in diuinis sit admittenda, pertinet ad Theologum, qui de singulis attributis, & proprietatibus diuinis disputat. Vnum in hac re affirmo distinctionem hanc virtualem admittendam non esse in aliis formalitatibus præter illas, in quibus necessaria est ad aliquam veritatem defendendam, à qua illasā fide recedere non possumus. Hæc dixerim de distinctione virtuali in diuinis non animo definendi, an admittenda sit necne, sed explicandi quid importet hæc distinctio virtualis, quæ multis admodum fuit inuisa, forsitan, quia distinctionis nomine perterit, quid sub illo lateret non attentè inspicere.

§. III.

Quid sentiendum sit de hac distinctione virtuali in creatis.

13 Semel, iterum, atque iterum seuerè reprehendēdi sunt auctores, qui ex his quæ in Deo fide revelante credimus, quæ tantum infinita Dei Optimi Maximi perfectione possunt componi, argumentum faciunt ad alia similia in creaturis confingenda, quasi ad omnia creatura valerent extendi, quæ suprema Dei perfectione penetrari, & longè excedi possunt, vel quasi una, eademque iusta esset mensura Dei Optimi Maximi per essentia vnicè infiniti, & creaturæ finitæ & limitatæ, cuius perfectionis momēta in finitè distant ab illa interminabili perfectione, quam diuina essentia, illius quodlibet attributum, & quidquid in Deo, omnia eadem cum ipsa diuina essentia in vno simplicissimo Deo mirè replent. Huius criminis rei sunt nonnulli, qui distinctionem virtualem supra explicatam diuina humanis confundentes ad creaturas transfudere, & hac ratione defendere præsumunt posse animam rationalem vniri materiæ quatenus sensitiuam, & non quatenus rationalem, sicuti Verbum vnitur immediatè naturæ humanæ secundum substantiam, & non immediatè secundum essentiam, & posse fundamentum relationis referri per suamet entitatem, etiam si indifferens sit, ut referatur, & non referatur, sicuti Deus per suamet entitatem amat obiectum, ad quod amandum & non amandum antecederet fuit indifferens, asseruntque hæc omnia optimè componi hac virtuali distinctione. Hic discurrēdi modus semper mihi valde fuit exosus, quem alienum iudico ab ingenio Philosopho, viroque indagandæ veritatis amico, euerit enim totam Philosophiam, & res purè naturales æquè difficile, & obscurè explicat ac Trinitatis mysterium, & illa, quæ intra Deum mens creata in hac vita vix & non nisi per ænigmata valet apprehendere. Denique tenentur hi asserere eandem facilitatem, difficultatemve respectu intellectus creati subire Trinitatis mysterium, & reliqua omnia creata, quæ cum hac distinctione virtuali in creatis componuntur. Cur ergo irridendus non est, qui dicat eandem facilitate, aut difficultate defendi Trinitatis mysterium, & vnionem animi rationalis ad materiam, seu rationem æqualitatis huius quantitatis ad illam, aliudve huiusmodi creatum, ad quod defendendum vellet ex Deo ad creaturas hanc distinctionem transferre.

14 Rationem iam insinuatam expendo, quam robustissimam semper existimaui ad hanc distinctionem virtualem ut chimericam in creaturis expungendam. Hæc distinctio in quocunque reperiatur dicit posse prædicari sine contradictione, duo prædicata realia ex se opposita de eadem simplicissima entitate: sed tota difficultas mysterij Trinitatis in eo tantum consistit, quod possint de eadem simplicissima entitate sine contradictione dici hæc prædicata: ergo ubicumque ponatur hæc virtualis distinctio in ordine ad opposita prædicata, quæ tantum est virtualis distinctio, & de qua contendimus, ponitur tota difficultas, quæ reperitur in mysterio Trinitatis. Consequentia est legitima: maior

maior continet definitionem distinctionis virtualis de qua contendimus. Minorem facile quisque persuadebit. Tota difficultas mysterij Trinitatis in eo est, quod non obstante identitate relationum cum essentia, Paternitas non communicetur, & essentia communicetur; Filiatio producat, & essentia non producat; Paternitas distinguatur à Filiatione, & essentia identificata cum eadem Paternitate, non distinguatur à Filiatione, & in aliis huiusmodi prædicationibus ergo tota difficultas mysterij Trinitatis in eo sita est, quod possint duo prædicata ex se opposita absque vlla contradictione de hac simplicissima entitate enunciari: ergo quod in creatis defendatur dependenter à distinctione virtuali, æquè difficile defenditur ac Trinitatis mysterium, & sicuti de mysterio dicimus esse supra captum creaturæ quantumvis perfectæ non euectæ ad visionem beatificam, sic sentire debemus de alia quacunque veritate creata, quæ dependenter ab hac distinctione virtuali defendatur. Secundò ex eisdem principiis aliter infero: admissa distinctione virtuali, nulla superest adhuc apparens difficultas in Trinitatis mysterio, ut iam probavi, quia illa in se dicit totam difficultatem mysterij, videlicet posse de eadem entitate simplicissima absque contradictione dici prædicata esse opposita: ergo quicumque admittat hanc distinctionem in creatis, poterit admittere mysterium aliud creatum simile mysterio Trinitatis, seu aliam trinitatem creatam, in qua reperiatur natura communis tribus personis, quatum personalitates inter se distinguantur, & non distinguantur ab essentia, & quarum natura omnibus sit communis, & vniuscuiusque personalitas identificata cum essentia propria ipsius personæ, & cuiusque alij incommunicabilis. Consequens nullus admittet, neque poterit admittere, qui de Deo Optimo Max. Trino, & Vno dignè sentiat. Consequentia est mihi demonstratio, cuius vim aperte cognosces, si tibi fingas aliquem modò defendere dari creaturam trinam, & vnā, ea ratione, qua modò dicebam, & rationem aliquam quæras ad illum ab hoc errore remouendum: profectò nullum argumentum inuenies contra hominem istum, quod non hac distinctione virtuali retundatur, si enim illi obiciat: essentia est communis: ergo personalitas. Distinguet antecedens: identificatur formaliter, & non distinguitur virtualiter, nego identificatur formaliter, & distinguitur virtualiter, concedo: deinde negabit quam optimè consequentiam, quia sicuti in his, quæ formaliter distinguuntur, non valet consequentia; hoc est commune: ergo & illud; sic neque in his, quæ distinguuntur virtualiter, etsi identificentur realiter, quia distinctio virtualis est virtus ad præstandum cum simplicissima vnitate, id quod posset præstare duplex entitas formaliter distincta, & sicuti duplex entitas formaliter distincta potest communicari ratione vnus, & non communicari ratione alterius; sic duplex formalitas realiter identificata, & vna simplicissima entitas absque vlla distinctione formali virtualiter distincta posset communicari secundum vnā formalitatem, & non communicari secundum aliam absque vlla repugnantia, aut contradictione. Impugnandus ergo esset, qui assereret posse dari Trinitatem creatam, ex eo, quod repugnet creaturæ formaliter simplici absque vlla distinctione formali distinctio illa virtualis, ex vi cuius posset non obstante identitate formali omnium formalitatum, quas in se contineret communicari secundum vnā realiter, & intrinsecè, & non communicari secundum aliam, & alia huiusmodi intrinseca prædicata ex se contradictoria in se ipsa absque vlla contradictione admittere.

14. Robur accipit discursus iste, ex his, quæ distinctione virtuali in diuinis dixi §. præcedenti, constat enim ex ibi dictis prædictam hanc distinctionem in diuinis in ordine ad Trinitatis mysterium ex parte obiecti non distingui ab ipso mysterio, quod fide credimus, & eandem distinctionem in ordine ad hoc quod est Deum per suammet entitatem posse antecederet amare, & non amare obiectum absque aliquo superaddito, sed per eandem entitatem intrinsecè existentem omni modo inuariatam, casu quo amet obiectum, & casu quo illud non amet, si in ordine ad hos actus liberos ponenda est, non distingui ab infinita simplicitate Dei omnino immutabili, & à libertate ad amandum, & non amandum. Ex quo inferitur distinctionem virtuales in Deo adhuc formaliter non distingui ab his conceptibus obiectiuis, qui præcisè sumpti in Deo arguunt

infinitam perfectionem, sine qua non possint abij similes in creatura apprehendi. Arguit ergo hæc virtualis distinctio infinitam perfectionem, & ideo illam in creaturis admittere nefas est.

Secundò, si distinctio virtualis sit, nunquam possumus in forma syllogistica tute procedere, donec prius compertum nobis sit de quacunque entitate, an in se distinctionem hanc virtuales habeat, & ita poterit admitti maiori, & minori huius syllogismi in *Barbara* contradictione negari. Omne risibile est animal; omne rationale est risibile: ergo omne rationale est animal; quia poterit quis dicere medium identificari formaliter cum extremis, quæ identitas sufficiens est vt maior, & minor vera sit, & distingui ab illis virtualiter; quæ distinctio sufficiens est vt possit dici de medio identificari cum quocunque extremo v.g. cum animali, quin idem dicatur de risibili identificato cum ipso animali, & hac ratione posse identificari vni tertio, quin inter se identificentur, sicuti ratione huius virtualis distinctionis in diuinis contingit, non enim valet: Hæc essentia diuina est Paternitas; Filiatio est eademmet essentia diuina: ergo Filiatio est Paternitas; in quo syllogismo ratione distinctionis virtualis in opinione, quæ illam admittit, consequentia non tenet: ergo si similis distinctio virtualis admittatur inter risibile, quod est medium prioris syllogismi, & rationale, & animal quæ sunt extrema illius, consequentia legitima non erit. Occluditur ergo via omni disputationi admissa hac distinctione virtuali in creaturis, in quibus nihil poterimus inferre ex identitate illorum, poterit enim dici formalitibus realiter identificatis conuenire opposita prædicata ratione distinctionis virtualis, & postquam quis conueniens deduxit in syllogismo perfecto primæ figuræ ex præmissis iam concessis hac distinctione virtuali poterit eludi, & tunc nouam disputationem debet instituire ad probandum extrema realiter identificata virtualiter non distingui, quod nullo medio poterit probari, si semel admittatur hanc distinctionem virtuales esse possibilem.

16. Dixi admissa hac distinctione, viam occludi omni disputationi, vel omnem deuoluendam esse postquam consequens ex præmissis iam concessis esset legitime illatum, ad hanc distinctionem virtuales expungendam, & nos non posse in syllogistica forma tute procedere, si semel hanc distinctionem virtuales admittamus, quod haud inefficaciter probasse existimo, non tamen dixi destrui formam syllogisticam, quia admissa hac distinctione virtuali in creaturis, adhuc forma syllogistica maneret integra, quia ex vi huius tantum concluditur identificari inter se illa, quæ identificantur formaliter vni tertio, à quo non distinguuntur virtualiter, quod si deus medium creatum identificatum formaliter cum extremis, & distinctum ab illis virtualiter, ex identitate extremorum cum medio non inferetur ex vi formæ, identitas extremorum inter se & ita forma syllogistica manebit integra, & illæ. Hoc ita dicendum est ne cogamur asserere in diuinis formam syllogisticam deficere, quia syllogistica forma independentem ab hac, & illa materia in quacunque reperiatur legitime concludit, & omnia, quæ ex vi formæ syllogisticæ concluduntur ex apprehensione dispositionis terminorum euentia sunt metaphysicè, & nulli possunt subesse falsitati; ita nullo modo dicendum est formam syllogisticam in diuinis deficere, sed integram omnino permanere, quid enim forma syllogistica legitime concluditur, obiectum demonstrationis, seu obiectum demonstratum esse dicimus, & ita nihil potest neque in creatis, neque in diuinis forma syllogistica concludi, quod verum non sit, aliis obiectum non verum demonstrationi subefferet, & aliquid in diuinis daretur cuius contradictorium demonstraretur, quod alienum est ab omni veritate. Dicendum ergo est in hoc syllogismo: Essentia est Paternitas: Filiatio est essentia: ergo Filiatio est Paternitas, non deficere formam syllogisticam, sed consequens non esse legitime illatum, deberet enim, vt legitime concluderetur inferri ex præmissis non tantum formaliter identificatis, sed etiam virtuali distinctione carentibus. Ratio à priori facilis est ex ipsa natura distinctionis virtualis perita: distinctio virtualis æqualeat formali in ordine ad prædicata opposita componenda in extremis, quæ identificantur realiter, & distinguuntur virtualiter: ergo vbi intercedit virtualis distinctio, poterit vna formalitas identificari cum alio tertio, quin formaliter cum ipsa identificata formaliter

& distincta virtualiter identificetur: ergo poterit medium identificari cum vna extremitate, quin altera extremitas identificata realiter cum medio, & ab illo virtualiter distincta identificetur cum illa extremitate. Secundum, ubi intercedit distinctio formalis extremorum cum medio, ex vi formæ syllogisticæ nihil inferitur, sed distinctio virtualis æquivalens formali: ergo ubi intercedit virtualis distinctio ex vi formæ syllogisticæ nihil inferitur: ergo admissa distinctio virtuali in creatis non destruitur forma syllogistica, sed ponitur quoddam principium, quo admissio, vix forma syllogistica materiam inuenit, in qua exerceatur, seu vix remanet præmissa aliqua certa, ex qua possit ex vi formæ aliquid concludi, quia vt ex vi formæ aliquid concludatur, præmissæ debent identificari formaliter cum medio, & ab illo virtualiter non distinguui, & ita si hæc virtualis distinctio possibilis est, non quotiescumque extrema identificatur formaliter cum medio sufficientia erunt, vt ex illis aliquid ratione formæ inferatur, quia forsitan distinguuntur virtualiter, si verò distinctio hæc virtualis possibilis non est in creatis, quotiescumque extrema formaliter identificatur cum medio, legitime inferitur inter se identificari, quia tunc omne extremum creatum formaliter non distinctum ab alio, neque distinctionem formalem, neque virtutalem habebit cum illo.

17 Vltimo hæc distinctio virtualis ab innumeris absurdis refellitur, sequitur enim ex illa posse produci gradum rationalis ex vi huius actionis, & non gradum animalis; me existere Matriti, & non Romæ quatenus animal; & existere Romæ, & non Matriti quatenus rationale: posse hominem destrui à Deo secundum gradum animalis, & non destrui secundum gradum rationalis, & alia innumera figmenta, quæ quisque poterit vagi sibi mente coningere, quia hæc omnia ideo tantum repugnant, ne de eadem re dicatur produci per hanc actionem, & non produci per hanc actionem, existere Matriti, & non existere Matriti, & alia huiusmodi prædicata contradicentia, quod cum virtualis ista distinctio in formalitatibus virtualiter distinctis & realiter identificatis absque contradictione hæc prædicata ex se contradicenda componat, posita hæc distinctio virtuali in creatura, nulla in prædictis figmentis contradictio reperitur. Dices posita hæc distinctio virtuali inter essentiam, & Paternitatem non posse hæc in diuinis reperiri; implicat enim Paternitatem esse in aliquo loco, in quo non sit essentia, aut è contrâ. Respondeo cordatâ Theologos, qui hanc distinctionem virtutalem in Deo constituent, illam tantum constituere in ordine ad illa prædicata, quæ Catholicè Deo non possunt negari, & quæ sine hac distinctione virtuali intellectus humanus in hac vita componere non valet, & ita negat hanc distinctionem virtutalem in ordine ad hæc prædicata: Philosophus verò, qui nullâ veritate reuelatâ coactus hanc distinctionem in creatis admittit, gratis dicit distinctionem virtutalem dari in creatura in ordine ad hæc prædicata, & non in ordine ad illa. Secundò respondeo paternitatem non posse non esse in eodem loco, in quo est essentia, non provenire præcisè ex identitate inter essentiam, & Paternitatem; hoc enim inseparationis caput posset distinctione virtuali dispensari si in ordine ad hæc prædicata admitteretur, sed quia quilibet ex his formalitatibus independenter à formalitate alterius est ubique, & ita cum quilibet per se existat in omni loco, necessariò ubique vtrique coexistit, quod haberent etiam si realiter distinguerentur. Eadem ratione hæc virtualis distinctio deferuire non potest, vt vnâ existente, altera non existat, quia licet hoc ratione identitatis non repugnaret, repugnat cuicumque formalitati non existere; quælibet enim est summè necessaria; deferuit autem hæc distinctio in diuinis vt hæc formalitas, nempe filiatio producat; & illa, nempe essentia, non producat non obstâte identitate formali inter vtramque; quia produci, aut non produci non est contra naturâ cuiuscumque formalitatis existentis intra Deum. Eadem ratione si hæc distinctio virtualis admitteretur in formalitatibus creatis deferuire non posset, vt hæc existeret producta, & vt alia existeret non producta, quia de ratione totius formalitatis creatæ est nõ posse existere non producta, sed tantum deferuire, vt hæc formalitas posset existere producta ex vi huius actionis tantum, & alia formalis cum illa identificata posset existere nõ ex vi huius actionis, quâ altera existebat, sed ex vi alijs actionis, quia non est de conceptu formalitatis creatæ non posse existere non productam per hanc actionem

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. II.

sed tantum non posse existere absolute improductam. Vltimo confirmatur, distinctionem virtutalem in creatis esse fictitiam, & chimericam, quia nulli, nec mediocriter apparenti fundamento nititur, sed tantum ficta est ad nonnullas opiniones defendendas, quas defendere nullo iure quisquam adstringitur, quas ego omnino improbables censerem, si alio modo defendi non possent. Hæ sunt, animam rationalem vnari materię vt sensitiuam, & non vt rationalem, et si vtrique gradus sit idem formaliter indiuisibilis: malitiam actus vitalis esse identificatam intrinsicè formaliter ad rationem qualitatis, & vitalitatis, & Deum concurrere ad rationem formalem vitalitatis, & qualitatis producendam, non verò ad rationem malitiæ, & calitatis huiusmodi, quibus sententis probabilitatem ego non denego, sed assero defendendas esse independenter ab hac virtuali distinctione, vt suam probabilitatem retineant, hæc enim virtualis distinctio in creaturis admissa totam euerit Philosophiam, humanis diuina confundit, eademque regulâ metitur Dei esse per essentiam infinitam, & finitam limitatamque creaturâ perfectionem.

§. IV.

Quid de hac distinctione in ordine ad prædicata intentionalia.

19 Recentes aliqui, cum viderent totam destrui Philosophiam hac virtuali distinctione, & illa indigerent ad defendendas præcisiones nostri intellectus ex parte obiecti inter prædicata realiter identificata, id tantum huic distinctioni concessere, quod illis necessum erat ad defendendum posse ex vi huius cognitionis cognosce prædicatū animalis, & non cognosce ex vi eiusdem prædicatū rationalis cum illo identificatum, asseruerunt; dari in ente creato omnino simplici distinctionem virtutalem in ordine ad hæc prædicata, ne opprimeretur argumenti difficultate, quo inferebatur idè cognosce, & non cognosce, aut cogere ab arrepta sententia discedere. Rem ita prædicti recentiores componunt: distinguunt duplex prædicatū genus, sunt enim quædam prædicata, quæ connectuntur cum existentia physica rei, & conuenire non possunt rei non existenti, sicuti esse productū, esse album, & alia huiusmodi: alia sunt prædicata, quæ non important existentiam subiecti, de quo prædicatur sicuti esse cognitum, vel amatū, potest enim cognosce, & amari obiectū non existens, neque inter existentiam cognitionis, aut amoris, & obiectum amatū, aut cognitum aliqua est connexio. His positis asserunt non posse conuenire formalitatibus creatis realiter identificatis prædicata contradicentia importantia existentiam subiecti, quia tota contradictio ponitur in eo quod res non possit esse, & non esse, posset autem esse, & non esse eadè entitas, si posset secundum diuersas formalitates realiter identificatas produci, & non produci. Prædicata verò, quæ non important existentiam veram, & verâ negationem existentiam, et si contradicentia sint eidè entitati secundum diuersas formalitates posse cõpetere, prædicti recentiores defendunt, quia prædicata, quæ possunt indifferenter enuncitari de rebus pro statu possibili, quo sunt entia realia intrinsicè non implicatia, & pro statu impossibili, quo sunt entia implicatia, non debent immediatè implicationem inducere: ergo distinctio virtualis in ordine ad huiusmodi prædicata intentionalia, quæ existentiam non important, adhuc in creatura nullam dicit contradictionem, & ita debet admitti.

20 Nihil in hac doctrina reperio, quod non sit pura verba re omnino vacua. Recentiorum nouum inuentū expendo. Prædicata physica contradicentia inter se sicuti esse albū, & non esse albū, produci per hanc physicam actionem, & non produci per hanc physicam actionem, & quæcumque alia, quæ important formam superadditâ, non important existentiam subiecti, & negationem existentiam subiecti, neque subiectum de quo dicuntur, existeret, & non existeret, ex eo quod illi hæc prædicata contradicentia conuenirent secundum diuersas, & adhuc secundum eandem formalitatem; si enim fingamus hominē esse album quatenus animal, & non esse album quatenus rationale, vel si fingamus esse albū, & non esse album secundum rationale, non ideo fingitur hominē aut aliquid aliud prædicatum illius existere, & non existere, licet enim albedo existēs importet existentiam subiecti, & hominem esse album, dicat hominem esse existentem, negatio tamen albedinis in subiecto non dicit negationem subiecti neque hominem non esse album importat hominem non esse. Idem dico de hoc quod est produci, & non

& non produci per hanc actionem, quia licet hoc quod est produci per hanc actionem importet existentiam termini producti, non produci per hanc actionem non importat negationem non producti per hanc actionem, quia potest ex vi alius produci: ergo si contradictio inspicitur præcisè ex parte subiecti, cuius existentiam importat prædicata physica, quam non important intentionalia, neque ex prædicatis physicis, neque ex intentionalibus contradicentibus arguitur: ergo salva contradictione ex parte subiecti potest in ordine ad omnia virtualiter distingui absque ulla differentia inter physica, & intentionalia.

21 Jam si contradictio inspicitur non in ordine ad subiectum, de quo prædicata contradicentia dicerentur, in quo nulla esset, ut iam probavi, etiam si prædicata contradicentia physica essent, sed in ordine ad ipsa prædicata, in ordine ad quæ inspicenda est, & in quibus reperitur in prædicatis physicis, quæ afferent, & non afferent subiectum, si de eodem realiter possent prædicari, omnia prædicata, siue physica, siue intentionalia eodem modo important existentiam sui, quia sicuti esse album importat existentiam albedinis, ut informantis subiectum, sic esse cognitum importat existentiam cognitionis respicientis subiectum; & sicuti non esse album importat negationem albedinis ut informantis subiectum, sic non esse cognitum importat negationem cognitionis, ut afferentis subiectum. ergo si curi esse album, & non esse album secundum eandem physicam entitatem importat albedinem ut informantem subiectum, & negationem albedinis ut informantis subiectum, quæ sunt obiecta physica contradicentia: sic esse cognitum dicit existentem cognitionis afferentis subiectum. & non esse cognitum dicit negationem cognitionis afferentis subiectum: sed non est maior contradictio inter existentiam cognitionis ut afferentis subiectum, & negationem cognitionis afferentis idem subiectum, quam inter existentiam albedinis ut informantis subiectum, & negationem eiusdem albedinis ut informantis idem subiectum: ergo ex se antecedenter ad omnem distinctionem virtualem æqualem contradictionem arguunt prædicata intentionalia non connexa cum subiecto, de quo prædicantur, & prædicata physica connexa cum existentia subiecti de quo affirmatiue dicuntur: ergo ex contradictione, quam prædicata ex se inferant idem est fundamentum ad distinctionem virtualem negandam, vel ponendam in ordine ad prædicata intentionalia, & ad physica prædicata. Confirmatur supposita distinctione virtuali ad prædicata ex se contradicentia, siue physica, siue intentionalia, nullam dicunt contradictionem in ordine ad subiectum, de quo dicuntur, antecedenter ad hanc distinctionem physica, & intentionalia eandem dicunt contradictionem: ergo eodem modo de omnibus in ordine ad hanc distinctionem philosophandum est.

22 Neque ex eo quod contradictio in prædicatis physicis dicat extrema intentionalia, minor est inter prædicata physica, quam inter intentionalia, oppositio enim contradictoria non suscipit magis, & minus in hac, vel in illa materia, neque maior est oppositio in eo, quod existat Petrus, & non existat Petrus, quam in eo quod existat hæc cognitio, & non existat hæc cognitio, & æqualis cum utraque oppositio reperitur oppositio in eo, quod hic, & nunc existat hoc ens rationis, & in eo quod hic & nunc idem ens rationis non existat, omnis enim affirmatio, & negatio eiusdem de eodem dicit oppositionem contradictoriam omnium maximam, quæ in se magis, & minus non recipit.

23 Quod alij dicunt obiectum esse cognitum, & non esse cognitum nihil intrinsecum dicere in obiecto, verum est, sed non ad rem, quia etsi utrumque extremum sit extrinsecum, eadem oppositio contradictoria in ipsis reperitur ac in quibuscumque aliis intrinsecis prædicatis, & oppositio contradictoria, in quibuscumque reperitur dicit æqualem repugnantiam. Secundo: etsi extrinsecum sit obiecto cognosci, & non cognosci ex eo quod à me cognoscatur, & non cognoscatur per hanc cognitionem, quod illi est extrinsecum, sequitur me cognoscere per hanc cognitionem & non cognoscere per eandem cognitionem idem obiectum, quod mihi intrinsecum est, & dicit oppositionem contradictoriam, dicit insuper eandem cognitionem terminari per se ipsam ad hoc obiectum, & non terminari per se ipsam ad idem obiectum quod non solum est intrinsecum, sed etiam identificatum cum cognitione, & apertam inuoluit contradictionem: ergo ex nullo capite potest dif-

crimen reperiri inter prædicata intentionalia non connexa cum subiecto, & physica cum subiecto connexa, ut in ordine ad intentionalia virtualis admittatur distinctio, quæ in ordine ad prædicata physica negatur.

Vltimò: si doctrina quam hi recentiores tradunt de prædicatis intentionalibus vera esset, dicendum non esset entine ad prædicata, quia distinctio virtualis est ad componenda in hac entitate simplici prædicata illa, quæ ex se in eadem entitate contradictionem inferrebat in simplici entitate, & duplicem exposcunt, ut contradictionem non inferant, quibus æquivaleret entitas virtualiter distincta, ratione cuius virtualis distinctionis sine contradictione in ipsa componuntur prædicata illa, quæ in alia simplici entitate sine contradictione non componentur: ergo si hæc prædicata in nulla entitate simplici contradictionem arguunt, neque ex se illam inducunt, quia non important existentiam, & negationem existentie, in ordine ad illa, superflue fingitur hæc virtualis distinctio, sicuti superflue fingitur in me virtualis distinctio, ut possum habere præsentiam, & durationem, quæ in quacumque simplici entitate componentur. Neque virtus illa cognoscendi, & non cognoscendi secundum diuersas formalitates realiter identificatas, quæ in quacumque simplici entitate absque ulla formali distinctione reperitur, potest dici virtualis distinctio, cum non præter id, ad quod in aliquo subiecto formalis distinctio requiratur, vel ad quod præstandum aliquando formalis distinctio desideretur. Concludo ex his, omnem distinctionem virtualem in ordine ad prædicata ex se contradicentia, siue physica, siue intentionalia in entitate creata fictitiam esse, atque chimericam.

Arguunt recentiores: casu quo de duobus prædicatis non possent prædicari contradicentia importantia existentiam realem, & eius carentiam, & possent prædicari prædicata intentionalia contradicentia, prædicata illa essent formaliter idem, quia conuenirent cum omnibus, quæ de facto sunt idem, & distinguerentur ab omnibus, quæ non sunt realiter idem, de quibus possent enunciari prædicata contradicentia importantia existentiam, & negationem existentie: ergo adhuc ut prædicata realiter identificentur, sufficit non posse prædicari de illis prædicata physica contradicentia, & necessum non est non posse enunciari de illis prædicata intentionalia contradicentia. Resp. me in præsentia non defendere duo prædicata intentionalia non posse dici de duobus formalitatibus per rationem distinctis, & realiter identificatis, sed tantum asserere, hoc non posse fieri distinctionis virtualis beneficio, sed absolute implicare, si independenter ab hac distinctione virtuali fieri nequit. Quia tamen dicam Punct. 8. non posse huiusmodi prædicata intentionalia ex parte obiecti enunciari de vna formalitate, & non de alia cum ipsa identificata: respondeo modo prædicto casu entitatem illam, de qua non possent dici prædicata contradicentia physica, & possent dici prædicata intentionalia contradicentia, realiter non esse distinguenda propter rationes, quibus probabo non posse prædicata intentionalia dici de aliqua formalitate reali, & non dici de quacumque alia cum ipsa realiter identificata, & huiusmodi obiectiuas præcisiones non esse admittendas, quæ robur accipient ex fundamento prædicto, quo modo ita distinctio virtualem in ordine ad prædicata physica, & intentionalia æquè repugnare, & non in his prædicatis in ordine ad hanc distinctionem differentiam reperiri.

Existimat nouus quidam fore ut aliter de hac distinctione virtuali censuissent, si illius argumenta legissem, prædicta autem considerassem. Dum scripsi legere non poteram argumenta apud hunc recentiorum, qui nouem iam elapsis annis, & modo tamen postquam ea legi clarè deprehendi, plerique extra rem esse, & si vllum ad difficultatem spectat vix illa attingere, & sola materie explicatione penitus infringi.

Sibi certum esse videtur distinctionem virtualem admittendam esse in creaturis, quod ut probet duplicem exponentem sensum, in quo hæc distinctio virtualis desumi solet, iuxta primum dicitur distinctio virtualis perfectio vna quæ in æquivalendo est, ac si esset multiplex. Iuxta secundum distinctio virtualis dicitur, quæ sufficit ut de vna simplicissima entitate verificentur prædicata quæ alias essent contradictoria, & talia non sunt respectu talis entitatis ratione huius distinctionis virtualis, sic de natura diuina communi

communicari dicitur, & de paternitate non communicari, etiam natura, & paternitas sunt unum, & idem simplicissimum ens, aut de Filiatione produci dicitur, quod de natura negatur.

28 Hac duplici expositione virtualis distinctionis præmissa, sine vlla distinctione promiscua pronunciat dari in Deo & in creaturis distinctionem virtalem, quæ rem claram, & apud omnes certam cum re perdifficili, & obscura, valdeque controuersa confundit. Dari distinctionem virtalem iuxta primum sensum, expositam tam in Deo, quam in creaturis citra dubium est, quis enim neget, effectus, quos vna creatura producere non potest, sed in virtute plurium causarum continentur, calor in virtute ignis; frigus in virtute aquæ, & sic de aliis ab vna sola omnipotentia Dei posse produci, & ita omnipotentiam æquiuale re omnium causarum creaturarum cumulo, illumque infinite superare. Deinde est certum, solam posse producere plures effectus quos non nisi plures causæ subulares producere possint, quibus omnibus æquiuale re dicitur. Sic in Angelis dantur species vniuersales, quarum singulæ scõsum sumptæ representatiue sunt plurium obiectorum, quæ non nisi pluribus speciebus intentionalibus in homine representari possunt, eadem ratione planta est vegetatiua, brutum est sensibile, homo vtrique æquiuale re, & vtrumque superat, cum sit vegetatiuus, sensitiuus, & rationalis. De his dicitur prouerbum illud traditum à D. Dionysio 5. c. de diuinis nominibus, & D. Thoma 1. p. q. 4. a. 2.

29 Cum igitur hoc certum sit extra omnem controuersiam extra rem est dum de distinctione virtuali iuxta alium sensum disputatur rationibus suadere, & extremum est, argumenta ea relatis exemplis ab hoc Recentiori contra me adduci, qui late & clarissime explico, in quo sensu quæstionem exagito, & distinctionem virtalem intelligo.

30 Ad probandum distinctionem virtalem in creaturis præter argumenta desumpta ex relatis exemplis, quæ ad rem non sunt propter rationem dictam nullam aliam rationem adducit, quam asserere sufficere in creaturis fundamentum distinctionis rationis ratiocinatio, vt prædicata alioquin contradictoria, de eodem materiali subiecto verificentur. Fundamentum hoc gratis supponitur, & contra manifestam rationem, quid enim refert me fingere duplicem formalitatem, seu duplex prædicatum, dum realiter, & à parte rei tantum est vna, & indiuisibilis & simplex entitas, vel de illo duo prædicata realia realiter illi independentem à quacunque cognitione conuenientia verificentur, est enim per se notum, ea, quæ realiter, & à parte rei physice entitati conueniunt independentem esse ab omni fictione, & intellectu cognitione.

31 Quod decipit existimantes distinctionem rationis sufficere ad prædicanda prædicata ex se contradictoria de eadem entitate est nonnulla prædicata quæ videntur significare, quod solum reale in se importare cõceptionem nostram, seu modum, quo formalitatem reale concipimus, & præcindimus. Hac ratione dicimus animal formaliter sumptum esse principium sensationis, & non ratiocinationis, & rationale formaliter sumptum esse principium ratiocinationis, & non sensationis, quod est dicere prædicatum animalis à nobis concipi in ordine ad principium sensationis, seu in ordine ad cõnotatum sentiendi non cognito cõnotato ratiocinandi, seu ratiocinatione, & rationale à nobis concipi per cõnotatum ratiocinationis, non cognito sensationis cõnotato, quæ omnia nostri intellectus operatione fiunt, & vt ab intellectu facta prædicantur, seclusa enim omni intellectu operatione rationale æque est principium sensationis, & ratiocinationis, & animal æque est in principium ratiocinationis in homine, hinnitus in equo, ac sentiendi, ac proinde idem est dicere animal formaliter sumptum esse principium sensationis, & non ratiocinationis, ac dicere, hæc entitas, quæ in re indiuisibiliter est principium sentiendi, & ratiocinandi significatur à nobis per conceptum formalem respondentem huic voci animal dum illam apprehendimus cõnotata tantum operatione sentiendi, & sic proportionem seruata dum dicimus rationale formaliter sumptum esse principium ratiocinandi. Ex quo inferes non opposito in proportionem addito illo formaliter sumptum, sed loquendo de rebus vt physice, & à parte rei propositionem hæc rationale non est principium sentiendi, esse falsam, & hæc veram rationale est principium sentiendi, & ratiocinandi.

32 Rationem aliam ad distinctionem virtalem in creaturis

Francis. de Oniedo, Philosoph. Tom. II

suadendam non adducit hic auctor, nec nostris argumentis quidquid respondet. Dum enim arguimus distinctionem hæc includere totam difficultatem, quæ est in Trinitatis mysterio, respondet, Mysterium Trinitatis non consistere in eo, quod qualibet contradictio adunetur, sed quod contradictio relatiua in eadem substantia absoluta conueniat, cuius in creaturis nullum asserri poterit creatum exemplum. Solutionem hanc quisque reiciet, dum enim prædicata sunt contradictoria æque repugnant ea adunari, siue sint absoluta, siue relatiua, ac proinde adunatio absolutorum, etsi non idem æquale tamen mysterium importabit, ac adunatio relatiuorum, nec ratio reddi poterit cur in creaturis non dari possit distinctio virtualis in ordine ad adunationem absolutorum, & non in ordine ad adunationem relatiuorum.

Ad aliud argumentum, quod adduco videlicet hæc distinctionem virtuali admissa in creaturis nos non posse tute procedere in forma syllogistica, respondet, illud potius fauere suæ sententiæ, quia vbi variatur appellatio non valet consequentia, nec bene arguitur ab identica ad formalem proportionem, dum enim sic arguitur interuenit fallacia dictionis. Quorum hæc tendant non facile percipies: distinctio virtualis facit vt in eodem sensu identico nulla applicatione variata prædicata ex se contradictoria adunentur respectu eiusdem entitatis, de hac enim distinctione virtuali disputamus, prædicata enim contradictoria variata appellatione de eadem entitate dici posse absque controuersia est, nec dum variatur appellatio contradictoria sunt: ergo doctrina hæc de fallacia dictionis omnino extra rem est.

Argumentum aliud à me adductum, videlicet hæc distinctionem virtuali admissa innumera sequi absurda videlicet posse produci animal ex vi huius actionis & non rationalis, & Romæ secundum gradum rationalis, & non animalis, & alia huiusmodi purum figmentum appellat Recentior iste, de quo non curo, videamus quid respondeat. Asserit distinctionem virtalem non poni in ordine ad coadunationem quorumque prædicatorum, vt videre est in Deo, de quo verificari non poterit existere, & non existere ratione distinctionis virtualis. Solutionem hanc impugnaueram hic n. 17. cuius impugnationem non poterat iste non legisse, illius tamē nescientiam affectauit forsitan, quia nihil occurrit, quo illam impugnaret. Secundo respondet nō licere arguere à prædicatis realibus productionis ad prædicata intentionalia, quæ sola consideratione, vel conueniunt, vel distinguuntur. Hoc verissimum est quod sibi cõmendatum esse vellem, ne ex prædicatis intentionalibus diuerso modo sumptis, distinctionem virtalem, de qua agimus inferat, ad argumentum autem à me adductum soluendum prorsus est impertinens.

PUNCTUM V.

De distinctione inter rem, & modum.

Sciendum est quid sit res; quid modus, vt possimus distinctionem inter rem, & modum percipere. Omnis qualitas substantiæ inhærens illius modus dici solet teste D. Thoma 1. 2. q. 49. art. 2. solet etiā omnis differentia ratione communem generis contrahens illius modus appellari, sic sensibile modus viuientis nō raro dicitur: insuper omnis limitatio, seu mensura præfixa rei finitæ, ex vi cuius infinita perfectionem non attingit, neque tantum excedit modus rei creatæ, vt notauit D. Th. supra ex Aug. lib. 4. Genes. ad litterā c. 3. vbi dixit: *Modus est quem mensura præfigit*. Sic idē Aug. lib. de natura boni c. 3. inter requisita ad bonitatem rei creatæ modum annumerat, hoc est, debitā cõmensurationem ad sua principia vt explicauit D. Th. 1. p. q. 5. a. 5. & 1. 2. q. 85. artic. 4. Hæ omnes modi acceptiones latissimæ sunt, & transcendentes entitates, quas res vocamus vt distinctas à modis secundum quas impræsentiarum non agimus de natura modi, sed secundum aliam longè strictiorem.

Circa hæc distinctionem multa scribit P. Albert. in Prædic. ad aliquid q. 12. dub. 1. in quibus non parum discessit à communi loquendi modo, quem auctores in hac materia obseruant. Vocauit Albert. distinctionem ex natura rei illam, quam nos distinctionem modalem vocamus, ex vi cuius datur separatio non mutua inter extrema: ita num. 8.

Z z Rursus

Rursus distinctionem hanc, quam nos *modalem*, & ille ex *natura rei* appellat, & dicit mediam esse inter distinctionem rationis, & distinctionem realem, hoc est, rei à re, ex vi cuius extrema mutuo separari possunt, subdividit in distinctionem formalem, & modalem. Distinctionis modalis propriè dictæ triplicem statuit conditionem. Prima est ut modus additus rei modificatæ non variet rationem formalem illius. Adducit exemplum in intensione caloris ut octo additæ calori, quæ non variet rationem formalem caloris. Secunda conditio est ut res modificata eum suo modo non differat specie à res modificata per alium modum: exemplum adducit in eodem calore ut octo, qui non differt specie à calore ut quatuor. Tertia conditio est ut modus propriè dictus sit idem formaliter negatiuè cum re modificata, nam calor ut octo est intra formalitatem caloris, sit enim calor per illam intensiorem maior (inquit Albert.) secundum formalitatem caloris, siue intensio fiat per additionem gradus ad gradum, vel per maiorem radiationem in subiecto.

3 Tota hæc doctrina mihi est valde obscura, neque exemplo intensiōis quidquam mihi clarescit, censeo enim intensiōem non fieri præcisè per modum efficientem calorem; qui dicebatur non intensus, sed per alios gradus aduenientes, qui præexistentibus vniuntur. Prima conditio, videlicet ut modus additus rei modificatæ non variet rationem formalem illius, difficile percipitur, quia si intendat Albert. modum non variare rationem formalem rei, quam afficit, ut distinctæ ab illo, hoc commune est omni formæ & cuiuscunque entitati excogitabili, nulla enim reperiri potest, quæ variet rationem formalem aliâ, à qua distinguitur, non enim potest aliqua entitas per aliquid illi superadditum habere diuersam rationem formalem constitutiua aut diuersam essentiam. Si dicas concretum illud resultans à re modificata, & à modo distinguendum non esse formaliter à re modificata præcisè sumpta, non ita res se habet quia modus distinctam rationem formalem, & quidditatiuam habet à re cuius est modus, ex vi cuius concretum per illum constitutum ab eadem re materialiter est constituendum, sicuti concretum constitutum per formam efficientem subiectum formaliter differt à subiecto seorsum sumpto. Si per secundam conditionem velit Albert. rem modificatam non differre à re modificata per alium modum indiuiduum eiusdem speciei, hoc commune est omnibus formis. Si velit non differre rem modificatam per hunc modum à re modificata per modum alium specie distinctum, hoc falsum est, quia concreta constituta per modos specie distinctos, specie distingui necesse est. Tertia conditio obscurior est aliis, rem enim esse idem negatiuè cum aliâ, dicit non distingui ab illâ, quod formaliter est habere identitatem cum ipsâ, & in re positiua distingui nequit ab identitate positiua. Deinde modus à quo res potest separari necessariò per suam entitatem non est ipsa res, & per suam entitatem est aliud ab ipsâ, quod dicit positiuam distinctionem oppositam cum identitate negatiua, & positiua, quam ego in eodem ente positiuò non distinguo.

4 Entitatem modalem, seu modum vocat communis sententia ens illud quod non potest neque diuinitus separari ab illo, quod sine ipso esse potest, respectu cuius res dicitur illud aliud, quod ab ipso separatur. Itaque in duabus entitatibus quæ possunt separari, & non mutuo, illa quæ potest existere sine aliâ, res dicitur altera verò quæ sine illâ existere nequit dicitur modus. Exemplum habes in materia quæ vniuntur, & in vnione, ex vi cuius materia vniuntur. Materia existere potest diuinitus sine hac vnione indiuidua assignata, cum aliâ distincta, vel sine illa, hæc autem vnio non potest existere nec diuinitus sine hac numero materia. Ex quo fit vnionem dici modum materiæ, & materiam dici rem respectu vnionis. Dixi materiam posse existere sine hac vnione, quia etiam si non posset existere sine omni, sed cum hac vel cum illa vagè sumpta conduceretur, non ideo vnionis diceretur modus, sicuti non dicitur modus præsentis subiectum, quod est præsens, etiam si iuxta vulgarem sententiam nulla entitas possit existere omni præsentia nuda, sed cum aliqua vagè sumpta connectatur. Rectè etiam notauit Albert. supra n. 5. ex Capr. in 1. dist. 3. q. 3. & dist. 8. q. 1. ad 8. hanc inseparabilitatem non futuram præcisè propter dependentiam vnus entis ab alio, aliâs omnis creatura diceretur modus Dei, à quo essentialiter dependet, & vnum relatiuum diceretur alterius modus, sed ex alio capite. Ex quo inferri non bene probari potestas

non distingui realiter ab anima, ex eo quod non possint ab illa separari, quia dici potest potentias vitales essentialiter depèdere ab anima, & hac ratione ab illa esse inseparabiles.

Hoc genus separationis non mutua signum est modalis distinctionis, inquirenda est modo ratio constitutiua more separabili ab ipso, ut à posteriori naturam inferat modi in entitate sic inseparabili. P. Hurtad. disp. 2. sect. 5. afferunt alie entitates ad aliquid præstandum, vel non præstandum, dici entitates modales, & inseparabiles esse ab illis, cuius indifferentiam determinant. Conclusionem hanc suadet: entitates illæ quæ determinationes sunt, & indifferentiam adiungunt, non sunt indifferentes ad hanc determinationem præstandam, & indifferentiam auferendam, sed per se ipsas sunt actuales determinationes, & non possunt rem aliâs in actu primo indifferentem non determinare in actu secundo, ergo per se ipsas conueniunt cum illis entitatibus, quarum indifferentias adiungunt, ergo non possunt ab illis separari. Vtraque consequutio est legitima, probatur antecedens: Si entitates illæ per se ipsas non essent determinationes in actu secundo, & indifferentiam haberent ad determinandum, & non determinandum, indigerent aliquo superaddito, ut auferretur illarum indifferentia, & sic non determinationes, sed determinabiles dicerentur, & in infinitum darentur processus. Res illas indifferentes ab his determinationibus distingui saepe argumentatus sum, probauit enim Controv. 4. Physic. Punct. 1. dari vnionem superadditam distinctam à materia ex eo præcisè quod materia prima ex se indifferens sit ut vniatur, & non vniatur, & Controv. 12. Punct. 1. ex differentia virtutis productiua in actu primo ad agendum, vel non agendum probauit eandem esse actionem superadditam, ex vi cuius virtus productiua in actu primo indifferens in actu secundo determinaretur ad agendum, quæ est formalis determinatio actus primi ex se indifferens ab illo inseparabilis. Hæc indifferentia ad has determinationes habendas, & non habendas mediâ separationem determinabilium à determinatione, arguit distinctionem determinabilis à determinatione, & determinatio, ex eo quod essentialiter talis sit in actu secundo dicit connexionem cum re determinabili, seu cum re, quam determinat, sicuti actus secundus, seu actiua ipsa actus secundi determinat actum primum, cum quo essentialiter conueniunt.

Ex his infero rectè distingui rem, & modum per determinabile, & determinationem, seu per actum primum, & actiuationem ipsius actus primi ad actum secundum, ita ut id, quod determinabile est, & indifferens per modum actus primi ad determinationem, & actiuationem res dicatur respectu huius determinationis, & ipsa determinatio, seu actiua dicatur actus secundus. Hæc ratio rectè à priori explicat id, quod à posteriori per separationem non mutua explicamus, id enim quod per modum actus primi indifferens est ad determinationem, seu actiuationem, ab hac potest separari, quod conuenit rei respectu modi; actiua verò, & determinatio per se connexa cum actu primo determinabili separari non potest ab ipso determinabili, seu ab actu primo, cuius est actiua, quod conuenit modo respectu rei. Conuenit etiâ ratio ista omnibus entitatibus, quas modos, & modorum res esse dicimus; vnio enim quæ est modus extremi vnit determinat indifferentiâ extremi vniibilis ut vniatur vel non vniatur, & extremum vniibile se habet ut determinabile, & ut actus primus, vnio verò ut determinatio, & actiua actus primi determinabilis. Eadem proportio reperitur inter principium actiui & actiue, & inter principium passiui, & passionem, quarum principium actiui & passiui dicuntur res, & actio principij actiui, & passio passiui principij modi dicuntur.

Per hunc conceptum quidditatiui rei, & modi rectè explicatur, quomodo non omnis creatura inseparabilis à Deo, à qua Deus separari potest, quia illa destructa potest existere, sit Dei modus, quia hæc inseparabilitas non omnibus contingit ex eo, quod sint determinationes Dei potentis illas producere, seu aliquo modo existentis in actu primo ad illas, quia Deus in actu primo potens producere formaliter non determinatur ad efficiendum, neque constituitur in actu secundo formaliter efficiens per terminum productum distinctum ab actione, sed per actionem, ex vi cuius terminus producitur, & ita actio procedens à Deo, modus

modus Dei dicitur non verò effectus media actione dependens. Eadem ratione secunda persona Trinitatis inseparabilis à prima, non dicitur modus primæ, quia non respicit primam tanquam virtutem determinabilem, seu in actu primo indifferentem, cuius ipsa fit determinatio, quia prima persona Trinitatis habet secum identificatam generationem actiuam, ex vi cuius formaliter est determinata, & ipsa determinatio ad secundam personam productam. Idem dico de Spiritu sancto respectu Patris & Filij, à quibus procedit tanquam ab vno principio spirante, respectu cuius principij modus non est, quia principium ipsum habet secum identificatam spirationem actiuam, ex vi cuius formaliter in actu secundo est formaliter ad spirandum determinatum.

8 Non vult Arriaga rationem modi per determinationem explicari, quia determinatio semper sumitur in ordine ad aliud, quod non potest conuenire omni modo, quia omnis entitas determinatur ad se, & differentia inter modum & rem non est in eo, quod hæc determinet ad se, & illa determinet ad aliud, sed in eo, quod res non determinet actum, sed aptitudine, & modus actum determinet. Secundo, quia si modus determinet tantum in ordine ad se, definitur in ordine ad se, & ita definitio erit vitiosa, quia dabitur per ipsum definitum. In his omnibus fallitur Arriaga, res enim non differt à modo in eo, quod hæc determinet actum, & illa aptitudine, seu potentia vt ipse non rectè tradit n. 6, quia res non solum non determinatur, sed neque aliquando potest determinare per se ipsam, & implicat ipsam formaliter determinare, quia per se ipsam intrinsecè est indifferens, & id, quod per se, est indifferens, non potest per se determinare se ipsum, sed indiget determinatione superaddita, differunt ergo res, & modus ex eo, quod res sit apta vt determinetur per aliud superadditum, & modus sit actualis determinatio. Secundo falsum est omnem entitatem determinare ad se ipsam, calor enim efficiens subiectum non determinatur per suam entitatem subiecti, quod afficit ad calorem habendum, quia existente calore poterat subiectum illo non affici, sed informatio, quæ est modus determinans subiectum, tum ad ipsam informationem, tum ad formam, eo enim ipso quod existat informatio subiectum non solum afficitur informatione, sed etiam formam cuius est informatio, & ita informatio, & non forma subiecti modus dicitur. Similiter materia non determinatur formam ad materiam habendam, sed eadem informatio, quæ est determinatio respectu formæ tum ad se ipsam, tum ad materiam, & ita formæ iure dicitur modus. Eadem ratione effectus media actione distincta productus non determinatur causam ad illum producendum, potuit enim ab hac, vel ab illa causa creata produci, & ita illo posito intelliguntur causæ indifferentes ad illum effectum, ad quem determinatur, quæ illum de facto producit, per actionem quæ determinat principium effectuum, tum ad ipsam actionem tum ad effectum, quem per se respicit actio. Eadem actio effectum indifferentem vt dependeat ab hoc, vel ab illo principio mediis diuersis causalitatibus formaliter determinatur ad ipsam, & ad causam, à qua ipsa dependet, & ita non solum principij productiui, sed termini producti dicitur modus, eademque ratione principium passuum actio ipsa, quatenus passio ad ipsam, & terminum receptum determinatur, & huius principij similiter dicitur modus. Quod vltimò addit Arriaga, videlicet definitionem esse vitiosam, si tradatur per determinationem modi ad se ipsum, quia esset definire per ipsum definitum, leuioris est momenti, innumeræ enim definitiones huiusmodi dantur, sic definitur substantia *ens per se*, & relatiuum transcendentiale quod *per suamet entitatem terminum respicit*, & causa *principij per se influens*, &c. in quibus definitionibus ly *per se* tantum importat definitum materialiter sumptum, & confusè cognitum per conceptus communes cum aliis entitatibus, quæ ratione supponi potest ad se ipsum expressè, & quidditatiuè cognitum per conceptum formalem propriæ definitionis.

9 Obicit Arriaga ad hominem contra Hurtad. Præsentia est modus subiecti, & non est illius determinatio, neque illud ad aliquid determinatur, ergo non est de ratione modi esse determinationem. Respondet Hurtad. præsentiam determinare subiectum ad hoc spatium, quia illud per se ipsam essentialiter respicit, & non potest non subiecti huic spatio affigere. Solutionem rectè impugnatur Arriaga ex eo, quod spatium imaginarium nihil est, vt fatetur Hurtad. & ita præsentia in re spatium non respicit, licet nos præ-

Francis. de Ouidio, Philosoph. Tom. II.

sentiarum naturas per ordinem ad hoc spatium explicemus, & ita dici nequit subiectum in re ex vi præsentia ad spatium determinari. Secundo contra Hurtad. aliter arguuntur: Do præsentiam per se ipsam essentialiter esse affixam huic spatio, & non posse non illud actu respicere, ex hoc inferitur præsentiam esse inseparabilem ab hoc spatio, & ex vi illius subiecti in hoc spatio esse constituendum eo ipso, quod præsentia afficitur, ex hoc tamen non inferitur præsentia per se ipsam subiecti afficere, & non posse ab illo separari, & existere sine subiecto, cui vnitur per vnionem superadditam, etiam si per se ipsam respiciat subiectum, quod adhuc separata à subiecto respiciet tanquam extremum, cui actu, & essentialiter per se ipsam est affixa. Rem illustro ex doctrina ipsius Hurtadi: Qualitas in qua consistit cognitio, per se ipsam essentialiter est determinata ad hoc obiectum, quod respicit per suam entitatem, & quod non potest non actu respicere, & tamen non per se ipsam vnitur subiecto, sed per vnionem superadditam, neque per se ipsam determinatur potentiam ad obiectum, ad quod ipsa per se est determinata, sed per vnionem superadditam, quæ est formalis determinatio potentia ad obiectum, quod per se respicit cognitio, vt tradit Hurtad. dicta disp. 2. lect. 6. §. 91. & 92. ergo eadem ratione potest præsentia per se ipsam esse determinata ad hoc spatium, à quo sit inseparabilis, & esse separabilis à subiecto, quod non per se ipsam, sed per vnionem superadditam terminatur ad spatium, ad quod per se ipsam est determinata.

10 Censeo de ratione modi non esse determinare rem cuius est modus ad aliquid distinctum ab ipso, vt vult Hurtad. sed sufficere esse determinationem rei, cuius est modus ad se ipsum, etiam si ad aliud ab illo distinctum non determinet, quod sic probatur: Non repugnat effectus absolutus, calor v. g. per se ipsum immediatè absque vlla actione superaddita dependens ab hoc principio actiuo, neque per se ipsum immediatè vnitus huic subiecto nullo vnionis modo interiecto, qui non possit eo ipso quod existat non dependere ab hoc principio, & non esse vnitus huic subiecto: sed calor ille esset inseparabilis à principio & à subiecto, & haberet secum identificatam actionem, ex vi cuius principium actiuum indifferens ad agendum constitueretur formaliter agens in actu secundo, & informationem, ex vi cuius subiectum indifferens vt informaretur, constitueretur in actu secundo informatum, & determinatum ad formam, & per se ipsum esset informatio intrinseca subiecti, & extrinseca principij actiui, si actio dicenda est extrinseca informatio principij actiui, vt vult Arriaga: ergo calor ille per se ipsum dependens ab hoc principio, & per se receptus in hoc subiecto, & illud informans esset modus principij actiui, & subiecti informationis, & receptionis, quod esset idem t sed calor ille non determinaret principium actiuum, aut passuum ad aliquid distinctum à se ipso: ergo de ratione modi non est determinare rem, cuius est modus ad aliquid distinctum ab illo. Maiorem admittunt Hurtad. & Arriaga. & communis sententia fert Angelos, & rationalem animum sine actione interiecta dependere à Deo, & per se ipsos creari. Minor est certa in doctrina vtriusque authoris, quia, siue modus definiatur, vt vult Arriaga, *actualis informatio subiecti*, siue definiatur determinatio potentia indifferens, definitio modi effectui per se à subiecto dependenti conueniet, insuper effectus ille haberet secum identificatam actionem, quam esse modum principij actiui omnes admittunt. Prior consequutio est legitima, & reliqua quæ ex consequenti inferuntur per se nota.

11 Ex hac doctrina posset responderi præsentiam esse determinationem subiecti ad se ipsam, quia immediatè, & non per modum vnionis superadditam illud afficit, & ita habere rationem modi, etiam si subiectum non determinet ad aliquid ab ipsa distinctum, & hac ratione defenderetur præsentiam esse modum, si ita tenendum sit, an verò sit ita dicendum, vel cum Arriaga tenendum non esse modum, sed rem, statim dicam percurrans omnes entitates modales.

12 Et si his satis exposita sit entitatis modalis, seu modi natura exposita, placet tamen sententiam peculiarem Pascualigi non communem proponere, & impugnare, ne quid peculiare in hac materia desideretur. Afferit hic author tom. 2. Metaphysic. disputat. 15. distinctionem duplici modo posse considerari: primo prout dicit rationem formalem distinctionis in recto, & extrema distincta in obliquo. Secundo prout importat extrema distincta, & per hæc qualificata, qua ratione dicit in recto extrema distincta

distinctio: tertio asserit dari quosdam modos extrinsecos rei quales sunt scilicet respectu sedentis, & figura respectu quantitatis. Tertio asserit modos istos in seipsis attente inspectos non esse entia, nam si talia essent, non essent modi entium, quia modus essentialiter tantum dicitur rem, cuius est modus. Hoc confirmatur, quia non possumus concipere modum, nisi concipiamus rem cuius est modus, si autem esset ens sine re alia concipi posset iuxta hanc principia asserit quarto dari distinctionem quandam, quae non sit inter rem, & rem, sed inter rem, & modum, quae si secundum esse proprium, & formale distinctionis consideretur omnino est à parte rei nemine cogitante, atque adeo realis est. Distinctionem hanc realem esse probat efficaci argumento à separabilitate desumpto, quia modi isti sunt separabiles à subiecto, cuius sunt modi absque eo, quod aliquid entitatis subiecti deperdat: ex quo per consequentiam per se notam distinctionem realem inferri deducitur, nam evidentissimum inquit est, quod quodlibetque aliquid separatur ab alio aliquo, quin illud de sua entitate aliquid deperdat, id, quod separatur debere esse distinctum ab eodem entitate, quae remanet, alioquin contradictoria de eodem verificarentur. Urget eandem rationem. Una quantitas mutari potest de una figura in aliam, & valet ista propositio, *Figura à parte rei non est quantitas*, rursus valet ista, *Figura non potest concipi sine quantitate*: ergo figura distinguitur à parte rei à quantitate, & non tanquam res à re, sed tanquam modus, & proinde concedenda est distinctio aliqua, quae sit à parte rei.

13 Quindò asserit, hanc distinctionem si consideretur secundum seipsam formaliter ratione distinctionis esse aequae realem, ac est illa quae est inter rem, & rem, id probat, quia distinctio secundum se considerata nihil aliud dicit nisi quod unum extremum non sit aliud, ita tamen ut ex formalitate excludat esse extremorum, & tantum ea connotet in obliquo. Ex quo fit, distinctionem secundum se non dependere à quantitate extremorum, sed tantum ab extremis in confuso sumptis, praescindendo ab eo quod sint talia, vel talia, quia connotat tantum illa secundum rationem formalem extremi tantum, non autem ut habentia tale, vel tale esse, quia hoc pertinet ad esse materiale. Hinc inferit, quod cum distinctio consistat in eo quod unum extremum non sit aliud non posse distinctionem realem ex vi sui esse formalis dicere aliquid positivum reale, quia hoc positivum reale non diceret illud, non esse aliud, in quo consistit ratio formalis distinctionis.

14 Sextò dicit hanc distinctionem consideratam ex parte extremorum inolvere aliquid rationis, atque adeo ex hoc capite posse dici distinctionem rationis, simpliciter tamen non esse sic appellandum. Rationem huius conclusionis desumendam esse, inquit, ex parte unius extremi, cum enim modus ex se nullam dicat propriam entitatem praecissa entitate subiecti nulla ei remanet entitas ex quo fit, quod non possit consequi tanquam extremum condistinctum à subiecto, nisi ei tribuatur per intellectum aliqua entitas.

15 Hæc omnia innumeris scaturit difficultatibus, & aperte in consequentiam ostendunt, nonnulla contra illa breviter propono, imprimis ficticiosus est modus ille sumendi distinctionem secundum suum esse formale abstrahere ab extremis ea, quae tantum in obliquo, & materialiter important. Ratio est quia distinctio si absolute sumatur praecise per hoc quod est hoc non esse illud, siue respectu per hoc, quo est hoc esse, & illud esse, & hoc ab illo distinguatur ex parte obiecti, non est quid superadditum subiecto, & licet modo in abstracto, modo in concreto significetur conceptus obiectivus significativus, & idem est diversus concipiendi modus, non potest mutare naturam obiecti, & facere eadem res hoc modo concepta realis sit & alio modo apprehensa sit ens rationis, aut quod hac ratione apprehensa sit positivum, & illa ratione cognita negativum sit. Distinctionem hanc non esse quid formaliter distinctum à re distincta probavi hic Controv. 3. Punct. 1. est etiam falsum hanc entitatem positivam non esse illam, esse quid negativum, ut ibidem probavi.

16 Est insuper omnino falsum distinctionem rei à modo, quam ipse fatetur secundum suum esse formale realem esse, ut qualificatam per modum, qui est distinctionis extremum importare aliquid rationis ex eo, quod non possumus concipere modum, nisi tribuendo illi aliquam existentiam fictam, sicuti est falsum modum in seipso non habere rationem existentiae, nisi per fictionem intellectus. Quod

falsum, & in consequenter dictum esse probatur ratione eadem, qua vitur hic author ad probandam distinctionem inter rem, & modum videmus hanc quantitatem modo habere hanc figuram, modo illam, & hoc absque vlla fictione rationis, non enim fictio potest facere, ut quantitas, quae modo oculis apparet cum figura triangulari, postea appareat cum figura pyramidalis: ergo figuram hanc deficere, & illam advenire fit per defectum, & advenum alicuius, à subiecto: ergo illud, quod deficit habebat esse, & illud, quod advenit habet independens à mea fictione, & distinctum à subiecto, & ut habens esse independens à fictione: ergo distinctio inter illud & subiectum quantumvis innotuat utrumque extremum & distinctum, nihil ficti involvit.

Urget dum deficit scilicet, aut figura pyramidalis, quae antea erat non deficit subiectum, non deficit purum figuratum seu ens rationis: ergo deficit aliquid reale, quod si concipiatur non concipitur ens rationis. Respondet Pascualigus disp. 4. citata sect. 3. n. 8. modum deficere non secundum suam existentiam, nec secundum suam entitatem, quia sicuti neque existentiam, ita neque entitatem habet, sed deficere secundum suum esse. Contra est, quia illud suum esse, secundum quod deficere dicitur non est fictum: ergo habebat esse non fictum, & distinctum à re cuius erat modus: ergo distinctio illa inter suum esse modi & subiectum, neque ex parte alicuius extremi importat aliquid fictum. Rursus concedit ipse omne ens adaequate distinctum in reale, & rationis, propterea reale dicitur quid condistinctum ab ente rationis. Sed modus non continetur sub hoc membro *ens rationis*: ergo sub illo ens reale. Nec consequenter vi necesse est Pascualigum cogere ad hoc concedendum, ipse enim eadem sect. 3. n. 1. ubi asserit inter ens reale, & rationis non dari medium, si per ens reale intelligatur illud quod est à parte rei, & non fabricatum ab intellectu, asserit modum contineri in membro opposito enti per intellectum fabricato, est postea ens reale distinguitur in ens quod habet propriam entitatem, & illud quod non habet propriam entitatem huiusmodi inquit esse modum.

Est etiam omnino falsum, & in intelligibilis doctrina huius distinctionis, quam ex professo docet, videlicet modum esse quid reale distinctum à re cuius est modus non tamen habere propriam entitatem, quod sic impugno. Modus iste v.g. figura quantitati adveniens, & ab illa distincta, casu extrahitur à puro nihilo, & constituitur extra causas transit ad esse entis, & ad esse rei, id enim, quod non est pure possibile, & est oppositum nihilo, & terminat actionem causarum, extra quas ponitur formalissime dicitur conceptum entis.

Respondet ibid. n. 4. duplici modo contingere, quod aliquid sit reale, primo tanquam ens, & entitas, secundo tanquam aliquid de ipsa re, seu entitate. Esse autem reale in hoc secundo modo nihil aliud dicit, nisi fundari in entitate rei: non autem dicit propriam entitatem, unde consequenter non dicit esse aliquid reale in se ipso, sed in alio. Contra hoc est, quia illud quod dicit esse de re ipsa, & in ea fundari est quid condistinctum in sua sententia à re de qua est, & in qua fundatur. De illo ut sic condistincto reddit argumentum, quia ut sic condistinctum opponitur nihilo, & est extra causas: ergo est ens. Demum figmentum esse asserere dari aliquid à parte rei nihilo oppositum condistinctum omni alio, quod ut sic condistinctum non sit ens, & entitas ex eo manifestè constat, quod Metaphysici omnes laborant in praescindendo per intellectum minimam differentiam à ratione entis, & plerique, hanc praecisionem fieri posse negant asserentes, ratione entis transcendere omnes differentias, quod igitur iuxta communio rem sententiam per intellectum praecindi non poterit rationabiliter dicitur non convenire modo realiter à re condistincto: qui vero datur à parte rei.

Mitto plura alia, quae contra hunc dicendi modum possem adducere, neque in praecedentibus impugnationibus attigi modos habere propriam existentiam ne incidere in questionem aliam universaliorem de identitate, & distinctione existentiae ab essentia, circa quam definitio Contra. Metaph. Punct. 2. existentiam ab essentia non distinguere, ex quo poterit etiam probari modum, qui est à parte rei, & à re, cuius est modus distinguatur, distinctam habere existentiam ab existentia rei cuius est modus.

Fundamentum Pascualigi ad asserendum modum non esse ens, neque entitatem, aut rem, quia est modus entis, & rei nullus

nullius est momenti, potest enim vnum ens esse modus alterius entis, & vna res modus alterius. Dum enim ens diuiditur in rem, in modum, in priori membro distinctionis non sumitur res vt distincta à modo in tota sua vniversalitate, sed vt constructa ad specialem rationem: eadem ratione ac si diuideretur res in rem specialiter dictam, & in rem modalem includente vtroque membro diuidentur rationem formalissimam diuisi, quod est res.

PUNCTVM VI.

Quibus entitatibus distinctio modalis, seu ratio modi competat.

EX doctrina Punct. precedenti tradita facile erit definire, quibus entitatibus ratio modi conueniat. Actionem, passionem, & vnionem respicientes terminos distinctos esse entitates modales admittunt omnes, quia si actio per se ipsa non dependeret à principio, & nõ per se ipsam determinaret illius indifferentiam ad agendum, sed per aliquid superadditum, in infinitum abiremus: idem dico de passione respectu principij passiu, & de vnione respectu extremorum, quorum est vnio, quæ si media vnione alia respiceret, in infinitum vniones vnionum darentur. Actus vitalis si in actione consistit, modus erit potentie vitalis, sicuti reliquæ actiones suorum principiorum, si verò consistat in qualitate producta, media actione superaddita, & per vnionem superadditam subiectum informantem, rationem modi non habebit, etiam si vera esset opinio Patris Vaquez asserentis qualitatem illam non posse non produci à potentia vitali, à qua secundum hanc opinionem est inseparabilis. Ratio est, quia hæc inseparabilitas non provenit ex eo, quod qualitas illa sit formalis determinatio potentie, quæ per actionem, & informationem distinctam ab illa qualitate determinabitur ad ipsam, sed ex dependentia essentiali, quam haberet qualitas illa à potentia vitali, instar illius, quam habet calor productus media actione superaddita à causa prima, à qua non potest non produci. Si verò vitalis actus consistat in actione, & in qualitate quatenus dicit actionem, erit modus potentie, & quatenus dicit qualitatem, rationem modi non habebit. Quid dicendum sit de actione vitali in nostra sententia, quæ illam in termino immediatè per ipsum productum, & vnio constituit, iam tradito de hac qualitate, & vniversaliter de omnibus huiusmodi effectibus.

Effectus omnes, qui immediatè per se ipsos sine interiecta causalitate dependent à principio actiuo aut passiuo, & omnes forme per se ipsas immediatè vnite subiecto absque modo interiecto habent rationem modi respectu principij actiu, & passiu, & respectu subiecti, quibus vnionitur. Probauimus hanc conclusionem Punct. precedenti, ex eo quod huiusmodi effectus formaliter essent determinationes actus primi indifferentis, & haberent secum identificatas rationes formales actionis, passionis, & vnionis, quas in ordine ad principia, & terminos indifferentia omnes modos esse testantur. Ex hac infero Angelum, seu animum rationalem per se ipsum immediatè à Deo creatum esse modum extrinsecum Dei, sicuti actio media qua effectus alius producit, est modus Dei extrinsecus. Eadem ratione in nostra sententia vitalis actio per se ipsam dependens à potentia, & per se ipsam potentie vnita respectu huius rationem habet modi.

Præsentiam, & substantiam modos esse naturæ, seu subiecti, quod afficiunt, fert communis sententia. Præsentiam, & substantiam non esse modos, sed res docet Arriag. de præsentia, disp. 14. Phys. sect. 2. sub. 7. de substantia disp. 4. Metaph. sect. 12. sub. 2. Idem de substantia tradit Hurt. hic disp. 11. sect. 3. n. 50. & disp. 2. sect. 6. n. 50. Afirmat Hurt. substantiam non esse modum, quia non determinat subiectum ad aliud distinctum à se, quæ ratio efficax mihi non est, probauimus enim Punct. precedenti de ratione modi non esse determinare subiectum ad aliquid à se distinctum. Afirmat Arriag. substantiam, & præsentiam non esse modos, neque per se ipsas afficere subiecta, quia non sequitur processus in infinitum ex eo, quod vniantur subiectis per vniones superadditas, sicuti sequeretur ex eo, quod vnio distincta à termino vniretur per vnionem superadditam, & ex eo, quod actio distincta à principio dependeret per actionem superadditam, affirmat enim vbiunque non sequi-

tur processus in infinitum ex eo quod forma per modum superadditum respiciat subiectum, dicendum esse illud respicere medio modo superaddito, & non per se ipsam. Neque huic rationi acquiesco, licet hæc sit bona consequentia: si vnio respiceret extrema vnabilia, sequeretur processus in infinitum: ergo illa respicit per se. Hæc tamen non est legitima: si præsentia respiceret subiectum per vnionem superadditam non daretur processus in infinitum: ergo illud respicit per vnionem superadditam, & non per se. Secundo, casu quo præsentia per se ipsam esset vnio, seu haberet vnionem identificatam secum, ex vi cuius vniretur, sequeretur processus in infinitum si indigeret aliâ vnione, quia si vnio identificata cum extremo vnendo indigeret aliâ vnione, similiter vnio superaddita aliâ superaddita vnione indigeret, & sic in infinitum procederetur. Quare vt videamus, an ex eo, quod præsentia indigeret vnione sequeretur processus in infinitum, prius examinandum est, an præsentia habeat secum identificatam vnionem, vel non habeat. Quod si illam habuerit processus in infinitum sequeretur ex eo quod vniantur media vnione superaddita, sin autem, talis processus non inferetur.

Alij contendunt præsentiam esse modum, quia essentialiter, & per se ipsam est affixa huic spatio. Rationem hanc nullius esse momenti dixi Punct. precedenti, quia spatium imaginarium nihil est, & adhuc si aliquid esset, cui essentialiter esset affixa præsentia, ex hoc tantum posset inferri præsentiam esse modum spatij, non verò esse modum subiecti, à quo potest esse separabilis, etiam si ab ipso inseparabilis sit.

Probant alij præsentiam, & substantiam esse modos, & non res, quia cumque entitati danda est minor distinctio, quæ dari possit, & neganda omnis distinctio, quam dari nullâ ratione constat: sed nulla est ratio, quæ probet præsentiam, & substantiam distinguî à subiectis pluraquam distinctione modalis: ergo hæc distinctio & non distinctio rei à re illis est concedenda. Respondet Arriaga eodem fundamento dici posse gratiam habitualement, primas qualitates, & alia huiusmodi accidentia esse modos, & non res, quia nulla est ratio, quæ probet gratiam habitualement posse à subiecto separari, neque de primis qualitatibus hæc separabilitas inferitur ex mysterio Eucharistie in sententia eorum, qui asserunt illorum commune subiectum esse quantitatem, à qua nunquam fuerunt separata. Quod si ex eo quod quantitas separata fuit à subiecto à paritate inferimus esse separabiles à subiectis primas qualitates, & gratiam habitualement, cur eadem paritas ad præsentiam, & substantiam non poterit extendi?

Profectò nullam rationem inuenio, quæ efficaciter alteram contradictionis partem suadeat, ideo affirmo possibiles esse præsentias, & substantias, quæ sint res separabiles à subiecto, & has entitates ex præciso conceptu substantie, aut præsentie non habere rationem modi, quam habent actio, passio, & vnio præcisè ex prædicatis genericis actionis, passionis, & vnionis, quæ essentialiter sunt modificationes actiu, passiu, & vnibilis. Similiter affirmo possibiles esse præsentias, & substantias per se ipsas vnitas subiectis habentes secum identificatâ rationem vnionis, ex vi cuius sint modi subiectorum, quæ afficiunt, in quo nullam inuenio repugnantiam. De præsentis, & substantis, quæ de facto sunt, non improbabiler posset dici eum Arriag. esse res, & non modos, quia sicuti ex separatione quantitatis inferimus albedinem, gratiam habitualement, & alia huiusmodi accidentia posse à subiectis separari, etiam si ex prædicato vniuersali albedinis non repugnet habere secum vnionem identificatam: sic possumus eandem rationem extendere ad præsentiam, & substantiam paritate desumptâ ab eadem quantitate, nulla enim efficax ratio reddi potest, propter quam licet ex quantitate arguere ad alia accidentia, & alias formas substantiales, quas nunquam vidimus à materia separari, & non liceat eadem paritate arguere de præsentia, & de substantia.

Potest etiam satis pobabiler dici paritatem quantitatis extendendam non esse ad præsentiam propter nimiam illius imperfectionem, est enim accidens longè imperfectius quatuor primis qualitatibus, & secundis, ex his resultantibus, & aliis qualitatibus, & accidentibus, quæ à paritate quantitatis inferimus esse res separabiles à propriis subiectis. Propter eandem rationem non licet arguere substantiam esse rem à paritate formarum substantialium, quibus substantia est longè imperfectior neque à paritate aliorum

accidentium, quia, etsi quatenus est substantia perfectior sit accidentibus, est tamen intra proprium genus substantiæ entitas valde imperfecta, & demptâ perfectione, quam habet ex genere substantiæ, intra quod contrahitur ad propriam differentiam, imperfectiori modo contrahit substantia proprium substantiæ genus, quam calor, & impulsus, color, & aliæ huiusmodi qualitates genus accidentis. Insuper imperfectio præsentia, & substantiæ ex eo cognoscitur, quod virtutem non habet actiuam ad aliquem effectum producendum, quam habent alia accidentia; calor enim calorem producit, impulsus motum localem, color, & sapor species intentionales, visus, & gustus, & sic de quibuscunque aliis entitatibus, quæ modi non sunt. Quod si dicas, substantiam suam producere præsentiam, & præsentiam suam producere durationem, quidquid de hoc sit, Respondeo hos effectus communes esse omnibus entitatibus, & imperfectio præsentia & substantiæ inferitur ex se eo quod illis ad alios effectus producendos virtus non inest, quæ agnoscimus in omnibus entitatibus, quæ modi non sunt. Ex imperfectio harum entitatum infero, ex quantitate & qualitate, aliisque formis accidentalibus non licere à paritate ad illas procedere, ut dicamus illas esse res, & non modos, quo fundamento destructo vires refumit ratio, quam adduxi supra, ad probandum huiusmodi entitates modos esse, & non res, quæ frequenter P. Soar, & alij authores vtuntur. Omnibus entitatibus danda est minor distinctio, quæ potest illis concedi, neque aliqua danda est absque positiua ratione, sine qua sufficienter possunt explicari, sed præsentia, & substantia sufficienter explicantur cum distinctione modali, neque aliquo positiuo argumento cogimur asserere posse à suis fundamentis separari, & illarum aliquam distinguere à proprio subiecto, ut rem à re: ergo non dicendum est ita distinguere, sed tantum ut modum à re. Accedit harum entitatum imperfectio, quæ non solum quantitatem infringit, quæ ex aliis formis posset sumi ad probandum esse res, & non modos; sed etiam nonnullam præbet coniecturam ad affirmandum modos esse, & non res: omnibus enim rebus, quas agnoscimus perfectiori modo propria genera contrahendi conuenit. Ut communi sententiæ omnium ferè Doctorem asserentium præsentiam, & substantiam modos esse, & non res subscribam, rationi supra dictæ supersedeo, & affirmo præsentiam, & substantiam modos esse, & non res: agnosco tamen partem hanc non posse ratione aliqua efficaci probari, verum tamen certum mihi est oppositæ sententiæ adæquatè satis fieri, quæ non fortioribus aliis argumentis fulcitur, quod sufficiens est ad communioris sententiæ amplectendam.

8 A paritate substantiæ increatæ Verbi nonnulli intendunt probare substantiam creatam esse modum, quia illa modalis est inseparabilis à propria natura. Alij à paritate eiusdem increatæ substantiæ volunt inferre substantiam creatam esse rem, quia illa valet alienam naturam terminare. Neutrum tamen licet inferri, quia substantia Verbi est identificata cum propria natura, ex quo capite præcisâ ratione modi illi inseparabilitas à natura competit. Deinde est infinita, ex vi cuius valet non relicta propria natura, sue modus sit, siue res alienam naturam terminare. Addo strictè loquendo substantiam creatam, neque esse modum naturæ diuinæ, neque habere rationem rei, ut oppositam rationi modi respectu eiusdem naturæ, quia ab illa non distinguitur, & huiusmodi respectus rei, & modi, tantum inter illa, quæ realiter distinguuntur propriè reperitur.

9 De duratione, si accidēs esset physicum rei duranti superadditum, eodè modo, ac de præsentia esset philosophandum, & de existentia si ab essentia realiter distingueretur idè iudicium, ac de substantia ferèdum esset, ob easdè rationes.

PUNCTUM VII.

De distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinata.

1 Docuit P. Ruissus tract. de scientia disp. 8. sect. 6. n. 3. ob eximiam eruditionem in his iure credendus, inter antiquos Scholasticos inauditam fuisse diuisionem, quam modò magni faciunt Thomistæ diuidentes distinctionem in distinctionem rationis ratiocinantis, & distinctionem rationis ratiocinata. Distinctio rationis ratiocinantis est illa, quæ fit absque vilo fundamento in re, ut cum ego dico Petrus est Petrus, & Petrum à se ipso distinguo. Distinctio

rationis ratiocinata est illa, quæ fit cū aliquo fundamento in ipsis rebus, ex vi cuius mente partior re physicè vni in duplicem formalitatem, quarum neutra scilicet sumpta dicitur in adæquatam rei; nam licet per conceptum formalem vtriusque formalitatis idem obiectum reale exprimitur, neuter horum conceptuum ut distinctus ab alio eradicat, attingit totum id, quod est in re, vel quia rem non attingit in ordine ad omnia connotata, in ordine ad quæ essentia rei adæquatè exprimitur, si præcisiones ex parte obiecti non admittuntur, vel quia non attingit aliud prædicatum realiter identificatum cum illo, quod respicit tanquam obiectum formale, quod ad essentiam eiusdem rei spectat, si præcisiones obiecti admittendæ sint, de quo Puncto proxime venturo, & ita quomodocūque fit conceptus iste, vel ex defectu connotati, sine quo tota essentia rei adæquatè exprimi non potest, vel ex eo quod non tangat in obiecto primario omnes formalitates identificatas, non exprimit totum quod est in re, neque exhaurit totam obiecti cognoscibilitatem. Huiusmodi est actus quo separo, siue ex parte actus, siue ex parte obiecti, formalitatem animalis à formalitate rationalis, siue præcisè apprehendendo animal nihil de rationali cogitando, siue positiuè apprehendendo animal, & apprehendendo rationale formaliter ut distinctum.

P. Vasquez 1. parte disp. 117. cap. 3. n. 8. hanc diuisionem distinctionis negauit, & asseruit omnem distinctionem formalitatum realium, quæ realiter in eodem subiecto reperitur esse distinctionem rationis ratiocinata cum fundamento in re. Mouetur doctissimus Pater ex eo, quod distinctio illa quam rationis ratiocinantis authores appellant propriè non fit distinctio, sed eiusdem conceptus geminatio, ex vi enim illius non formalitates, adhuc mente præcindo, sed easdem repeto, cum enim dico Petrus est Petrus non aliquid adhuc mente diuersum apprehendo ex parte subiecti, & ex parte prædicati, sed idem semel apprehensum ex parte subiecti iterum eodem modo apprehensum ex parte prædicati repeto, quod est eodem modo se gerere cum eodem conceptu ac si esset duplex, quod bene explicat Hurt. exemplo hominis secum loquentis, & interrogantis se, qui non seipsum à se ipso distinguit, sed secum ipso, quem à se indistinctum apprehendit eodem modo se gerit, ac si esset distinctus. Sic explicant hanc distinctionem rationis, P. Soar. in Metaph. disp. 7. sect. 1. n. 5. P. Didacus Ruiz sect. 6. citat, P. Alarcon tract. 9. disp. 2. c. 8.

Duplex fundamentum mediatut Vasquez distinctionis quæ rationis ratiocinata dicitur, quamque ipse tantum propriè distinctionem esse dicendam iure censet. Primum est, nossemus imperfectus modus cognoscendi, qui res, non vt sunt in se, neque per proprias species apprehendimus. Secundum est, nos intelligere res relatè ad aliqua distincta realiter, v. g. intelligimus animal relatè ad sensationes, rationale relatè ad intellectiones, & discursus; & cum videamus has operationes distinguere realiter, & in equo separari sensationes ab operationibus ratiocinandi, fundamentum desumimus ad distinguendum per intellectum animal à rationali, & concipiendum animal ut prædicatum quoddam commune homini & equo, quia homini & equo communes sunt sensationes similes, in ordine ad quas prædicatum animalis percipimus. Prius fundamentum ex his in nostro intellectu esse ait Vasquez. Posterius verò in rebus existentibus extra intellectum in ordine ad quas concipiuntur formalitates illæ realiter identificatæ quæ mente distinguuntur, non verò in ipsa re distincta, seu in formalitatibus distinctis, quia in ipsis, neque est distinctio aliqua, neque pluralitatis vestigium.

Prius fundamentum in nostro modo intelligendi constitutum non ego reduco ad cognitionem abstractiuam, & per alienas species factam, ostendi enim Controv. 5. de anima, Punct. 4. cognitionem intuitiuam, & per proprias species exercitam præcisam esse posse, & non opponi rationem intuitiuam cū ratione præcisæ cognitionis, sed cum ratione cognitionis abstractiue, quam ibi latè explicui. Caterum cognitionem præcisam esse, semper oritur, etsi non ex positiua aliqua imperfectioe, ex limitatione perfectionis, & quia non est adeò perfectæ vt penetret totam entitatem quam attingit, ita nihil illius lateat. Ideo cognitio directæ Dei circa aliquod obiectum præcisam non est, neque Deus præcisè distinguit inter formalitates identificatas, neque beatorum cognitio clara Dei præcisam est alicuius formalitatis pertinentis ad rationem constitutiuam essentia

essentia diuina, neque ad constitutionem personarum, neque attributorum Dei, alicuiusve formalitatis, quæ in Deo libera non sit, bene tamen præcisa dicitur respectu decretorum liberorum Dei, quia omnia penetrat beatus, ita ut possit dicere, Deus apud se statuit hoc facere, neque ex eo quod Deum videat, aliquid huiusmodi decretum liberum Dei necessariò cognoscit, sed omnia non sciet, nisi Deus velit aliquid illi reuelare. Doctrinam hanc inuenio apud N. Ruisium t. de scientia, disp. 8. sect. 8. num. 4. ubi ait sufficiens fundamentum reperiri ad distinguendas per rationem formalitates diuinas in infinitate Dei etiam respectu intellectus beati. Quia intellectio creata Deum comprehendit ex quo prouenit, ut pluribus intellectioibus etiã beatificis, possit melius penetrari diuinitas.

5 Ceterum hoc fundamentum, quod ex nostro modo cognoscendi desumitur sufficiens est ad hanc præcisionem, seu distinctionem præcisiuam prædicati realiter cum alio identificato independentem à quibuscumque connotatis, & à fundamento aliquo ex ipsa re desumpto. Patet hoc in sensatione externâ coloris albi longè distantis, ex vi cuius aded imperfectè hunc cerno colorem, ut sensatio illa non discernat speciem coloris, sed illam cum aliis speciebus confundat, non quia actu sensatio illa species alias coloris attingit, sicut intellectus dicitur confundere distinctas species animalis, cum illas omnes conceptu quodam confuso cognoscit instar vnius animalis, sed quia est tantum speciem illam coloris præsentem agnoscit, aded imperfectè illam attingit ut ex vi illius sensationis non possit sensus discernere inter illam speciem, & aliam, quam tunc sentit, vel quam posset sentire, neque huiusmodi sensatio fundamentum dat intellectui ad discernendam speciem coloris, ex vi illius cognitam, ab alia specie coloris, quam potest cognoscere, vel tunc cognoscit. Itaque huiusmodi sensatio, & cognitio quæ illam consequitur, ita est præcisa ut tantum attingat vnum obiectum singulare & non aliam cum quibus illud confundit, dicuntur tamen sensatio, & cognitio, quæ illam consequitur suum obiectum confundere, quia ita illud attingunt ut si postea sensatio illa perfectè attingeret alium colorem specie distinctum, & cognitio, quæ hanc sensationem cõsequeretur eundem calorem distingueret ab aliis, quos expressè cognosceret sub determinatis speciebus constitutos, non valeret discernere inter hunc colorem modò perfectè cognitum, & illum imperfectè cognitum, sed dubius maneret an esset idem in specie modò perfectè cognitum, quem scit ad hanc speciem pertinere, & color alius imperfectè cognitus, atque sensatio, cuius speciem imperfectè valde cognouit.

6 Explicandum est modò, an fundamentum ex rebus ipsis desumptis sufficiens sit ad inducendam hanc distinctionem rationis, verumtamen, ut difficultas hæc opportunè decidatur, prius explicandum est, quodnam sit hoc fundamentum. Docuit Vasquez modò citatus fundamentum hoc non desumi ex re ipsa, quæ per intellectum distinguitur, sed ex aliis distinctis, in ordine ad quæ cognoscitur. Exempli gratia: distinguo ego per rationem animal à rationali, fundamentum distinctionis non est formalitas ipsa animalis, & formalitas rationalis, sed operationes distinctæ in ordine ad quas has operationes cognoscimus. Sic in rebus creatis contingere credo, quia si non ego agnoscerè operationes quas tribuimus prædicato animalis, nunquã ego prædicatum animalis à rationali distinguerem, & ita proximum fundamentum distinctionis in prædicatis creatis ex illorum operationibus desumo. Ceterum ut bene vidit Ruisius t. de Trinit. disp. 12. sect. 4. n. 1. maius fundamentum reperitur in Deo ad distinguendas per rationem relationes ab essentia, quàm in aliis entitatibus ad distinguendas formalitates inter se distinctas, quia fundatur in hoc quod dentur tres relationes realiter inter se distinctæ, & identificatæ cum ipso, quod sufficiens est ad hanc distinctionem rationis secluso quocumque alio effectu distincto realiter ab ipso Deo. Quapropter existimo in ipsis formalitatibus in Deo realiter identificatis, & per rationem distinctis dari fundamentum ad hanc distinctionem rationis. Secundò per ordinem ad Verbum productum in Deo per intellectum, & non per voluntatem, & per ordinem ad Spiritum sanctum productum per voluntatem, & non per intellectum sufficienter possumus per rationem distinguere in Deo intellectum, & voluntatem, fundamento desumpto ex terminis productis, qui realiter non distinguuntur à potentia intellectiua, & volitiua Dei, quas per intel-

lectum distinguimus. Hæc, & alia fundamenta distinguendi per rationem in Deo formalitates reales identificatas adducit Ruisius t. de scientia, disp. 8. sect. 8. eandem doctrinam tradit P. Soar. disp. 7. Metaph. sect. 1. n. 4. ubi asserit fundamentum distinctionis ratiocinatæ non esse distinctionem aliquam veram, quæ in re sit, sed eminentiam ipsius, quæ à multis solet appellari virtualis distinctio. Hanc distinctionem virtuale fundamentum esse distinctionis rationis in communi sententia testatur Merinero in Logic. cap. 1. disp. 1. quæst. 2. sect. 1. num. 71. quam affirmat illos, qui melius sentiunt constituisse cū Cajetano l. p. q. 39. art. 1. s. ad secundum, in hoc, quod prædictæ formalitates, ita sua propria munera singulæ exerceant, ac si essent realiter distinctæ, de qua distinct. latè egi Punct. 4. Concludo ex his fundamentum distinctionis rationis inter formalitates creatas identificatas semper sumi ex rebus distinctis, ad quas dicunt ordinem, fundamentum verò distinguendi formalitates increatas, sæpe non distingui realiter ab ipsis formalitatibus diuinis, quas mente præscindimus.

7 Fundamenta hæc assignata, distinctioni ratiocinatæ adhuc respectu intellectus diuini talia esse, & Deum cogere ad formalitates præscindendas, docent Agid. de Præsent. t. 1. de beat. lib. 5. q. 6. art. 10. §. 2. & alij apud ipsum, quos sequutus est Arriag. disp. 7. Logicæ, sect. 4. subsect. 3. ubi ex Trinitatis mysterio, & veritatibus obiectiuis, quas in se continet, infert dandas esse præcisiones ex parte obiecti cognitæ, cum cognoscitur essentiam communicari, & non Paternitatem, Filiationem produci, & non essentiam, adhuc respectu intellectus diuini cognoscentis hæc obiecta quæ præcisiones dicunt distinctionem rationis inter formalitates mente præcisas, & realiter identificatas. Melius affirmant P. Vasquez supra & P. Soar. loco citato Metaph. & disp. 54. sect. 2. n. 25. & lib. 4. de Trinit. cap. 35. & Ruisius supra hæc fundamenta tantum esse respectu intellectus imperfectè cognoscentis, & per alienas species, & non respectu Dei, neque beati cognoscentis ut est in se, quia id, quod viator in mysterio Trinitatis cognoscit per hæc duo prædicata *communicatur, & non communicatur*, quæ nobis apparent ut contradictoria, si in ordine ad duo subiecta non illa comparamus, & ideo mente præscindimus essentiam & Paternitatem, ut de hac non communicari, & de illa communicari dicere possimus, beatus apprehendens Deum Trinum ut est in se apprehendit per simplicissimum conceptum in essentia, & paternitate tanquam in simplicissima entitate absque vlla contradictione, sicut enim in se, neque implicationem, neque distinctionem inter essentiam, & Paternitatem dicit mysterium, sic beatus perfectè mysterium sine contradictione, & sine distinctione inter essentiam, & relationes perfectissimè cognoscit.

8 Alia sunt fundamenta, quæ Deum cogunt cognoscere distinctionem rationis inter formalitates realiter identificatas, & alia entia rationis, per iudicium, quo censet talem distinctionem esse obiectum creatæ cognitionis, & rationale ut distinctum ab animali esse obiectum eiusdem cognitionis, de quibus dicam Controu. 12. Punct. 3.

PUNCTUM VIII.

De distinctione rationis, seu de præcissione inter gradus vniuersales, & quascumque formalitates identificatas.

§. I.

Explicatur difficultas, & varia proponuntur sententia

1 Duplex est præscindendi modus inter formalitates identificatas, quidam ex parte actus, alij ex parte obiecti. Præcisio ex parte actus est illa, ex vi cuius intellectus media cognitione attingit totam rationem realem adequatam in obiecto repertam secundum omnes formalitates, quas in se claudit, cum ordine ad has operationes tenentes se ex parte obiecti indirecti, & in obliquo terminantes hanc cognitionem, & non cum ordine ad alias quas eademmet virtus intrinsecè potest producere, & in ordine ad quas posset cognosci, & de facto cognoscitur per aliam cognitionem, quæ cognitio non dicitur præcisiva ex parte obiecti, quia attingit omnes formalitates intrinsecas obiecto, & dicitur præcisiva ex parte actus, quia ita illas omnes attingit, ac si attingeret tantum formalitatem quamdam

quamdam respicientem tantum illos actus, qui se tenent ex parte obiecti indirecti, & non ipsam, neque aliam respicientem alios actus, qui non se tenent ex parte obiecti indirecti, ad quos neque in obliquo terminatur cognitio. Rem declarat exemplum: inest homini virtus productiva, siue formalis, siue radicalis eadem omnino producendi actus sentiendi, & ratiocinandi, qui omnes ab eadem physica virtute procedunt; apprehendit quis totum hominem, seu totam hanc virtutem cum homine identificatam tanquam obiectum directum, & tanquam obiectum indirectum operationes tantum sentiendi; tunc totum obiectum directum apprehensum, quod in re, & ex parte obiecti terminantis cognitionem est totus homo, & totum principium ratiocinandi, & sentiendi dicitur tantum principium sentiendi, quia tantum apprehenditur connotatis sensationibus, & tunc ex parte actus dicitur praescindi principium sentiendi à principio ratiocinandi, seu animal à rationali, & sine isto illud apprehendi. Si vero eademmet entitas, seu idem principium apprehenderetur secundum se totum, & idem omnino ex parte obiecti directi cum alio obiecto indirecto connotatis videlicet ratiocinationibus, & non sensationibus, principium illud, quod in re, & ex parte obiecti esset principium sentiendi, & ratiocinandi, diceretur tantum ex parte actus principium ratiocinandi, & tunc ex parte actus diceretur apprehendi rationale non apprehenso animali, & ab hoc illud praescindi. Dum si hoc principium apprehenderetur connotatis sensationibus, & ratiocinationibus diceretur homo, & principium sentiendi, & ratiocinandi absque vlla ipsorum praecisione per modum vnius principij indivisibilis apprehenderentur. Itaque secundum hunc dicendi modum animal praecise cognitum absque rationali, & rationale praecise cognitum absque animali, & homo, in quo est animal per rationale contractum, dicunt ex parte obiecti eandem inseparabilem formalitatem, quae connotatis tantum sensationibus dicitur animal, & connotatis tantum ratiocinationibus dicitur rationale, & connotatis simul sensationibus, & ratiocinationibus dicitur homo.

2. Praecisio obiectiva est illa, ex vi cuius non solum connotata oblique cognita sunt distincta, sed etiam ex ipsis formalitatibus obiecti directi realiter identificatis intellectus vnam ab alia separat, & hanc attingit, & non illam, vel saltem hanc attingit expresse, & illam in se ipsa non eadem attingit expresse. Secundum hunc dicendi modum cognitio, ex vi cuius praescinditur animal à rationali, attingit principium sentiendi connotatis sensationibus, & non attingit principium ratiocinandi, quod non est tantum non attingere ratiocinationes, sed non attingere in obiecto directo formalitatem illam, cui correspondent ratiocinationes, quae formalitas est principium discurrendi. Itaque secundum utrumque praescindendi modum attinguntur diversae connotatae quando apprehenditur animal sine rationali, & quando apprehenditur rationale sine animali, sed cum hac differentia, quod praecisio ex parte actus tota sistit in diversis connotatis oblique cognitis, ex vi quorum cognita semper eadem formalitate ex parte obiecti directi, modo dicitur his connotatis cognosci animal, non cognitio rationali, modo aliis connotatis cognosci rationale sine animali; praecisio vero obiectiva ex diversitate connotatorum procedit ad diversas formalitates in obiecto primario attingendas, & cognitio connotans tantum sensationes ut obiectum indirectum pertingit in obiecto primario praecise principium illarum, & non principium ratiocinandi, et si cum illo sit identificatum. His positis.

3. Communis sententia vim tribuit intellectui praescindendi ex parte obiecti formalitates realiter identificatas; ita P. Vasq. r. p. disp. 17. c. 2. & alij apud illum, & vniuersim Thomistae. Fuit sententia haec in Scholis frequentissima, licet nullus ex antiquioribus Scholasticis, quaestionem hanc prodignitate tractauerit, quia cum omnes convenirent gradus inter se identificados per rationem distingui, parum de natura huius distinctionis, seu praecisionis curarunt. In his qui praecisiones obiectivas admittunt, plerique illorum affirmant tantum has fieri posse per cognitionem abstractivam, alij per intuitivam etiam fieri posse defendunt, quos hic non refero, quia ex suppositione quod fieri possit per cognitionem abstractivam, specialiter disputare an fieri possit per intuitivam, non tam est de praecisionibus agere, quam de natura cognitionis intuitivae, de qua egi Controv. 6. Punct. 4.

4. Secunda sententia vim denegat intellectui praescindendi ex parte obiecti inter formalitates realiter identificatas,

& tantum praecisiones ex parte actus admittit. Fuerat haec sententia longa obliuione sepulta, his vero temporibus multum lucis, praecipue à nostris recentioribus accepta, qui huius quaestionis difficultates diligenter euoluunt, & sententiam hanc acutè dilucidant. Hanc tradidit Hurtado, disp. 6. sect. 4. subsect. 3. apud quem citatos reperies Nominales, qui illam primò tradidit, & alios auctores, in quibus noſter Soar. quos vult Hurtado. pro hac stare sententia, quorum mentes examinare longum esset. Refertur etiam pro eadem sententia ab eodem Hurtado Angelicus Doctor, cuius plura adducit testimonia, quibus videtur sententiam expresse tradidisse. Conſentit Arriag. disp. 5. Logice sect. 2. cum limitatione tamen, asserit enim posse intellectum humanum in formalitatibus diuinis realiter identificatis vnam ab alia praescindere, licet in creatis tantum possit ex parte actus praecisionem istam praestare.

Recentes quidam à nostris aliam mediam viam suam menditati, & cum distinctione quaestionem decidunt; asserunt enim secundum opinionem concedentem virtuti productivae connexionem essentialiam cum effectu possibili, obiectivas praecisiones esse necessario admitendas, in opinione vero, quae hanc connexionem in causis cum effectibus, adhuc possibilibus, non agnoscit; sed asserit repugnante effectu eandem virtutem productivam illius permanentiam, praecisiones obiectivas non esse concedendas, sed tantum ex parte actus admitendas esse in principio realiter distincto operationum distinctarum, quibus per intellectum distincta formaliter attribuimus principia tantum praecisionis beneficio diuisa. Addunt praedicti recentiores in entitatibus modalibus necessario has praecisiones esse admitendas propter connexionem essentialiam, quam habent cum rebus cuius sunt modi. Item in ente increato propter Trinitatis mysterium, & alia propria Dei, quae sine distinctione praecisiva ex parte obiecti explicari nequeunt.

S. III.

Media quadam sententia recentiorum exploditur.

Ante omnia reiicienda est sententia illa recentiorum, qui diverso modo philosophantur de virtute productivae intrinsece connexa cum possibilitate effectuum, & de virtute non habente talem connexionem, contra quam arguo modo, probando eodem modo philosophandum esse, siue haec connexio reperitur in causis, siue independenter existant ab omni possibilitate effectuum.

Arguo primò: Causa non ex eo cognoscitur cognito effectu, quia ipsa connexa sit cum effectu, sed quia effectus est connexus cum ipsa, connexio enim non requiritur in illo, quod medio alio cognoscitur, sed in eo quod medium est, ut aliud cognoscatur, non enim requiritur consequens esse connexum cum antecedenti, sed antecedens esse connexum cum consequenti, ut fiat legitime illatio, ut per se notum est: ergo siue principium sentiendi, & principium ratiocinandi sint connexa cum sensationibus & ratiocinationibus, siue cum illis nullam habeant connexionem, eodem modo cognoscuntur mediis suis operationibus, & eodem modo operationes determinabunt intellectum ad cognoscenda principia, à quibus procedunt: ergo si seclusa connexionem principij ad operationes sentiendi, hae ducunt in cognitionem principij sentiendi, & principij ratiocinandi identificati cum sentiendi principio, posita connexionem in principio sentiendi, sensationes eodem modo ducunt in cognitionem principij sentiendi, & ratiocinandi, vel si posita connexionem sensatio ducit tantum in cognitionem principij sentiendi, & non ducit in cognitionem principij ratiocinandi seclusa connexionem ex parte principij sensatiui eodem modo ducit in cognitionem sui principij. Confirmatur: ablata connexionem principij cum effectu adhuc possibili, adhuc remanet in ipso effectu connexio cum causa: sed haec connexio effectus cum causa, est, quae determinat intellectum ut medio effectu cognoscat causam siue absolutam, siue respectivam: ergo permanet idem medium ad terminandum intellectum: ergo intellectus eodem modo determinabitur. Si dicas ablata connexionem ex parte causae, auferri etiam ex parte effectus, aperte falleris, quia quantumvis causa sit non connexa cum effectu, existentia effectus necessario est connexa cum aliqua causa, implet enim existere effectum, quin existat productus ab aliqua causa illi coexistente. Deinde Controv. 10. Puncto tertio, probabo

probabo causam non esse connexam cum effectu, adhuc possibile, & possibilitatem causæ esse connexam cum causâ à qua existens non potest non dependere, & omnem actionem etiam præcisè, ut possibilem esse connexam cum possibilitate causæ, à qua existens potest dependere, à qua non poterit non dependere, cum per se ipsam non debeat.

8 Secundò contra eandem sententiam sic arguo: Etiam si virtus sensitua in homine non sit connexa cum sensationibus, neque virtus ratiocinativa cum ratiocinationibus, neutra concipi poterit sine ordine ad proprias operationes, saltem apprehensiuè cognitæ, et si hæc virtutes sint connexæ, siue connexæ non sint, cognoscuntur semper in ordine ad eodem terminos: ergo, siue ab sit, siue adsit connexio inter principia, & operationes, eadem erit ratio præcise, vel non præcise inter hæc principia realiter identificata. Idem argumentum conficio de operationibus, quæ eodem modo connotat principia à quibus procedunt, quacumque connexione posita, seu ablata principiorum ad operationes, & operationum ad principia, semper enim sensatio tribuitur homini formaliter ut sensatio, & non ut rationali, & ratiocinatio tribuitur homini formaliter ut rationali, & non ut sensitui: ergo operationes eodem modo ducunt in cognitionem suorum principiorum posita vel ablata quacumque connexione.

9 Ultimo si ratiocinatio refertur ad principium ratiocinandi, refertur ad omne id quod est identificatum cum principio ratiocinandi, & si sensatio refertur ad principium sentiendi, refertur ad omne id, quod est identificatum cum principio sentiendi: ergo si ratione huius relationis ducit in cognitionem sui principij, non magis ducet in cognitionem huius formalitatis, quam illius identificatæ cum suo principio, quas omnes tanquam terminum indiuisibiliter respiciet. Antecedens constat ex dicendis Controuers. 10. Punct. 6. ubi probabo relationem inter causam, & effectum non terminari ad rationem aliquam præcisam, sed ad omnes rationes etiam indiuisuales realiter identificatas. Similiter ob eandem rationem si rationale connexum est cum ratiocinatione, eandem connexionem habebit sensitiuum identificatum cum rationali respectu eiusdem ratiocinationis; implicat enim ex duabus formalitatibus realibus, quæ realiter neque diuinitus separari possunt, hanc & non illam esse connexam cum eodem termino, ut per se notum est: ergo ratione huius connexionis utraque formalitas æquè cognoscetur media sensatione, & utraque formalitas præcisè secundum id, quod intrinsecè dicitur, æquè ducit in cognitionem eiusdem sensationis. Tam si nulla sit connexio inter principium operationum, & ipsas operationes, nullam esse rationem propter quam hæc operatio magis ducat in cognitionem huius formalitatis quam illius cum illa identificatæ, sententia est horum recentiorum: ergo nulla est disparitatis ratio in ordine ad præcisiones obiectiuas, siue inter causas & effectus reperitur, siue non reperitur connexio.

10 Dices ratiocinationem ducere in cognitionem principij ratiocinandi, & non sentiendi, quia principium ratiocinandi ut principium ratiocinandi est continentia ratiocinationis, & principium sentiendi, ut principium sentiendi non est continentia ratiocinationis. Dicam postea ratiocinationem realiter æquè contineri in principio ratiocinandi, & principio sentiendi cum principio ratiocinandi identificato; sed esto quod intendit obiectio, hoc æquè procedit in sententia instituentem causas connexas cum possibilitate effectuum, & in sententia, quæ negat hanc connexionem: ergo in utraque sententia præcisiones obiectiuæ admittendæ sunt, & in utraque negandæ, quod tantum ego intendo modò contra recentiores, cum quibus certo. Valeat ergo hæc sententia nullo authoritatis, neque rationis pondere stabilita.

§. III.

Expendo nonnulla Hurtadi fundamenta pro sententia negante præcisiones obiectiones.

11 Arguit Hurtadus pro sententia negante præcisiones obiectiuas. Distinctio rationis est formaliter in intellectu, & non in obiecto: ergo obiectum se formaliter distinctum non est formaliter in obiecto, sed in intellectu;

ergo distinctio conceptuum non se tenet ex parte obiecti. Probat consequentiam: Vbi non est ratio, per quam aliquid constituitur distinctum; non potest esse distinctum: quia distinctum est formaliter à distinctione, sicuti album ab albedine, & ubi non est albedo, non potest esse formaliter album. Sed distinctio rationis non est formaliter in obiecto: ergo illius effectus formalis non potest esse in obiecto: ergo esse distinctum non est formaliter in obiecto: ergo non datur distinctio, seu præcisio ex parte obiecti. Primum antecedens sic probat Hurtad. Omnis actus intellectus est in intellectu: sed distinctio est actus intellectus: ergo distinctio rationis est in intellectu. Minorem probat autoritate D. Thomæ & ratione, quia distinctio est consideratio vnius sine alio, quæ formaliter in actu intellectus consistit.

Respondendum est distinctionem consistere in actu intellectus, & esse subiectiuè in intellectu, & non in obiecto; terminari tamen ad obiectum quod constituitur distinctum ex eo præcisè, quod actus, qui est distinctio, terminatur ad illud, sicuti constituitur cognitum, per cognitionem ad illud terminatam, etiam si cognitio non sit in obiecto, sed in intellectu; formæ enim extrinsecæ non debent esse in illo, cui tribunt denominationem sed in hoc existente tribunt denominationem illi, in quo non existunt, ut patet in ipsa cognitione, quæ existit in potentia, & denominat cognitum obiectum, & in actione, quæ subiectatur in passio, & denominat principium actuum actus efficiens, & actum primum constituit in actu secundo, & formaliter priorem effectu, etiam si ipsa actio non sit in actu primo, ut dicebam Controuers. 6. Physic. Punct. 3. Instat Hurtad. distinctio non est in obiecto, sed in potentia: ergo cognitio non attingit duas formalitates sibi respondentes ex parte obiecti ut obiectum distinguitur adæquatè à cognitione. Probat consequentiam: obiectum ut distinctum à cognitione non habet plures formalitates: ergo cognitio ut distincta ab obiecto non attingit plures formalitates; quia implicat attingi in obiecto id quod in obiecto non est. Confirmatur: pluralitas ipsa formalitatum consistit in distinctione formalitatum, quæ est cognitio: sed cognitio præcisua non attingit ipsam cognitionem, neque est reflexiua supra se ipsam: ergo non attingit pluralitatem formalitatum: ergo non attingit plures formalitates, quæ sine pluralitate attingi nequeunt. Non vrgit Hurtad. ratio, respondeo enim in obiecto ut distincto à cognitione non esse plures formalitates pluralitate distincta à cognitione, hoc est non plures formalitates, quæ antecederent ad ipsam cognitionem sint plures, esse tamen rationem illam, quæ per ipsam cognitionem diuiditur, seu partitur in plura non physicè, sed intentionaliter. Ad confirmationem respondeo cognitionem non attingere se ipsam, & ita non attingere ex parte obiecti pluralitatem, neque plures formalitates formaliter ut plures, sed constituere formaliter obiectum, quod attingit physicè vnum, plura intentionaliter, seu respectu intellectus, & constituere plures formalitates, id, quod in se est vnum, & formaliter diuisum respectu intellectus id, quod in se inestibile est; non quia cognitio respiciat pluralitatem, aut diuisionem ex parte obiecti, sed quia est pluralitas, & diuisio, & terminatur ad obiectum; sicuti cognitio constituit obiectum cognitum, non quia terminetur ad cognitionem, sed quia terminatur ad obiectum, quod ex eo præcisè quod cognitio terminetur ad illud, constituitur cognitum: sic cōtingit in generatione, quæ respicit terminum non in se genitum, sed capacitatem generandi, & illum genitum constituit, etiam si generatio ipsa ad generationem non terminetur. Sic diuisio, seu pluralitas intensionalis constituere potest obiectum plura formaliter, etiam si obiectum antecederet ad ipsam non sit plura, & cognitio illius, quæ formaliter est diuisio, non ad se ipsam, sed tantum ad ipsum obiectum terminetur.

Arguit secundò Hurtadus: Sumatur ex vna parte actus, 13 quo cognoscitur animal, & alius actus, quo cognoscitur rationale. Antequam cognoscatur animal non habet ex parte sui aliquid, per quod formaliter sit aliud à rationali: ergo cognitio de animali non attingit illud, quasi aliud à rationali, & consequenter non cognoscit animal sine rationali. Antecedens, quod ego non negabo, latè probat Hurtad. & postea redit ad rationem supra factam: aliter est ipsa cognitio, cognitio præcisua animalis non terminatur ad se ipsam: ergo non terminatur ad alietatem: ergo non cognoscit animal ut distinctum à rationali: ergo non illud

illud cognoscit sine rationali. Respondeo facile ex doctrina tradita in solutione præcedentis argumenti, animal antequam cognoscatur nihil habere per quod sit aliud à rationali, sed illud formaliter constitui aliud per cognitionem. Ad formam argumenti concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo cognitio præcisa animalis non cognoscit illud, quasi aliud à rationali, ita ut animal formaliter ut aliud, & aietas ipsa se teneat ex parte cogniti, concedo consequentiam: Non cognoscit illud formaliter constituendo aliud per ipsam cognitionem, nego consequentiam: ergo non illud cognoscit sine rationali, nego consequentiam. Aliud enim est me cognoscere animal non cognito rationali, aliud me cognoscere animal esse aliud à rationali, quod in principiis ipsius Hurtad. efficaciter probo. Animal esse aliud à rationali per intellectum præcipientem, & animal cognosci sine rationali formaliter sunt idem: ergo cognoscere animal esse aliud à rationali est cognoscere animal cognosci sine rationali, sed aliud est cognoscere animal cognosci sine rationali, aliud cognoscere animal sine rationali, quia hoc importat cognitionem directam, & illud cognitionem supra hanc reflectentem: ergo aliud est cognoscere animal sine rationali, aliud verò cognoscere animal per intellectum à rationali cognosci.

14 Testimonia, quæ ex Basilio, & Athanasio pro hac sententia adducit Hurtadus, abs re omnino sunt, hi enim Patres nihil de hac questione curabant, quæ nihil conducebat ad illa, de quibus ipsi disputabant, & tantum ad puram Metaphysicam attinet. Testimonium Basilij desumitur ex homil. 6. exam. sub initium, ubi asserit Basilius lucem creatam prima mundi conditione fuisse distinctam à Sole, & ab illo raliter separatam, & probat hanc separationem potuisse à Deo fieri, quia totum id, quod homines valent cognitione separare, potest Deus à parte rei separare. Ex quo infert Hurtadus, illa, quæ raliter identificantur, non posse ab hominibus mente præcindi, cum non valeat Deus illa physice separare. Respondeo D. Basilium tantum invidisse Deum posse separare illa, quæ nos possumus ex parte obiecti ut distincta realiter cognoscere, hoc est illa, quæ in se ipsis distinctionem habere cognoscimus, non verò, quæ præcisè nostra intellectus operatione distinguimus.

15 A Basilio hoc argumentum Anselmum esse mutuatum asserit Hurtadus qui c. 4. de Incarnat. Verbi ostendit omnipotentiam Dei non esse accidens, quia non potest concipi sine illa: verba sunt Anselmi: *Quia cum omne subiectum sine accidenti aut esse aut intelligi possit, Deus sine potestate neque esse neque intelligi potest.* Respondeo D. Anselmum rectè concludere omnipotentiam non esse accidens, quia Deus secundum totum illud, quod in se includit intrinsecè, & identicè adequatè sine omnipotentia concipi nequit. Secundò, quia licet essentia Dei posset præcindi ab omnipotentia, non potest intelligi Deus non habens omnipotentiam, sicuti intelligitur quodlibet subiectum non habens accidens physicum prædicamentale, quod potest absque sui corruptione illi adesse, & abesse. Tertio in multorum sententia, omnipotentia, & reliqua attributa pertinent ad constitutiui essentia Dei, iuxta quæ Deus non poterit intelligi essentialiter constitutus sine omnipotentia, sicuti non potest intelligi homo sine rationali. Tertio, etiam si in sensu quem contendit Hurtad. hæc sit legitima consequentia: *hoc non potest intelligi sine illo: ergo illud non est accidens*, quod inferebat Anselmus. Vnde infertur hanc esse consequentiam legitimam: hoc non est accidens illius, seu est physice identificatum cum illo: ergo non potest intelligi sine illo: potest enim dici omne illud sine quo res non potest intelligi non esse accidens, non tamen necessum est, hoc esse accidens illius, ut possit illorum quodlibet sine alio intelligi, quia hæc est bona consequentia: hæc non separantur per intellectum: ergo neque physice separantur, hæc autem mala: hæc non separantur physice, ergo neque per intellectum, quod respectu præcisionis ex parte actus Hurtadus tenetur concedere.

16 Adducit iterum Hurtadus D. Anselmum in Prologo cap. 18. ubi hæc habet: *modo non est ipsa unitas nullo intellectu diuisibilis; ergo unitas, & sapientia, & reliqua non sunt partes sui sed omnia sunt unum.* Respondeo D. Anselmum tantum intendere nullum intellectum posse cognoscere diuisionem, aut distinctionem in Deo, ex quo infert Deum esse summè unum, & non habere partes, friuolum enim est asserere

D. Anselmum inferre summam Dei unitatem ex eo, quod intellectus ex parte actus tantum, & non ex parte obiecti possit præcindere. Adde his omnibus testimoniis ab priori iure deberet intelligi de distinctione ex parte obiecti, quàm ex parte actus, si non explicarentur non solum de distinctione, ex vi cuius ipsum obiectum per intellectum præcindatur, & una illius formalitas sine alia cognoscatur, sed etiam de distinctione physica reali tenente se ex parte obiecti cogniti, quam negant Basil. & Anselm. testimoniis citatis.

§. IV.

Potissimo argumento verior propugnatur sententia.

Argumentum quod vnice præcisiones obiectus impugnat in formalitatibus identificatis, & Nominalium sententiam vnice efficacissimè propugnat sic se habet. Si cognosceretur animal, & non cognosceretur rationale cum illo identificatum, animal, cognosceretur, & non cognosceretur, & rationale cognosceretur, & non cognosceretur: hæc sunt aperta contradictoria: ergo implicat animal cognosci, & non cognosci rationale per eandem cognitionem. Maiorem probos: si cognosceretur animal per hanc cognitionem, & per eandem non cognosceretur rationale cum illo identificatum, per eandem cognitionem cognosceretur animal, ut supponitur, insuper cognosceretur animal, quod sic probo: Non cognosceretur rationale: ergo non cognosceretur id, quod est identificatum cum rationali, quia quidquid affirmatur vel negatur de aliquo, eodem modo affirmatur, & negatur de omni illo, quod est identificatum cum illo: sed animal est identificatum cum rationali: ergo non cognoscitur animal (intellige semper per hanc eandem cognitionem) ergo idem animal cognoscitur, & non cognoscitur per eandem cognitionem. Idem argumentum de rationali conficio: rationale per illam cognitionem non cognoscitur, ut supponitur; insuper cognoscitur, quod sic probo: animal cognoscitur per illam cognitionem: ergo cognoscitur quidquid est identificatum cum animali, quia quidquid verificatur de aliquo, verificatur de omni illo quod est identificatum cum illo. Sed rationale est identificatum cum animali: ergo rationale cognoscitur, & non cognoscitur per illam cognitionem.

Idem argumentum alio modo proponitur. Implicat prædicatum animalis terminare hanc numero cognitionem, & non illam terminare prædicatum rationalis: ergo implicat animal cognosci per hanc numero cognitionem, & non cognosci rationale identificatum cum animali. Antecedens probo: Implicat animal terminare vnionem physicam alicui extremo, vel actionem ab aliquo principio actiui procedentem, quin eandem vnionem, vel actionem terminet rationale: ergo implicat animal terminare cognitionem, quin terminet eandem cognitionem rationale cum illo identificatum. Probo consequentiam, & rationem à priori desumo pro antecedenti stabilendo. Ideo implicat animal terminare actionem, vel vnionem, quin terminet eandem rationale identificatum cum animali, quia sequeretur idem animal terminare, & non terminare actionem, vel vnionem: terminare, quia iam supponitur non terminare, quia non terminaret rationale identificatum cum ipso. Similiter sequeretur rationale non terminare ut supponitur, & terminare, quia terminaret animal identificatum cum rationali, quæ sunt contradictoria. Ob eandem identitatem sequeretur animal terminare cognitionem ut supponitur, & non terminare, quia est identificatum cum rationali: quod non terminat. Sed non minor est contradictio in eo quod eadem entitas terminet, & non terminet cognitionem, quàm in eo quod terminet, & non terminet vnionem: ergo sicuti implicat animal terminare vnionem, vel actionem, quam non terminet rationale identificatum cum animali propter contradictoria, quæ inferuntur, si hoc fieret, sic propter similia contradictoria implicabit, animal terminare hanc cognitionem, & non terminare eandem cognitionem rationale cum animali identificatum.

Urgeo: illa quæ in creatis identificantur vni tertio necessario inter se identificantur. Sed id, quod formaliter terminat cognitionem, ex vi cuius dicis præcindi animal à rationali, identificatur cum animali, & rationale identificatur

fiatur cum eodē animalis: ergo rationale identificatur cum illo, quod formaliter terminat cognitionem. Claris: quod terminat hanc cognitionem est prædicatū animalis, rationale est idem prædicatū animalis: ergo rationale terminat hanc cognitionem: ergo rationale cognoscitur per illā cognitionem: insuper non cognoscitur, quia ex vi illius cognitionis tantum cognoscitur animal rationali non cognito: ergo ex vi illius cognitionis rationale cognoscitur, & non cognoscitur. Alio modo eandem ferē difficultatem propono: Implicat ex duabus formalitatibus creatis vnam identificari cum alia tertia, & non identificari alteram cum eadem: ergo implicat animal identificari cum formali termino huius cognitionis, & rationale identificatur cum animali non identificari cum eodem termino: ergo implicat animal esse terminum cognitionis, & rationale non esse terminum huius cognitionis: ergo implicat animal cognosci per hanc cognitionem, & rationale per eandem cognitionem non cognosci.

20 Vulgaris solutio fuit argumento præcedenti, sufficere distinctionem rationis ad hoc vt vnum prædicatum sine alio cognoscatur, & vt possit dici de illo esse cognitum, etiam si de alio secum identificato negetur, quia prædicationes fiunt de rebus prout intellectu obiectantur, & ita sufficit prædicata obiecti vt distincta, ad hoc vt de illis distincta prædicata enuncientur. Multis peccat hæc solutio: si enim illius doctrina vera esset, multa possent componi distinctione rationis, quæ apertam inuoluunt implicationem, posset enim dici de rationali esse vnitū, & de animali identificato cum illo idem prædicatum negari, & posse rationale Petri esse Matriti, & animal Petri non esse Matriti hac rationis distinctione intercedente. Non ergo distinctio rationis potest deferuire, vt ea quæ a parte rei sunt idem, eidē enti cōueniant, & non cōueniant a parte rei, sed vt ego per intellectū hoc attribuiam huic prædicato, & non illi, quia distinctio rationis non immutat ea, quæ realia sunt, & independentia a fitione intellectus: sed animal cognosci per hanc cognitionem, & non cognosci rationale cum animali identificatum per eandē cognitionem, & animal esse terminum huius cognitionis, & rationale non esse terminū huius cognitionis, est quid reale existens a parte rei independēs ab omni obiecto ficto, ex quo realiter inferitur animal cognosci, & non cognosci, & rationale cognosci, & non cognosci, quæ sunt cōtradictoria de obiectis non fictis, sed realiter existentibus: ergo ratione distinctionis rationis non desinent esse cōtradictoria, & eandem inuoluere repugnantia, sicuti ratione distinctionis rationis non amittent cōtradictionē, quam in se includunt, vel inferunt, animal existere Matriti, & rationale cum illo identificatum Matriti non existere, animal attingi per hanc vniōem & rationale non attingi per eandem vniōem. Secundō distinctio hæc ratione cuius potest cognosci animal rationali non cognito per eandē cognitionem, vel sit per cognitionē præscindentem ex parte actus, & vel per cognitionem præscindentem ex parte obiecti. Si dicas fieri per cognitionē tantum præscindentem ex parte actus deseruire tantum vt animal cognoscatur ex parte actus rationali non cognito ex parte actus. Si dicas fieri per cognitionem præscindentem ex parte obiecti, contra hanc cognitionem sic præscindentem procedit argumentum supra factum quod instituo contra solutionem, eodem modo quo illud instituebam contra conclusionem, quia solutio, & conclusio in nihilo differunt. Distinctio rationis facta per cognitionem præscindentem ex parte obiecti dicit cognitionem per quam cognoscitur prædicatum animalis, quin prædicatum rationalis ex parte obiecti cognitione attingatur: sed ex hac cognitione sequitur idem animal cognosci, & non cognosci, esse terminum cognitionis, & non esse terminum cognitionis, idem rationale cognosci, & non cognosci, esse terminum cognitionis, & non esse terminum cognitionis, quæ sunt cōtradictoria: ergo implicat hæc cognitio: ergo implicat talis rationis distinctio. Maior est citra omnem controuersiam. Minorem propagat totum argumentum supra factum.

21 Respondent alij, animal, & rationale esse idem vt sunt in se, ab intellectu autem cognoscuntur, non vt sunt in se, sed aliter ac sunt, & ita posse cognosci vt distincta, seu posse distingui per cognitionē, ex vi cuius habent esse obiecti uē in intellectu aliter ac sunt in se, etiam si in se ipsis realiter non distinguantur. Ex hac doctrina ad formā argumenti respondent animal, & rationale sunt idem vt sunt in se,

Francisc. de S. Onedo, Philosoph. Tom. II.

concedo; aliter ac sunt in se, vel vt sunt in intellectu, nego: sed animal cognoscitur per hanc cognitionem præscindē, distingo: cognoscitur vt est in se, nego; aliter ac est in se, concedo: ergo per eandem cognitionem cognoscitur rationale, nego consequentiā: ex cuius consequenti negato non sequitur animal, neque rationale cognosci, aut non cognosci, quia non cognoscitur animal vt est identificatum cum rationali, sed vt distinctū, cum nō cognoscatur vt est in se, sed aliter ac est in se. Solutio hæc rem confundit, doctrinā falsam continet, & argumenti vim non infringit, neque illius attingit difficultatem. Procedit difficultas de cognitione cuius obiectum est reale secundum formalitatem, quæ cognitionem terminat, licet realiter formalitas illa præscindat non sit, sed præscindatur per cognitionem, de quo est quæstio, veritatem fixum semper est cognitionem illam attingere obiectum reale, de quo disputamus an possit attingi a cognitione, non acta ratione alia realiter identificata cum formalitate tenente se ex parte obiecti: si enim cognitio ad formalitatem fictam terminaretur, præscindat non esset inter formalitates reales realiter identificatas, sed factiua diuerforum entium rationis. His positis argumentū supra factum instauro. Cognito præscindat, est abstractiua sic, & attingat obiectum aliter ac est, vt vult arguens, (quod ego postea quomodo intelligendū sit explicabo,) attingit realiter formalitatem animalis, quæ realiter est in obiecto identificata cum rationali, & hæc formalitas per se ipsam terminat cognitionem: ergo formalitas rationalis identificata cum animalitate debet terminare eandem cognitionem. Consequentiam propugnat integrum argumentum supra factum petitum ex identitate formalitatum, & ex eo quod non possit aliquid reale conuenire realiter, & a parte rei alicui entitati, quod non conueniat omni cum illa identificato, aliās eidem entitati conueniret, & non conueniret, vt supra arguebam. Formalitatem animalis realiter existentem a parte rei identificatam cum rationali per se ipsam terminare cognitionem præscindat animalis de qua contendimus, apud omnes, qui rem percipiunt, est inconcussum, quia cognitio illa terminatur ad animal reale, & non fictum, nullum autem est animal reale non fictum præter animal existens a parte rei identificatum cum differentia specifica.

22 Secundō, si illud animal secundum se cognitionem non terminaret, non cognosceretur animal reale neque de illo aliquid enuncieremus, sed semper nostræ enunciations de obiectis fierent chimericis, quod plusquam chimericum est, & destruit suppositum quæstionis; disputamus enim, an cognitio attingens formalitatem animalis, quæ realiter est identificata cum differentia, possit illam sine differentia attingere. In qua quæstione supponimus cognitionem illam attingere formalitatem animalis, quæ est identificata cum differentia, & formalitatem animalis cum differentia identificatam per se ipsam cognitionem terminare, & postea procedimus ad inquirendum, an formalitas differentie necessariō per se ipsam debeat eandem cognitionem terminare, & ita de hoc posterius inquirendum non est, si illud prius non supponatur. Iterum subdistingues: cognitio illa respicit formalitatem animalis realem existentem a parte rei, & hæc formalitas per se ipsam terminat cognitionem vt est in se, nego; aliter ac est in se, concedo; Sed iterum argumentabor: illa formalitas per se ipsam realiter & a parte rei terminat cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est in se: ergo quicquid est identificatum cum illa formalitate terminabit eandem cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est in se, aliās eadem entitas terminabit hanc cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est, & non terminabit eandem cognitionem repræsentantem suum obiectum aliter ac est, quæ sunt cōtradictoria. Vrgeo, & declaro idem argumentum: formalitatem animalis per se ipsam terminantem hanc cognitionem abstractiuam cognosci ex vi illius aliter ac est in se, nihil aliud est, quam terminare hanc numero cognitionē depromptā ab his speciebus, & respicientē hæc obiecta indirecta, & quasi oblique terminantia hanc cognitionem, quæ omnia clauduntur in hoc quod est terminare hanc numero cognitionē, quæ abstractiua dicitur: quæ per se ipsam habet esse abstractiuā, & repræsentare obiectum aliter ac est, quod inconcussum est apud omnes. Ex hoc infero formalitatem animalis cognosci aliter ac est in se nihil aliud esse, quam terminare hanc numero cognitionem intrinsecē abstractiuam, ac proinde

A a cum

cum dicimus: formalitas animalis per se ipsam terminat hanc numero cognitionem assignando cognitionem, quæ intrinsecè est abstractiva inepre distinguitur, terminat cognitionem, per quam cognoscatur, ut est in se, nego; per quam cognoscatur aliter ac est, concedo; quia eo ipso quod dicitur terminare hanc numero cognitionem assignando cognitionem intrinsecè abstractivam, dicitur terminare cognitionem, ex vi cuius cognoscitur aliter ac est, quod firmum esse volo, ne multiplicatione ineptarum distinctionum velis vim argumenti eludere, quod integrum esse respectu cognitionis repræsentantis obiectum aliter ac est in se, sic suadeo. Formalitas animalis realiter existens à parte rei, quæ realiter est identificata cum rationali, vel cum alia differentia per se ipsam terminat hanc numero cognitionem, quæ intrinsecè est abstractiva: ergo quidquid est identificatum cum formalitate animalis terminabit eandem numero cognitionem. Antecedens negari nequit. Consequentia stabilis integrum argumentum supra factum, quod constitutum est, ad probandum ex duabus formalitatibus realiter identificatis non posse unam terminare hanc numero cognitionem, & alteram eandem cognitionem non terminare, alias eadem entitas terminaret, & non terminaret. Recognosce omnia quibus à principio argumentum institui.

23 Demum obiectum per cognitionem abstractivam cognosci aliter, ac est in se cum mica falis intelligendum est. Si enim dicatur cognitionem illam obiectum directo formalitatem aliquam, vel modum aliquem positivè impingere, quem in se obiectum non habeat, est omnino falsum, quia iam cognitio non terminaretur ad obiectum verum, & reale, sed fictum. Si dicas, obiectum illud cognosci non secundum omnes formalitates, quas habet, sed secundum aliquam aliis omisiss, in duplici sensu potest intelligi, vel quia formalitates illæ ex parte modi non dicuntur attingi, est ex parte obiecti omnes attingantur, & hoc nihil conducit ad obiectivam præcisionem, vel intelligitur quod cognitio illa attingat hanc formalitatem, & illam non tantum ex parte modi, sed etiam ex parte obiecti non attingat, & hoc ego contendo repugnantiam involvere; & contra hunc modum attingendi obiectum aliter ac est in se, quo putas argumento satisfacere institutum est argumentum, & iterum est instituendum ad destruendam conclusionem, quam ut solutionem argumenti contra illam institui, iterum erras. Si dicas cognosci obiectum aliter ac est in se per cognitionem abstractivam tantum dicere attingi per cognitionem illam indirectè, & obliquè alia obiecta, instar quorum obiectum directum secundum proprias formalitates, quas in se habet, ut illas habet in se, cognoscitur, quod sane melius explicat, quid sit rem aliter ac est in se cognosci; totum hoc admitto, & argumentum adhuc remanet integrum, quo ego intendo non posse hanc formalitatem per se ipsam terminare cognitionem, & in se ipsa instar aliorum obiectorum cognosci, quin alia formalitas cum illa identificata per se ipsam terminet eandem cognitionem, & in se ipsa instar eorundem obiectorum cognoscatur, ne aliquid realiter, & à parte rei conveniat alicui entitati quod non conveniat entitati identificatæ cum ipsa, ex quo sequeretur idem convenire & non convenire eidem entitati, duplexque verificari contradictorium.

24 Respondent alij, entitatem habere duplex esse, seu duplicem existendi statum, quandam realem physicum, quem intrinsecè habet qualibet entitas, alium intentionalem, quem tribuit intellectus obiecto cognito, quod constituit in statu intentionali. Dicunt enim intellectui vim quandam inesse dandi rebus esse quoddam intentionale, & præsentiam quandam in mente secundum quam est diverso modo intentionaliter, ac est physicè secundum esse physicum, quod habet extra intellectum. Afferunt insuper animal, & rationale, quæ in esse physico identificantur, & sunt idem, in esse intentionali distinguuntur, & diversum esse intentionale habere animal in intellectu ab esse intentionali, quod habet rationale in eodem intellectu, & è cõtra, etiam si esse physicum utriusque in re non distinguantur. Deinde autem animal, & rationale terminare cognitionem secundum esse intentionale, & non secundum esse physicum, ex quo inferunt animal, & rationale secundum esse physicum in re indistincta terminare cognitiones sui secundum esse realia distincta intentionalia, & ita terminare cognitiones ut distincta intentionaliter inter se, & non ut realiter identificata; Ex quo fit posse animal secundum suum esse intentionale distinctum ab esse intentionali rationalis terminare

cognitionem, quam rationale non terminat, & rationale secundum proprium esse intentionale terminare cognitionem, quæ non terminat animal, quin in hoc aliqua appareat contradictio, cum non dicatur de eodem esse intentionali distincta esse intentionalia; ratione quorundam animal terminat hanc cognitionem, quam non terminat rationale, & rationale. Ex hac doctrina disparitatè reddunt recentes isti pro hanc formalitatem, & non produci secundum illam, licet possit cognosci secundum hanc formalitatem, & non secundum illam: quia entitas terminat actionem secundum esse intentionale physicè identificatis; eadem verò entitas terminat cognitionem, non secundum illud esse physicum, & reale, sed secundum esse intentionale, quod distinctum est respectu diversarum formalitatum, & ita distinctæ formalitates cognitiones terminare absque eo, quod una formalitas terminet cognitionem, quam terminat alia formalitas. Ex his concludunt præcisiones obiectivas nõ dari secundum esse physicum rei distinctum ab esse intentionali, quia secundum hoc entitas non terminat cognitionem sui, sed secundum esse intentionalia distincta, quæ compungunt distinctis formalitatibus habentibus tantum in re vnum physicum esse. Quod si roges hos recentiores, quid sit illud esse intentionale quod obiectum habet in intellectu, respondere esse denominationem quandam ex actu mentis realiter profluentem, ex vi cuius formaliter constituitur obiectum in illo statu intentionali realiter distincto ab existentia physica obiecti, & ab ipsa cognitione.

Contra hunc dicendi modum occurrunt multa, præsertim illam impugnabo, & paucioribus posset eueri. Do his recentioribus dari duplicem illi statum, intentionalem, & physicum inter se distinctum, admitto rationale & animal distinguuntur secundum existentias intentionales, etiam secundum existentiam physicam sint idem; concedo cognitiones terminari ad existentias intentionales, & non ad existentiam physicam, posseque dari cognitionem terminatam ad existentiam animalis non respicientem existentiam intentionalem rationalis, distinctam ab existentia intentionali animalis, & posse dari aliam cognitionem terminatam ad existentiam intentionalem rationalis non terminatam ad existentiam intentionalem animalis, & ex his infero nõ dari præcisiones obiectivas, quod sic probo. Cognitio obiectivè præscindens est illa, ex vi cuius è duobus realiter identificatis vnum attingitur alio non attracto; sed ex eo quod cognitio attingat existentiam intentionalem animalis, & non attingat existentiam intentionalem rationalis, non attingit vnum è duobus identificatis realiter alio non attracto; ergo non est obiectiva præcisio. Maior continet definitionem præcisionis obiectivæ, quam omnes tradunt: Consequentia est legitima: Minorem probo: obiectum attractum per hanc cognitionem est existentia intentionalis animalis, obiectum non attractum hæc existentia intentionalis rationalis: hæc duæ existentie realiter distinguuntur inter se, & ab existentia physica animalis, & rationalis, quæ per hanc cognitionem non attingitur in sententia horum recentiorum: ergo hæc cognitio tantum habet attingere hoc obiectum, videlicet existentiam intentionalem animalis alio distincto non attracto videlicet existentia intentionali rationalis: ergo cognitio hæc tantum præscindit inter obiecta realia realiter distincta: ergo non habet virtutem præscindentem inter formalitates realiter identificatas, de qua inter auctores in hac materia est concertatio.

Secundò falsum omnino est obiectum habere existentiam illam intentionalem realiter distinctam ab ipsius physica entitate, & à cognitione ad ipsam terminata, quia status ille, ut isti recentiores inquirunt, nihil aliud importat, quam obiectum esse cognitum; obiectum autem esse cognitum tantum dicit extrinsecam quandam denominationem realiter indistinctam ab ipso obiecto, & à cognitione terminata ad ipsum obiectum. Sic communis sententia, quam omnes polliciores recentiores tradunt, & ego probabo Controv. 12. punct. 5.

Terriò, alienum à veritate est cognitionem præcisivam animalis terminari ad animal secundum illum statum intentionalem, quod sic ostendo. Animal ut intentionaliter existens est animal ut cognitum, ut recentiores fatentur: ergo dicit

dicit formaliter ipsam cognitionem, per quam constituitur in statu intentionali, & in esse cogniti: ergo cognitio terminata ad animal, ut intentionaliter existens, & ut cognitum, quod est formaliter idem, debet terminari ad cognitionem, per quam constituitur, sicuti cognitio terminata ad album formaliter, debet terminari ad albedinem per quam constituitur albam formaliter in ratione albi: sed cognitio terminata ad animal, ex vi cuius hoc à rationali præcinditur non terminatur ad cognitionem, neque ad animal ut est formaliter cognitum, neque reflectit supra se ipsam, ut per se notum est; aliud enim est cognoscere animal, aliud cognoscere animal esse cognitum, & aliud præcindere animal à rationali, aliud cognoscere animal esse præcissum: ergo cognitio præcissa animalis non terminatur ad animal ut cognitum, neque ad animal ut existens intentionaliter, sed ad animal secundum se, quod ex eo quod secundum se ipsum cognitionem terminat denominatur cognitum, etiam si cognitio non in illud ut cognitum feratur, sicuti vno terminatur ad extremum, quod vnitur secundum se sumptum, quod non respicit ut vnitum, sed formaliter constituit vnitum.

28 Quarto, etiam si cognitio terminaretur ad obiectum secundum illum statum intentionalem distinctum à physico rei statu, & ab existentia physica rei, necessario deberet terminari ad ipsam physicam rei existentiam realiter vnam, simplicem identificatam cum omnibus formalitatibus, quod sic ostendo. Quando cognosco animal cognosco id, quod physicè, & realiter est à parte rei extra intellectum existens, & id, quod est à parte rei extra intellectum existens per suammet euitatem terminat cognitionem, & de illo enuncio esse principium sensationis, & alia huiusmodi prædicata, alias animal secundum se, & existentia physica illius non esset obiectum mei intellectus, & nulla entitas secundum esse quod in se habet cognosceretur, & consequenter, neque posset amari; quia nihil potest amari secundum rationem illam secundum quam non cognoscitur, & ita Deus non amaretur à nobis secundum esse, quod in se habet, sed secundum esse intentionale, quod isti recentēs fingunt distinctum ab esse intrinseco, quod entitas in se habet, quod graui censuræ dignum est, est enim certum Deum amari à beatis, & à viatoribus actu charitatis Theologico immediatè attingente bonitatem infinitam Dei, quæ Deus ipse realiter est infinitè bonus: ergo cognitio terminatur ad esse reale, quod entitas in se habet distinctum ab illo esse intentionali: sed esse physicum, & reale animalis distinctum ab esse intentionali eiusdem animalis, quod recentēs isti coniungunt est identificatum cum esse reali rationali: ergo si cognitio terminatur ad animal, & non terminatur ad rationale, terminatur ad esse reale & physicum animalis, & non terminatur ad esse reale & physicum rationalis cum illo identificatum: ergo terminatur, & non terminatur ad idem obiectum, quod inuoluit contradictionem, quam à præcindendis obiectiue extorquet argumentum supra factum.

29 Quinto animal habere distinctum esse intentionale à rationali dicit animal ut cognitum distingui à rationali ut cognitio: ergo distingui animal ut cognitum à rationali ut cognitio, dicit animal cognosci cum hac cognitione, & rationale identificatum cum animali non cognosci eadem cognitione, & rationale cognosci illa cognitione, & animal identificatum cum rationali non cognosci eadem cognitione: sed hoc implicat: ergo implicat animal ut cognitum distingui à rationali ut cognitio, seu existentiam intentionalem animalis distingui ab existentia intentionali rationalis, quod est formaliter idem. Minor, seu secundum Antecedens tantum indiget probatione, quam habes in argumento, quod solui intenditur hoc esse intentionali distincto formalitatem, quæ sunt realiter idem, quo ostenditur implicationem inuoluere è duobus identificatis vnum attingi per hanc cognitionem alio non attacto, quod est difficile in obiectiuis præcisionibus, & supponitur in hoc statu intentionali animalis distincto ab statu intentionali rationalis, quo difficultas non soluitur, sed illa, quæ in obiecto percipiebatur, trahitur ad statum illum, quem distingui à cognitione, & obiecto confingitur.

30 Alij desperantes in humanis huic argumento solutionem inueniendam esse, ad sacra confugiunt, & Trinitatis exemplo rem emollire, & distinctionis virtualis remedio medicari præsumunt. Afferunt distinctionis virtualis beneficium posse animal terminare cognitionem, etiam rationale

Francis. de Quirico, Philosoph. Tom. II.

cum illo identificatum eandem distinctionem non terminet, sicuti eiusdem virtualis distinctionis ope potest essentia diuina communicari, & non communicari relatio cum essentia diuina identificata. Sed nihil mihi magis durum, nec magis in hac distinctione desperatum, quam ex exemplo Trinitatis explicari, & distinctionis virtualis ope defendi. Quid enim durius, aut difficilius potest excogitari, quam totam mysterij Trinitatis difficultatem, quod in fidei obsequium intellectum captiuantes credimus in his præcisionibus obiectiuis admitti: Quidve magis desperatum quam distinctionem virtutalem in creaturis fingere, quam non minori difficultate, quam ipsum Trinitatis mysterium in Deo Theologi meditantur, & ad quam in ipso Deo defendendam infinità Dei perfectione se protegent, sed de hoc non plura, ostendi enim Punct. 5. distinctionem hanc virtutalem, neque in ordine ad prædicata physica neque ad intentionalia in creaturis admittendam esse, & sine fundamento in his confingi. Me vide loco citato ubi distinctionem hanc virtutalem in ordine ad prædicata intentionalia ex professo impugnauimus §. 4.

31 Hoc argumentum meum conuincit animum, & me inuitum cogit ad negandas obiectiuas præcisiones in formalitatibus creatis realiter identificatis, expendi enim omnes solutiones, quas recentēs, qui quæstionem hanc ex instituto pertractant, & nullam inueni, quæ meus acquiescat animus, & quæ non eandem impugnationem patiaturs quam conclusio sustinet, quæ primò sententia defendens præcisiones obiectiuas traditur. In formalitatibus increatis facilius ego has præcisiones distinctionis virtualis ope defendere, alienum enim non est ab ente increato posse secundum diuersas formalitates realiter identificatas diuersa obire munera, eadem ratione ac si formalitates illæ realiter distinguerentur. Verumtamen pleraque argumenta, & difficiliora, quæ in hac materia fiunt, communia sunt enti creato & increato, quæ solui debent ad negandas has obiectiuas præcisiones in creatis, quibus solutis fundamentum non extat, quod cogat præcisiones obiectiuas in ente creato defendere, & hanc virtutalem distinctionem in ordine ad cognoscendum, & non cognoscendum secundum eandem realem entitatem in ente increato adstruendam: Theologi enim, qui hanc virtutalem distinctionem sunt meditati, illa tantum vtuntur in ordine ad prædicata, quæ in Deo reperiri necesse est, & ratione alia defendi nequeunt, sic plures, qui hanc distinctionem virtutalem in notionalibus admittunt in prædicatis essentialibus à Deo relegant. Dices specialia argumenta reperiri, quæ in diuinis has obiectiuas præcisiones propugnent, sine quibus plura spectantia ad Incarnationis, & Trinitatis mysterium defendi nequeunt, neque de illis adhuc Catholicè loqui possumus. Mouere hæc argumenta Ariagam & alios negantes præcisiones obiectiuas in ente creato ad illas in ente increato admittendas; ego verò censeo omnia quæ in hac re specialiter de ente increato fiunt sufficiens fundamentum non præbere ad has præcisiones in Deo admittendas, quod constabit ex solutionibus, quas prædictis argumentis adhibebo.

§. V.

Soluntur argumenta quæ præcisiones obiectiuas in omni ente propugnant.

32 Obicies primò. Hæc vox *homo* non significat Petrum, aut Ioannem: ergo significat aliquid commune Petro, & Ioanni: ergo ex parte obiecti significati correspondet illi aliquid commune Petro, & Ioanni quod sit obiectum cognitionis, cui correspondet. Confirmatur: obiectum significatum per hanc vocem prædicatur de Petro, & Ioanne: ergo dicit aliquid commune Petro, & Ioanni: ergo datur ex parte obiecti significati per hanc vocem aliquid commune Petro, & Ioanni obiectiue præcissum per conceptum respondentem huic voci *homo*. Respondeo ex dictis in Logica conceptum respondentem huic voci *homo*, & ipsam vocem respicere ex parte obiecti Petrum, Ioannem, Franciscum, & alia indiuidua contenta sub specie hominis, quæ repræsentantur per conceptum quemdam confusum respondentem huic voci *homo*, ex vi cuius intellectus non discernit inter plura illa, quæ per tale cognitionem attingit, etiam illa attingat ex parte obiecti secundum differetias, ex

A a 2 vi qua

vi quarum inter se discernuntur. Sicuti visio coloris viridis valde distantis colorem attingit secundum differentiam specificam, adeo tamen confusè, ut ex vi illius non discernatur sensus, neque fundamentum tribuat intellectui discernendi inter colorem viridem, & nigrum: eademque ratione, quâ individua per conceptum formalem repræsentantur, significantur per vocem, quæ loco formalis conceptus subrogatur. Ad confirmationem dico obiectum significatum per hanc vocem *homo* quod prædicatur de Petro, & Ioanne non verificari de Petro quatenus verificatur de Ioanne, quia de Petro verificatur quatenus in illo obiecto quod continet collectionem individuorum continetur Petrus, ad quem tanquam ad subiectum verificationis totum prædicatum contrahitur cum dicimus *Petrus est homo*, & de Ioanne verificatur quatenus in illo obiecto continetur ipse Ioannes ad quem tanquam ad subiectum verificationis contrahitur obiectum significatum ex parte prædicati, cum dicimus *Ioannes est homo*. De hoc latius dixi in Logica.

33 Obiicies secundò. Plura possumus prædicare de animali, & de illo cogitare, quæ non cogitamus de rationali, de quo non meminimus, neque de illo possumus verificari: ergo possumus apprehendere naturam animalis præcisam à rationali. Respondeo aliud esse naturam animalis, aliud animal quod est identificatum cum homine, quæ distinguuntur tanquam includens & inclusum; natura enim animalis dicit animal hominis, & equi, seu omnia animalia identificata cum omnibus individuis omnium specierum, & animal hominis dicit tantum animalia identificata cum individuis speciei hominis. Nihilominus omnia, quæ de animali ut sic prædicantur, & cogitantur, possumus prædicari, & cogitari de omnibus speciebus animalis, quia id tantum tribuitur animali ut sic quod tribuitur cuiusque speciei animalis, & cuiusque individuo sub specie animalis contento: sic cum dicimus, *Animal sensitivum* ex parte obiecti idem est ac si diceremus *Homo est sensitivus*; *Equus est sensitivus*, *Leo est sensitivus*, &c. Rursus cum dicimus *Homo est sensitivus* ex parte obiecti idem est ac si diceremus *Petrus est sensitivus*, *Ioannes est sensitivus*, & sic de aliis individuis speciei hominis, & de aliis speciebus respectu suorum individuorum. Ex quo fit ex parte obiecti idem esse dicere, *animal est sensitivum*, ac dicere *hic homo est sensitivus*, & *hic equus est sensitivus*: *hic equus est sensitivus*, & *hic equus est sensitivus* & sic de omnibus individuis omnium specierum, de quibus prædicatur, & cogitatur quidquid de animali in communi, quod ex parte obiecti ab ipsis non distinguitur. Instabis experientia ipsâ tibi notum esse nihil cogitare de Petro, aut Ioanne hoc equo, & illo leone, cum dicis *animal est sensitivum*. Respondeo te tantum posse experientia doceri actu non discernere inter hæc individua cum dicis *animal est sensitivum*, non tamen posse experientia doceri tuam prædicationem & tuum formalem conceptum per quem dicis *animal est sensitivum* non tendere ex parte obiecti circa hæc individua, quæ omnia confusè attingis per illum conceptum, ut ex vi illius nō possis inter ipsa discernere, ac proinde in ordine ad tuam experientiam perinde se habet conceptus ille, ac si individua illa non attingeret, sicuti cum vides colorem viridem valde distantem, de quo non potes enunciare, an sit viridis, an niger, speciem coloris visione pertingis, in ordine tamen ad tuam experientiam perinde se habet visio, ac si non attingeret rationem specificam coloris, sed rationem quamdam communem, seu ac si non attingeret colorem viridem, sed nigrum, quia etsi visio illa attingat colorem viridem, & non nigrum, intellectus dubius remanet, an obiectum visum sit color viridis, vel niger.

34 Instabis: ex vi illius cognitionis, cognosco animal expressè, & distinctè, non cognosco aliquam differentiam expressè, & distinctè: ergo cognitio illa distincto modo attingit animal, ac attingit differentias. Secundò, cognitio illa confundit differentias, & non rationem generis: ergo ratio formalis generis videlicet animalis tenens se ex parte obiecti in se ipsa, & non tantum in connotatis diverso modo attingitur per cognitionem. Respondeo conceptum respondentem huic voci *animal* distinguere omnia individua animalia, & quodlibet illorum, in quæ fertur, ab omni illo, quod non est animal, v.g. à lapide, & ligno, à quibus etiam distinguit differentias omnes específicas, & illarum quamlibet, in quas affirmo ferri cognitionem illam, ex vi enim conceptus respondentis huic voci *animal rationale* non confunditur cum lapide, sed ab illo distinguitur, &

tantum confunditur cum rugibili, & hinnibili. In ordine ergo ad omnia, quæ animalia non sunt æque distincte cognoscitur animal, & rationale per conceptum respondentem huic voci *animal*. Videamus modò an in ordine ad differentias cognoscitur. Ex parte obiecti conceptus respondentis huic voci *animal*, in quo ego affirmo contineri possumus considerare animal hominis, equi, & leonis, omnes rationes animalis dispersas in distinctis speciebus. Possumus item considerare animal hominis seorsim sumptum, & animal equi seorsim sumptum, & sic omnes rationes animalis distributive sumptas: Sic eadem ratione possumus considerare differentias omnes collectivè sumptas per modum unius aggregati, & omnes distributive sumptas, seu quamlibet illarum seorsim sumptam. Si considerentur differentia per modum unius aggregati individui in cludentis omnes differentias, & eadem ratione considerentur omnes rationes genericæ, seu omnes rationes animalis, realiter identificantur adæquate, eademque ratione ex parte obiecti cognoscuntur, ac proinde eademque ratione neque aliquid in altero contentum confunditur cum aliquo distincto ab ipso aggregato, ac proinde aggregata illa individui in sumpta confundi nequeunt, quia confusio semper est cum aliquo distincto ab illo quod confunditur. Dicit insuper vtrumque aggregatum partes inter se confusas, quia in aggregato animalium, animal hominis confunditur cum animali equi, & leonis, & sic de omnibus aliis, & in aggregato differentiarum rationale confunditur cum hinnibili, & rugibili, & sic de omnibus aliis differentis. Hac ratione comparata rationes genericæ, & differentiales in nullo distinguuntur, & absque iniquitate distinctionis, aui confusionis in ordine ad eadem obiecta cognoscuntur.

Possumus insuper comparari differentia distributive sumptæ cum rationibus genericis collectivè sumptis, v.g. rationale cum animali ut sic, seu cum tota collectione animalium individui in sumpta. Hac ratione differentia inadaquate distinguuntur à ratione animalis, rationale enim tantum identificatur cum animali hominis & aggregatum illud dicit præter animal hominis animal equi, leonis, &c. & sic de quibuscumque aliis differentis. Hac etiam ratione differentia confunduntur, illarum quamlibet cum reliquis aliis ab ipsa distinctis, & animal non confunditur, quia sumptum per modum unius aggregati individui in sumpti non habet cum quo confundatur, sicuti neque haberent differentia si eadem ratione sumerentur. In hoc ergo sensu verum est differentias cognosci confusè per illum conceptum, & animal cognosci distinctè, quod nullam arguit præcisionem, quia obiecta realiter adæquate non identificantur, distinguuntur enim inadaquate ut dictum est sicuti distinguitur animal hominis ab animali ut sic, seu ab aggregato animalium hominis & leonis, quod dicit conceptus communis animalis.

Tertiò si ex parte vtriusque aggregati rationes in illo contentæ sumantur distributive, & distributio sit accomodata ita ut rationale comparetur cum animali hominis, cum quo identificatur, & rugibile cum animali leonis, æque distinctè, & confusè rationes genericæ, & specificæ cognoscuntur, quia sicuti ex vi conceptus respondentis huic voci *animal*, rationale confunditur cum rugibili, hinnibili & reliquis, sic animal hominis confunditur cum animali equi, cum animali leonis, & reliquis, & sicuti animal hominis per eundem conceptum distinguitur ab omni illo quod non est animal, sic rationale ab omni non animali per eundem conceptum distinguitur, quia tantum confunditur cum aliis differentis animalis, quarum quamlibet identificatur cum propria ratione animalis. Ex his constat factâ comparatione inter rationes genericas, & específicas adæquate identificatas, omnes eadem distinctione, eademque confusione in ordine ad eadem obiecta cognosci.

Obiicies tertiò. Quando video equum à longè, cognosco esse animal, & non cognosco esse hinnibile: ergo cognitio illa fertur in rationem genericam, & non attingit rationem specificam. Vidi plures, qui magis faciunt hoc argumentum, quod mihi alicuius momenti nunquam fuit, habet enim solutionem non difficilem, & in sensationibus instantiam patitur manifestam, quâ admitendas non esse præcisiones obiectivas positiue suaderetur. In primis in isto visione

visione externa coloris viridis, ex vi cuius non potest sensus neque intellectus discernere inter colorem viridem, & nigrum, & tamen fertur in differentiam specificam coloris: ergo non ex eo quod intellectus non possit ex vi huius cognitionis discernere inter species, non inferitur ex vi huius cognitionis non attingere differentiam specificam. Ex hoc argumentum desumo ad impugnandas has præcisiones. Totum illorum fundamentum desumitur ex eo quod intellectus discernat rationem genericam, & non specificam. Sed idem contingit in sensibus, & tamen in sensibus hæc præcisiones non admittuntur: ergo neque ex hoc fundamento præcisiones sunt in intellectu admittendæ, quod destructo vix mediocre aliud reperitur ad has præcisiones suadendas. Respondeo viso equo distanti, quem intellectus non discernit dupliciter se posse gerere intellectum; aliquando enim, cum tantum percipiat illud obiectum visum se progressu mouere, hunc discursum conficit: *omne quod se mouet est animal: hoc se mouet: ergo hoc est animal*: quod ex parte obiecti est idem ac dicere: *omne quod mouetur est homo vel equus, vel leo, &c. hoc mouetur: ergo est equus vel leo, &c.* in quo nulla est præcisio sed affirmatio specierum sub disunctione de illo subiecto, quæ fieri non posset si cognitio ad species non terminaretur. Neque ex hac enunciatione præcisio aliqua inferitur, quia quando dico, *illud individuum humanum quod video, est Petrus, vel Paulus*, etsi non possum determinate dicere *est Petrus*, neque possum dicere *est Paulus* non abstraho rationem communem à Petro, & Paulo, sed vtrumque agnosco, & sub disunctione prædico. Dixi vtrumque ex parte obiecti esse idem, quia ex parte obiecti animal, & aggregatum specierum, quæ sub animali continentur, non distinguuntur; ac proinde animal ex parte vnius extremi, & ex parte alterius species animalis videlicet homo, equus, leo, & sic alia, non distinguuntur, siue species disunctiue, siue copulatiue significentur, quia modus iste significandi non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte actus. Differunt ergo discursus supra dicti tantum ex parte actus per distinctum modum apprehendendi idemmet obiectum, quod per modum vnius simplicis obiecti potest intellectus apprehendere per conceptum respondentem huic voci *animal*, vel per modum plurium entitatum per conceptum respondentem huic complexo *homo, vel equus, vel leo, &c.* ex his discursibus, qui ex parte actus distinguuntur potest intellectus vnum, vel alterum efficere, & frequentius fit discursus ille per terminum complexum, & cum videmus animal à longè, & speciem non discernimus, dicimus, *animal illud, vel est equus, vel leo, &c.* & dubitamus ad quam ex his speciebus pertineat, quod signum est illas sub speciali differentia, etiam ex parte actus attingere.

38 Alio modo se potest gerere intellectus nullam apprehendendo rationem animalis in communi, neque species aliquas sub disunctione, quia tunc non occurrit intentionalis species impressa ad producendam speciem expressam, quæ ex parte actus repræsentat rationem, neque ex parte obiecti alia obiecta sub disunctione, sed tantum apprehendendo quoddam principium singulare determinatum operationis, quam ab illo obiecto videt procedere, quod infer arguens ex actu ad potentiam, & ita obiecto illi, quod videt à se moueri, tribuit principium se mouendi, quod nomine animalis significat, aut principium sentiendi si nouit obiectum illud aliquam sensationem exercere, aut aduertit principium motus progressui, & principium sensationis realiter nunquam separari. Tunc ergo intellectus affirmans obiectum illud esse principium motus progressui, seu sensationis nihil cogitans de ratione alia communis, neque de speciali aliqua differentia, de qua nec dubitat, sed tantum tunc agnoscit præcisè obiectum illud esse principium talis operationis, cognoscit differentias omnes, quæ sunt in illo obiecto, & principium ratiocinandi si tale animal sit homo, vel sentiendi si sit equus, illa tantum operatione connotata, ratione cuius connotationis ex parte actus tantum cognosci dicitur principium illius operationis, etiam si ex parte obiecti cognoscantur omnia principia cum illo identificata.

39 Obiicies quid ex doctrina modo tradita. Sensatio tantum dicit ordinem ad principium sensitiuum: ergo sensatio tantum ducit in cognitionem principij sensitiui. Respondeo sensationem dicere ordinem ad principium illud, à quo procedit, ex quo fit nullam sensationem dicere ordinem, neque esse connexam cum sensitiuo in communi, neque

Francis. de Quiedo, Philosoph. Tom. II.

cum puro sensitiuo, seu non identificato cum alia differentia, quia nulla est sensatio, quæ procedat à sensatiuo in communi, neque à puro sensitiuo, qualibet enim procedit à sensitiuo identificato cum aliqua differentia, ab homine videlicet, vel ab equo, cum quo habet connexionem, & in cuius cognitionem ducit tanquam in terminum connexionis, & relationis, sensatio enim hominis non magis refertur, neque connectitur cum animali, quam cum rationali, sed ad vtrumque refertur, quia ab vtroque tanquam ab eodem principio, eademque simplicissima entitate procedit; & sic sensatio equi æquè refertur ad hinnibile, & ad animal, & sic de quacumque alia sensatione in particulari. Dicitur autem sensationem procedere ab homine ut animali, & non ut rationali, non quia hæc sensatio, quæ de facto ab homine procedit, per se ipsam non procedat à rationali, sed quia potest dari alia sensatio, quæ non dependeat à rationali, & nulla potest dari, quæ ab animali non rationali, sed cum alia quacumque differentia identificato procedat, quod fundamentum tribuit intellectui, ut sensationem tribuat formalitati animalis, & non formalitati rationalis, ut in simili dixi Punct. 4.

40 Instabis: Etiam si sensatio hominis connectatur cum homine, & in illius ducat cognitionem, & sic sensatio equi, & qualibet sensatio in particulari, sensatio tamen ut sic vniuersaliter sumpta tantum ducit in cognitionem animalis secundum se præcisè ab omni differentia. Respondeo sensationem ut sic ducere in cognitionem animalis ut sic, quod non est ratio aliqua animalis à differentiis ex parte obiecti præcisè, sed quoddam aggregatum specierum animalis, quæ tantum cognoscuntur connotatis operationibus similibus non connotatis dissimilibus, quæ cuiuslibet spectus propriæ sunt.

Obiic. sextò. Potest considerari calor fluens ab agenti, & non receptus in passio: ergo potest considerari actio, quin consideretur passio, seu receptio, cum quibus est identificata. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia defectus cognitionis caloris ut recepti in passio non prouenit ex eo, quod non cognoscatur totum illud, quod intrinsecè est receptio, sed ex eo, quod non cognoscatur passum, seu subiectum distinctum à receptione in ordine ad quod eadem formalitas actionis dicitur passio, & receptio. Itaque eademmet entitas ex eo, quod cognoscatur cum subiecto dicitur cognosci formaliter ut passio, & eadem intrinsecè inuariata cognita secundum eadem formalitates intrinsecas, ex eo quod cognoscatur connotato principio tanquam potentia, cuius illa sit actus dicitur passio, actio enim ut actio non differt à passione ut passione in ordine ad intellectum per aliquid identificatum cum actione, & passione, quæ in re sunt idem, sed per diuersa connotata, seu per eadem diuersa cognita.

42 Obiicies septimò. Actio ut actio non distinguitur obiectiue per aliquod prædicatum illi intrinsecum à passione cum qua identificatur: ergo non potest cognosci actio ut actio quin cognoscatur passum. Sequelam probò: Passio ut passio dicit ordinem ad passum: sed actio ut actio non distinguitur à passione: ergo actio ut actio dicit ordinem ad passum tanquam ad potentiam cuius illa sit formalis actus, eadem ratione quæ passio dicit eundem ordinem. Respondeo negando sequelam. Ad confirmationem dico actionem ut actionem entitatiue & ex parte obiecti, adhuc per rationem, non distingui à passione, distingui autem in ordine ad nostrum modum concipiendi. Vnde licet formalitas actionis, & passionis sint idem obiectiue, quia tamen distinguuntur formaliter ex nostro concipiendi modo, debent cognosci per diuersa connotata extrinseca, per quæ formaliter distinguuntur, quia eadem indiuisibilis formalitas cognita cum principio actiuo tanquam cum potentia cuius sit actus dicitur actio, & cognita cum principio passiuo tanquam cum potentia cuius sit actus dicitur passio. Instabis: Entitas intrinseca passionis habet connexionem essentiali cum passio: ergo si cognita actione necessario cognoscitur passio, cognosci debet id, quod cum passione connexum est: ergo debet passum cognosci eodem modo, quo cognosceretur passione cognita eo ipso quod cognoscatur actio. Respondeo entitatem intrinsecam, tam actionis, quam passionis habere connexionem essentiali cum principio actiuo, & passiuo, quia quidquid conuenit actioni realiter, debet realiter passioni conuenire, & è contrariò: posse tamen entitatem intrinsecam, actionis, & passionis eandem omnino cognosci sine extremis,

Aa 3 ad

ad quæ dicit ordinem, quia cognitio confusa respectus, seu relationis non requirit cognitionem omnium extremorum, ac proinde eadem formalitas realis actionis, & passionis, seu idem utriusque respectus aliquando cognoscitur cum principio actus cuius est actus, & dicitur cognita formaliter ut actio, & non ut passio, etiam si ex parte obiecti formalitas intrinseca passionis cognoscatur; aliquando vero eadem formalitas, seu idem respectus cognoscitur cum altero extremo videlicet principio passivo cuius est actus, & tunc denominatur passio, & differt ab actione per connotatum extrinsecum videlicet subiectum, seu potentiam passivam, cuius est actus. Itaque cognitio actionis, & passionis ad eandem formalitatem intrinsecam tenent se ex parte obiecti directi terminatur, quia tantum per connotata extrinseca differunt actio & passio, ratione quorum eadem formalitas modo actio, modo passio denominatur.

§. VI.

Soluntur argumenta, quæ præcisiones obiectivas propugnant in ente increato.

42 **S**pectata fuit olim opinio, quæ præcisiones obiectivas admittit in Deo ut notat Hurtadus disp. 6. sect. 4. subsect. 6. modo tamen non desunt, qui existimant non posse sine illis veritas mysterij Trinitatis defendi. Vtraque tamen sententia longè abest ab omni censuræ calumnia, & ab illa omnino est independens veritas mysterij Trinitatis, & cuiusvis prædicati intrinseci Deo. Ratio est perspicua: Hæc rationis distinctio, seu hic modus præciseendi, siue formalis, siue obiectivus, formaliter consistit in nostra cognitione: sed quidquid est in Deo est independens à nostra cognitione: ergo est independens ab his formalitatibus obiectivis: ergo, siue ego præscindam, siue non præscindam, essentia divina communicabitur, & paternitas non communicabitur: ergo quacumque præcisione, siue obiectivâ, siue tantum formali admissâ, hæc propositio, *essentia communicatur*, erit vera, & hæc propositio, *paternitas communicatur*, erit falsa, siue essentia, & paternitas ex parte obiecti, siue tantum ex parte actus præcendantur, eodem enim modo loquimur de his, quæ ex parte actus præcindimus, ac si ex parte actus præcinderemus, & in ordine ad hæc prædicata *communicatur*, & *non communicatur*, non tantum loquimur de essentia, & paternitate etiam si tantum ex parte actus distinguantur, eodem modo ac si præcinderentur ex parte obiecti, sed eadem etiam ratione, ac si ex parte rei realiter distinguerentur.

43 Hæc ratione ductus affirmo negandas esse præcisiones obiectivas in formalitatibus increatis. Ita Nominales omnes apud Hurt. suprâ: & Caiet. & Fonseca, qui præcisiones obiectivas in creaturis admittunt, illas in Deo negant apud eundem Hurt. §. 137. Consentit P. Valentia in Contr. lib. 1. de Trinit. cap. 230. & 1. parte, disput. 2. quæst. 4. punct. 1. ubi asserit mysteria in Deo defendi per distinctionem virtualem independentem ab omni rationis distinctione. Neque Soar, & Vasquez, alique quam plures, qui à Nominalium sententia recedunt eam impugnant, quia aliquid ex illa contra naturam Mysteriorum Dei inferatur. Accedunt P. Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 7. & 8. Arrubal. 1. part. t. 2. disp. 101. Granados t. 3. 1. partis, tract. 30. disp. 4. sect. 2. qui docent relationes includi in essentia divina adhuc per intellectum, ita ut sine conceptu metaphysico illarum essentia divina non possit cognosci, neque possint mutuo ab essentia præcindi, sine quo putat mysterium Trinitatis non posse componi, quasi esse Dei infinitum, & increatum, Trinum, & unum dependeret à nostris conceptibus, & ab imperfectione cognoscendi illorum. Standum ergo est sententiæ, quæ has præcisiones obiectivas Deo negat, quia nihil speciale est, quod has præcisiones obiectivas in formalitatibus increatis propugnet, ut ex solutione argumentorum constabit.

44 **O**biicies primò. Si in divinis non datur abstractio, qui cognoscit naturam Dei, cognoscit personalitates divinas: ergo qui cognoscit Deum ut unum, illum cognoscit ut trinum cum personalitatem Trinitas ab essentia unitate non distinguatur. Respondeo verum esse cognoscentem essentiam divinam eadem cognitione attingere entitativè personalitates, ut mysterium Trinitatis, non tamen mysterium cognoscere per conceptum respondentem his vocibus *Deus est trinus, & unus*, sed per alium confusorem respondentem his vocibus *Deus est unus ex vi cuius Deus Trinus*

& unus, qui de facto cognoscitur, non discernitur ab alio Deo non Trino, si per impossibile daretur, vel si mente fingatur, à quo discernetur Deus Optimus Maximus respectu intellectus cognoscentis per alium expressiorem conceptum respondentem his vocibus, *Deus est trinus, & unus*, & ita naturalis Philosophus, qui ex creaturarum cognitione tantum Deum cognoscit, etiam si ex parte obiecti Trinitatem attingat non potest dicere *Deus est trinus, & unus*, neque aliquid cogitare de Deo trino, & uno ut distincto ab alio ficto, qui non esset trinus, sed tantum unus. Ac proinde Philosophus qui ita confuse Trinitatem cognoscit, perinde se habet ac si illam non cognosceret, sicut qui apprehendit tantum rationem præcisam animalis, etiam ex vi illius cognitionis attingat differentias individuales Petri, qui est animal, nihil potest de Petro ut distincto ab omnibus animalibus ex vi illius cognitionis iudicare, & perinde se habet respectu Petri cogniti ac si illum non cognosceret. Cognoscere enim aliquod obiectum ex parte obiecti tantum, & non ex parte actus, non dicitur simpliciter cognoscere in ordine ad intellectum cognoscentem, sicut non dicitur potentiam visivam videre relationem transcendentem coloris, quia illam ex parte actus non videt, etiam si ex parte obiecti relatio illa attingatur per actum.

Instabis: ergo diverso modo cognoscit Philosophus unitatem essentia, & Trinitatem personarum siquidem potest affirmare Deum esse unum, & non potest affirmare Deum esse trinum, ex vi cognitionis, quam ex effectibus à Deo productis depromit. Respondeo: quancumque affirmationem, seu cognitionem tendentem in Deum ut unum, tendere in Deum ut trinum non per conceptum expressum respondentem his vocibus *Deus est trinus*, sed per alium confusorem respondentem his vocibus *Deus est unus*, ex vi cuius Deus trinus, & unus tenens se ex parte obiecti confunditur cum alio Deo, qui esset, vel qui fingi potest tantum & non Trinus. Quæ diversitas conceptum non est formaliter, & directè in obiecto primario cognito, sed formaliter in ipsis cognitionibus, & obiectivè in mediis quibus obiectum directum cognoscitur. Quia quando formatur conceptus respondens his vocibus *Deus est unus*, cognoscitur obiectum per connotata distincta ab illis, quibus cognosceretur idem obiectum per conceptum respondentem his vocibus *Deus est trinus, & unus*.

Obiicies secundò. Etiam si essentia sit eadem cum personalitatibus, essentia communicatur, & paternitas non communicatur: ergo datur distinctio virtualis inter essentiam, & paternitatem: ergo ex vi huius distinctionis poterit unum sine alio cognosci: ergo ex eo quod essentia terminet cognitionem, & non paternitas, non inferetur duplex contradictoriū, videlicet cognosci, & non cognosci eandem entitatem. Respondeo has propositiones, essentia communicatur, & paternitas non communicatur, esse admittendas propter revelationem Dei, & distinctionem virtualem in ordine ad hæc prædicata, si ex veritate illarum inferatur talis distinctio. Non tamen ideo licet nobis sine alia revelatione alia similia prædicata in quacumque materia confingere, alias possemus quam plurima concedere, in quibus esset eadem difficultas, idemque mysterium ac in Trinitate. Ac proinde admissis reverenter propositionibus de fide in argumento propositis, & admissâ distinctione virtuali in ordine ad illa prædicata, nego eandem distinctionem in ordine ad alia extrinseca Trinitati, nolo enim multiplicare mysteria, neque ad illa recurrere in re purè naturali, & Philosophica, & facilia per difficillima explicare.

Obiicet tertio. Defendi non posse plures propositiones spectantes ad mysteria fidei sine hac præcisione obiectivâ, quia si in conceptu obiectivo naturæ includitur paternitas ex parte obiecti, cum dicimus *natura communicatur*, quod est de fide, dicimus, *paternitas communicatur*, quod est hereticum: ergo ut hæc propositio *natura communicatur*, defendi possit, necessum est has obiectivas præcisiones admittere. Idem dico in hac propositione *Filiatio producit*, cuius subiectum si ex parte obiecti naturam includeret, esset idem ac dicere *natura producit*, quod dici nequit, similiter in hac propositione *Verbum fuit immediatè unita humanitati* si ex parte subiecti includitur obiectivè respectu cognitionis tota Trinitas, quia Verbum identificatur cum essentia, & hæc cum tota Trinitate, sequitur esse idem, ac dicere, *tota Trinitas fuit immediatè unita humanitati*, quæ omnia sunt absurda & manifestè contra fidem Catholicam.

48 Fateor tamen difficultatē grauissimam esse, verum tamen ad rem, quam modò tractamus nullius momenti esse censere, quia non oritur ex affirmatione, vel negatione præcisionum obiectiuarum, à quibus independentia sunt tanta mysteria, sed tantum oritur ex ipsa intrinseca natura, & excellentia mysteriorum, quod sic probō. Beati qui Deum intuiti vident cognoscunt, & verè enunciant obiectum harum propositionum: *Essentia communicatur: Paternitas non communicatur: Filiatio producit: essentia non producit: subsistentia Verbi immediatè nititur naturæ humanæ: essentia Verbi non nititur immediatè naturæ humanæ*, & tamen non præcindunt ex parte obiecti inter essentiam, & relationes, de quibus prædictæ fiunt enunciationes: ergo veritas illarum enunciationum independentes est ab obiectiua præcisione. Respondet Arriag. suprà subiect. 3. prædictum argumentum euincere ex parte obiecti præcindi non solum à beatis, sed etiam à Deo cognoscente essentiam communicari & Paternitatem non communicari; Filiationem produci, & essentiam non produci. Desumo ex hac solutione prædictum argumentum non specialiter pugnare contra sententiam negantem has præcisiones obiectiuas factas per cognitiones abstractiuias, sed contra commune Philosophorum, & Theologum sententiam, quæ huiusmodi præcisiones per cognitiones intuitiuias creatas, & per diuinam increatam fieri non posse defendit.

49 Respondeo verum esse obiectum cognitum ex parte subiecti per hoc iudicium *natura communicatur*, esse idem cum obiecto cognito ex parte subiecti per hoc iudicium *Paternitas communicatur*, nihilominus prima propositio est summè vera, & secunda summè falsa, nam nos loquimur de eisdem conceptibus obiectiuiis cognitis per diuersa media, ac si essent distincti, sicut enim præcidentes obiectiui loquuntur in hoc mysterio de formalitatibus tantum per intellectum præcisæ eodem modo, ac si à parte rei essent distinctæ, sic similiter de eodem obiecto cognito per diuersa media loquimur in hoc mysterio ac si esset distinctum, & dicimus *natura communicatur*, & non possumus dicere *Paternitas communicatur*, quia licet idem sit obiectum cognitum ex parte subiecti, est tamen diuerso modo cognitum.

50 Secundò Respondeo aliquando non esse idem subiectum verificationis & prædicationis, cum enim currente Petro enuncio *aliquis homo currit*, currit verificatur de Petro, qui indifferenter tamen prædicatur de Petro, & Ioanne, cum enim dico *aliquis homo currit*, etiam si Petrus currat, & non Ioannes, non magis affirmo Petrum currere quàm Ioannem, resoluitur enim propositio *Petrus currit*, vel *Ioannes currit*, &c. & sæpè sæpius ego qui enuncio aliquem hominem currere, nescio an sit Petrus, vel Ioannes. Ex hac subiectorum diuersitate respondeo in præsentī materia in hac propositione *natura communicatur*, subiectum cognitionis esse naturam, & relationem, & totum quod est in Trinitate, subiectum tamen verificationis tantum esse naturam, quia de illa verificatur hoc quod est communicari, non de personalitatibus. Similiter in hac propositione *Filiatio producit*, subiectum cognitionis est tota Trinitas, subiectum verificationis est filiatio, & non natura, quia filiationi conuenit prædicatum *producit*, & non naturæ. Similiter in aliis propositionibus respondendum est distinctione prædicta subiecti cognitionis, & verificationis.

51 Insultabis forsitan: nos iam admittere tuas præcisiones, præcindimus enim naturam à filiatione in ordine ad hoc prædicatum *communicatur*, & filiationem à natura in ordine ad hoc prædicatum *producit*. Respondeo hoc non esse præcisiones obiectiuas admittere, sed mysterium Catholicè confiteri, quia verificatio huius propositionis *natura communicatur* non desumitur in ordine ad obiectum vt existens tantum intentionaliter in cognitione, quā dicitur, *natura communicatur*, sed in ordine ad obiectum vt existens à parte rei, veritas enim cuiuslibet propositionis desumenda est ab obiecto non tantum vt cognito, sed vt existentī. Constat autem fide Catholica à parte rei, naturam non produci, & communicari, & filiationem produci, & non communicari: ergo necessariò dicendum est in hac prædicatione *natura communicatur*, verificationem desumi à natura, & non à filiatione, & in hac propositione *filiatio producit*, verificationem desumi à filiatione, & non à natura, quod non est præcisiones obiectiuas & intentionales admittere; sed rem explicare prout existentem à parte rei. Quomodo autem de rebus identificatis naturā videlicet, & filia-

tione possint diuersa prædicata verificari, est idem ac eandem naturam communicari, & non communicari filiationem identificatam cum illa, quod meum non est in præsentī explicare, sed ex fide supponere, quia in hoc tota difficultas Trinitatis sita est, ad cuius explicationem necessum esset totam materiam de Trinitate pertractare.

Obiicies vltimò: In hac prædicatione, *natura producit*, quæ est hæretica, subiectum cognitionis non tantum est natura, sed etiam filiatio: ergo potest dici prædicatum *producit* verificari de filiatione contenta in subiecto prædicationis, ac proinde esse veram. Resp. in omni propositione prædicatū debere verificari de subiecto formaliter cognito tam ex parte obiecti, quàm ex parte actus, ac proinde vt hæc propositio esset vera *natura producit* deberet verificari non de quocumque subiecto prædicationis, sed de subiecto formali videlicet natura, cum tamen implicet verificari de natura, implicat propositionem esse veram.

Quod si adhuc his solutionibus non acquiescas, & asseras necessarias esse præcisiones obiectiuas ad loquendum de mysterio Trinitatis, illas in Deo admitte, in quo distinctionis virtualis ope defendi possunt, certum est enim admittendas esse, si non possumus sine illis defendere propositiones, quas fide traditas habemus: si enim ad has defendendas necessariae sint iure optimo distinctio virtualis in ordine ad has præcisiones adstruitur, vnum enim tantum vellem fixum esse apud omnes distinctionem hanc virtuale non nisi urgente ratione in Deo esse ponendam in ordine ad aliqua prædicata, & in creaturis nullo negotio esse admittendam, quia si semel admittatur, tota euertitur Philosophia, & Metaphysica, & diuina omnia mysteria rebus creatis absque vlla directione confundimus.

Postquam hæc in lucem proderem nouus quidam huius quæstionis suppositum negat forsitan, vt se ab illa facile expedit. Afferit præcisionem formalem, & obiectiuam intelligendam non esse eo modo, quo nos de illa disputamus, sed has præcisiones desumendas esse illarumque differentiam ex fundamento, quod datur distinctionis, nam si fuerit solum fundamentum rationis ratiocinantis, erit præcisio ab intellectu facta solum formalis, si verò fuerit fundamentum rationis ratiocinatæ etiam erit præcisio obiectiuæ. Ratio est quia hæc præcisio non est separatio, aut circumscriptio realis, sed solum intentionalis; & ita dicitur esse subiectiue, vel obiectiue, non quia fit in ad extra, sed ex diuerso fundamento, quod reperit intellectus ad suam præcisionem.

Impugnat etiam explicationem terminorum præcisionis formalis, & obiectiue, seu sensum quæstionis, in quo nos illam tractamus ex D. Thoma in 1. dist. 2. q. 5. art. 2. vbi inquit ille illam impugnasse Angelicum Doctorem his verbis. *Quidam autem dicunt, quod ista attributa non differunt, nisi penes connotata in creaturis, quod non potest esse, tum quia causa non habet aliquid ab effectu, sed e conuerso, vnde Deus non dicitur sapiens quia ab eo est sapientia, sed potius res creata dicitur sapiens in quantum imitatur diuinam sapientiam.*

Demus verum esse Angelicum Doctorem impugnasse præcisiones formales, quas nos defendimus, & de quibus disputamus, ex hoc habeo de illis quæstionem fuisse institutam in qua pro parte negante quosdam suppressio nomine solita sibi modestia refert Sanctus Thomas, teneat igitur iste Thomista sententiam, quam Angelici doctoris esse putat; quæstionem autem de medio non tollat, quod si illius principii eam aggredi non vult, alios vtiliter de illa agentes non impedit.

Hoc dixi dato, & non concesso quod D. Thomas præcisiones formales in sensu à me exposito impugnasset, quod verum non est, loco enim citato D. Thomas tantum asserit rationem formalem attributorum esse Deo intrinsecam in eo existentem non constitutam, neque deriuatam, aut emendicam aliquo extrinseco vt constat ex verbis eiusdem articuli. *Sic ergo dicendum est, quod in Deo est sapientia, bonitas, & huiusmodi quorum quodlibet est ipsa diuina essentia, & ita omnia sunt vnum res, quia vnunquodque eorum est in Deo, secundum sui verissimam rationem, & ratio sapientia, non est ratio bonitatis, in quantum huiusmodi relinquitur, quod sint diuersa ratione non tantum ex parte ipsius ratiocinantis, sed ex proprietate ipsius rei.* Hæc D. Thomas, quibus solum intendit, & tradit attributa quæ ratione distinguuntur importare veros conceptus reas intrinsecos Deo, & cum ipsa essentia identificatos. Ex quo infert non distingui distinctione rationis ratiocinantis, sed ratiocinatæ, hoc est non distingui distin-

atione non habere, sed habente fundamentum in re, talia esse attributa, & non constitui rationes attributales, quas per rationem distinguimus per connotata extrinseca probat ratio adducta in priori testimonio relato his verbis. Quia causa non habet aliquid ab effectu, sed est conuerso. Insuper D. Th. positiue docuisse sententiam affirmantem non dari praecisiones obiectiuas, sed formales eo modo, quo nos illas exponimus pluribus, & efficacissimis testimoniis Doctoris Angelici probat Puente, Hurtado disp. 6. Metaph. sect. 4. sub. 3.

58 Has praecisiones formales tenentes se ex parte actus tradiderunt Nominales, Gabriel, Ochamus, Major, & Gregorius, quos refert, & accurate exponit Puente Hurtado sect. 4. a tota sub. 1. eandemque sententiam refert, & impugnat Vasq. 1. p. disp. 117. c. 1. Demum etsi hanc quaestionem non tractassent, neque in eo sensu intellexissent distinctionem formalem, & obiectiuam, auctores antiqui illam tractant sic terminis formalis, & obiectiuas distinctionis explicatis. Moderni ut videre est apud Puente Hurtado loco citato, & Arriagam in Log. dist. 6. sect. 2. 3. & 4. Vltimo, etsi termini distinctionis formalis, & obiectiuas improprie essent, id quod per illos explicamus, & clare disputandum proponimus videlicet an cognitio, qua animal cognoscitur praecisum a rationali ex parte obiecti attingat rationem animalis, rationalis ratione non attracta, quod obiectiuas praescindere vocamus, seu praescindere ex parte obiecti, vel utramque rationem obiectiuam attingat, ex eoque solum animalis cognitio dicatur, quia utramque rationem attingit per ordinem ad sensationem, quod vocamus praescindere formaliter seu ex parte actus, & non ex parte obiecti, quaestio de re importat, quam examinare oportet, ergo etsi termini huic recentiori non placerent rem per illos significatam contemnere non debebat.

59 Obicit Recentior iste: Plura ratione distinguuntur, quae diuersa connotata, quia non semper habent effectus ad extra, veluti infinitas, & aeternitas Dei: ergo non rationis distinctio fit per ordinem ad aliqua connotata. Resp. non solum effectus formalitatis praecise esse connotata, in ordine ad quae talis formalitas cognoscitur, sed alia, inter quorum, vel in ordine ad quae illa apprehendimus, licet in se talem ordinem non habeant, sic praesentiam, & durationem per ordinem ad spacia imaginaria temporis, & loci apprehendimus, & explicamus, cum tamen talia spacia solum sint ficta, & ita realis ordo ad illa dari non poterit. Hac ratione infinitatem Dei per ordinem ad carentiam dependentiam ab alia similis illis, quas in creaturis agnoscimus, & aeternitatem per ordinem ad spacium imaginarium, quod respectu nostri spacium temporis dicimus, quia non illi perpetuo coexistimus, & respectu Dei spacium extrinsecum aeternitatis dici poterit, quia permanet in seipso sine villo fine, aut limitationi coexistit illi perpetuo fluenti.

60 Obicit idem Recentior, quod licet effectus deserviant quoad nos a posteriori, ut veniamus in cognitionem principiorum, ut docet S. Th. 1. p. q. 24. art. 1. ad 3. tamen loquendo secundum se propria ratio principij vnius effectus, vel operationis antecedenter ad eam debet distinguere, vel esse idem cum alia, & ita licet ex connotatis innoscescat, vel manifestetur antecedenter ad illa datur distinctio.

61 Oblitus est Recentior iste materia, quam scribit: agitur de distinctione rationis facta per cognitionem inter formalitates physice, & realiter identiticas, & obicit ante nostram in se ipsis habere distinctionem, vel identitatem. Supponimus antecedenter, & independentem a cognitione formalitates esse vnum, & idem simplex est absque vlla distinctione reali cum omni physica identitate existentes, & de his inquirimus quomodo per rationem distinguantur. Quorsum igitur ad distinctionem, seu identitatem existentem antecedenter ad cognitionem fit recursus.

CONTROVERSIA V.

De diuisione entis in decem praedicamenta.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit praedicamentum, & quare ens in decem praedicamenta constituitur.

1 **P**RAEDICAMENTVM secundum propriam nominis significationem sumi consuevit pro praedicato, & pro ipsa actione praedicandi, licet proprius attenda stricta no-

minis significatione pro praedicatione sumatur, sicuti fragmentum non pro actione frangendi, sed pro re fracta, seu parte illa, quae per fractionem ab alia separatur propriissima nominis significatione desumitur. Celebris est diuisione ab Aristotele facta in substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, actionem, passionem, praesentiam, durationem, sum, uir, & ita vulgo dicitur ens diuisiuim esse ab Aristotele in decem praedicamenta. Hinc oritur quaestio quid praedicamenti nomine intelligatur. Quidam affirmant praedicamenti nomine intelligi res ipsas in obliquo connotantes actus intellectus, quibus sunt & inter se ordinantur res, quae in praedicamentis constituuntur. Alij affirmant praedicamentum sumi pro ordinatione rerum, quae in praedicamento ponuntur, sive haec in intellectus actibus constituantur, sive in quodam rationis respectu ex intellectus actibus resultante, quae ordinatio connotat tanquam materiam, vel obiectum res ipsas, quae in praedicamento constituuntur.

Censeo ens non diuidi ab Aristotele in rerum ordinationes, sive haec in intellectus actibus, sive in respectu rationis constituuntur, sed in res ipsas, nempe substantiam, quantitatem, &c. de quibus ens essentialiter praedicatur tanquam quid superius de suis inferioribus. Mouet quia non dicimus ens diuisiuim esse in ordinationem praedicamentorum, aut specierum substantiarum, & ordinationem praedicamentorum, aut specierum quantitatis, &c. sed in substantiam, quantitatem, &c. ergo membra diuidentia sunt substantia, quantitas, &c. Secundo, Ens diuisiuim Arist. ut de membris diuidentibus seorsim sumptis commodius doctrina tradatur, sed de rebus ipsis, & non de ordinatione specierum ipsarum intendebat Arist. doctrinam tradere: ergo in res ipsas, & non in illarum ordinationem ens diuisiuim. Vltimo, si Arist. diuideret ens in ordinationem specierum, seu substantiarum, & in ordinationem specierum, seu praedicamentorum quantitatis, sub nullo membro diuidente constitueretur substantia, quantitas, & alia huiusmodi entia realia, quae ordinationes istae in omnium sententia, vel sunt entia rationis, vel actus intellectus, quibus hoc praedicamentum constituitur superius, illud inferius, hoc genericum, & illud specificum.

Ex his inferitur quod si stricte dicendum sit ens diuisiuim esse in decem praedicamenta, praedicamenti nomine res ipsas significari connotantes actus intellectus, vel secundas intentiones, quibus inter se ordinantur, quia ens in res ipsas diuiditur, quae subsunt actibus intellectus, seu secundas intentionibus, & non in ipsos actus intellectus, aut secundas intentiones. Nihilominus existimo a Dialecticis, & Metaphysicis praedicamentum sumi pro ordinatione specierum, & generum, quae reperitur in vnoquoque membro diuidenti, ipsi enim inquirunt, quae res ponantur in praedicamento, quod idem est ac inquirere quae res ponantur in serie praedicamentorum, quae ducitur ad supremo genere usque ad aliquod indiuiduum, ut constat ex communi modo respondendi huic quaestioni, quo solemus dicere differentias constitui indirecte, & ad latus, species vero directe & in ipsa linea praedicamentali: ergo nomine praedicamenti Dialectici, & Metaphysici significant lineam, seu seriem illam, in qua constituuntur omnia praedicata, quae dicimus ad vnum praedicamentum spectare. Ex his inferes proprie & stricte loquendo ens non diuidi in decem praedicamenta formaliter sumpta, sed sumpta materialiter, hoc est in res ipsas, ex quibus sunt praedicamenta, seu in res, quae subsunt decem lineis, seu ordinationibus praedicamentorum, quae ordinationes praedicamenta vocantur.

Iuxta doctrinam istam praedicamentum definitur: *praedicamentum deductum ab aliquo supremo genere (ab illo videlicet quod vniuersalissimum est in vnoquoque membro diuidente rationem entis) usque ad indiuiduum vltimum.* Ordo iste consistit in aggregato rationum ex vi quarum hoc praedicamentum denominatur genus, istud species, hoc species subalterna, & illud species infima, & alias huiusmodi denominationes superiores, & inferiores praedicata participat. Si roges cur praedicamentum tantum dicat seriem praedicamentorum a supremo genere contento in quocumque membro diuidenti, & non a supremo genere absolute, videlicet ab ente, siquidem hoc genus est ad reliqua inferiora. Respondendo praedicamenti nomen desumptum fuisse pro classe, seu ordine illorum, quae sub vnoquoque membro diuidenti continebantur, ut distincto ab aliis, cuius nominis significatio tantum dependet ex libera hominum impositione.

& vulgari acceptione vocis, & non ex ipsa rei natura, & ita in hac re ratio alia desideranda non est, eadem enim ratione, quā dicimus dari decem predicamenta possemus dicere dari vnicum tantum predicamentum, si predicamenti nomine significaretur ordo deductus à suprema ratione entis vsq; ad vltimum individuum cuiusvis speciei. Vniuersalitatem, & reliquas huiusmodi denominationes superioris, & inferioris consistere formaliter in actibus nostri intellectus, ex vi quorum, secluso quocunque rationis respectu entitates reales desumunt has denominationes dixi in Logica. Harum aggregatum ab ipsis non distingui simul in intellectu coexistentibus, sicuti aggregatum lapidū non distinguitur ab ipsis coexistentibus in tali loco certum est. Ex quo inferitur predicamentum pro formali tantum dicere quid intentionales, videlicet actus nostri intellectus, & nihil aliud in re physicum, vel ratione consistit. Pro materiali dicit quodlibet predicamentum omnia illa quæ vniocē significantur membri diuidentis nomine, v.g. predicamentum substantiæ dicit pro materiali omnia illa, de quibus substantia vniocē dicitur, & sic de aliis predicamentis. An verò vniuersalis illa propositio extendenda sit ad substantiam increatam, vel tantum de creata substantia intelligenda, dicam Punct. 2.

Contra hanc entis diuisionem non pauca obiciuntur. Primum non esse immediatum, quia reliqua omnia membra diuidentia distincta à substantia conueniunt in ratione accidentis, & ita oportebat prius ens diuidere in substantiā, & accidens: deinde accidens in quantitatem, qualitatem, &c. Secundò, quia si Deus non ponitur in predicamento substantiæ sub nullo membro diuidenti continetur, & ita diuisio entis adæquata non est, diuidendum ergo erat ens in increatum, & creatum, & postea ens creatum in substantiale, & accidentale. Tertiò obicitur deuiisio Arist. substantiam diuidere in viuentem, & non viuentem, spirituales, & materiales, & pro his singulis singula predicamenta constituere, sicuti diuisio accidentis in specialia accidentia, quibus distincta predicamenta est impertitus. Quar- tò obicitur diuisionem esse vitiosam, quia continet plura membra contra exactæ diuisionis leges. Quintò eadem ratione quā constituit predicamentum situs, & habere potuisse alia plura assignasse. His omnibus respondens diuisionem hanc examinandam non esse rigore Dialectico, quia Aristoteles non intendit, dum illam tradit, exactam entis diuisionem tradere, sed ex vastissimo entis conceptu, quo omnia vagantur, ad certas classes illa reducere, vt commodius possemus de quocunque ente in particulari disputationem instituere, illiusque sub determinata classe institutam inuenire. Classes istæ nullā poterant ratione metaphysica taxari, neque ex natura rei certo quodam numero debebant circumscribi, sed tantum prudenti quadam ratione designandæ erant, quæ ductus Aristoteles decem congruè instituit, qui posset plures, paucioresve non incongruè instituisse, sicuti qui opus aliquod in octo capita vel disputationes diuidit, potuit idem in plura pauciorave diuisisse, eandem enim Logicæ materiam apud hunc authorem paucioribus, & apud illum pluribus capitibus sectam inuenimus, & illorum neutrum reprehendimus, quia huiusmodi diuisiones tantum prudens ratio definit, quæ ad has, aliàsve plures se valet extendere absque eo, quod congruè rationis terminos transgrediatur. Standum ergo est numero predicamentorum iam statuto, & ab omnibus recepto, etsi aliter potuisset institui, quia ita fuit ab Aristotele traditus, qui illum à se statutum, vel à Pythagorico quodam, nomine *Tarcentinus* (vt nonnulli volunt) acceptū, sua autoritate præfixit, quem nemini licet inuertere, sicuti nemini hodie datur annum in plures, paucioresve quàm in duodecim menses diuidere, licet potuisset in plures paucioribus diebus definitos, vel in pauciores pluribus diebus circumscriptos distribuere.

PUNCTUM II.

Quæ entitates ponantur in predicamento.

In predicamento rem constitui dicit posse habere rationem subiecti aut predicati in illa serie, in qua predicamentum consistere diximus. Ab hac primò relego omnia æquiuoca, & analogæ, quæ non conueniunt in ratione generica, quæ descendunt omnia quæ in predicamento con-

stituuntur. Releganda sunt etiam entia rationis, quæ vniocē cum entitate reali non conueniunt, quod Aristoteles diuisit in decem predicamenta, quod si volueris pro omni ente rationis predicamentum aliud instituere, vel decem alia correspondentia decem predicamentis entium realium conficere, nullā lege id præstare prohiberis.

Accidentia omnia naturā sua entitates sunt incompleta, de quibus certum est in predicamento collocari, diuiditur enim qualitas ex se incompleta in hanc, vel illam qualitatem, tanquam genus in species diuersas. Substantias physicæ essentialiter incompleta in predicamento Aristoteles non constituit, semper enim substantia diuiditur, & subdividitur in substantias completas, quovsq; à supremo genere vsque ad vltimum individuum peruenimus. Hac ratione materia, forma, & vniocē sedrsum sumpta in predicamento non constituuntur, sed tantum quatenus includuntur in toto composito, quod directè ponitur in predicamento. De partibus integrantibus, quatenus indiuisibiliter in toto, & quatenus ab aliis comparibus, quibus sunt vnita conditinctæ apprehenduntur idem iudicium ferendum est. Partes homogeneæ iam diuisæ à toto, partes non sunt, sed totius ratione retinentur, ideo de his vt diuisis agendum non est, inuoluuntur enim implicantes termini cum dicimus, pars homogenea à toto diuisa, sed tantum dicere possumus totum diuisum, cuius tota substantia antea vnita pars dicebatur. Pars heterogenea à toto diuisa transit in totum idem essentialiter cum toto integrali, quod antea constituebat, in adæquate tantum ab illo distinctum, si eandem retinet formam; caput enim à corpore abscissum, si eadem potiretur anima, verè diceretur homo essentialiter completus, sicuti homo dicitur, qui pede, brachiove caret: si vero quod frequentius accidit materia huius partis antiquam amittat formam, & aliam adquirat, resultat quoddam totum completum distinctum essentialiter ab illo, cuius pars fuit abscissa; sic manus ab homine truncata iam non est manus, sed quoddam totum inanimatum, quod directè ponitur in predicamento, sicuti lignum, lapis, & alia huiusmodi.

Substantia metaphysicè incompleta diuiditur in genus, & differentiam, ex his natura generica ab omnibus directè in predicamento ponitur: animal enim directè predicatur de homine, & directè subiicitur viuenti. Differentiā expungit communis sententia à recta linea predicamentali, quā tantum ad illius latum admitti vult. Hurtadus tamen disput. 9. Metaphys. sect. 4. sententiam Ammonij propugnat asserentis, differentias directè in linea predicamentali esse ponendas, sic pro Ammonio se arguere dicit. Differentiæ ponuntur ad latum vt diuidant genus, & significant oppositionem, quæ est inter ipsas, postea verò ad speciem, quam constituunt trahuntur, & quatenus in hac contentæ in recta linea predicamentali collocantur, v.g. rationale ponitur in predicamento ad latum animalis, deinde species, quam constituit videlicet *homo* ponitur in recta linea sub animali: ergo cum species directè ponatur in predicamento, differentiā, quatenus in specie contentam, eodē modo poni necesse est. Parum Ammonius debet suo propugnatori, est enim omnium communis sententia differentias inclusas in specie poni in predicamento, quod tantū importat poni species ipsas per differentias constitutas.

Procedit difficultas de differentiis secundum se sumptis, de quibus assero directè non poni in predicamento, quod sic probo: quælibet ratio ponitur in predicamento, vel vt predicabilis de inferiori, vel vt subiicibilis superiori: sed differentia non potest poni, vt subiicibilis generi, quod diuidit, quia de illo predicatur formaliter; hæc enim prædicatio rationale est animal tantum est vera in sensu identico, non vt predicabilis de eodem genere, de quo accidentali dicitur, neque de specie, quam constituit, respectu cuius inferior non est, sed ad conuertentiam dicitur, non respectu aliis differentie inferioris de qua formaliter nō predicatur, sed tantum identicè, vt contingit in hac propositione. *Rationale est sensitiuum*: ergo nulla alia superest ratio, quæ vt predicabilis in predicamento possit constitui, nisi vt predicabilis inferiorum speciei, quam constituit rationale, v.g. vt predicabile de Petro, & Ioanne, & sensitiuū vt predicabile de homine, & equo. Sed adhuc sub hac ratione non poni sic probo: etiam si rationale prædicetur de homine, vt quid illi superius, hæc prædicatio non descendit per lineam predicamentalem à ratione suprema predicamenti, & postquam diximus *Petrus est rationalis*

non

non possumus sursum ascendere prædicatione formali, & dicere, Rationale est animal, aut est sensitiuum, sicuti postquam diximus *Petrus est homo*, possumus dicere, homo est animal, animal est viuens, & sic ascendere vsque ad supremum genus substantiæ: ergo rationale non intrat rectam lineam prædicamentalem, in qua omnia quæ directè constituuntur per prædicationes formales ascendunt vsque ad supremum genus, & descendunt vsque ad viti- mum indiuiduum.

De Deo Optimo Maximo multi latè disputant, an in prædicamento sit constituendus necne. D. Augustinus de cognitione veræ vitæ cap. 2. Deum amouet à prædicamento, quia existimat in prædicamento substantiæ tantum constitui substantias illas, quæ physicè accidentibus subsunt, quod Deo minime conuenit, in quo nulla datur accidentium compositio, sed summa simplicitas essentiae cum attributis. Conclusionem D. Augustini absolutè traditam defendit communis Scholasticorum sententia, quæ negat Deum in prædicamento constitui. Deum poni posse in prædicamento substantiæ defendunt Gregorius in 1. distinct. 8. quæst. 3. artic. 2. Gabriel & Ochamus ibidem, quæst. 1. quod tantum negandum esse ait Hurtadus disputat. 9. Metaphysic. sect. 4. quia aliter Patres loquuntur, quorum vestigia sequi debemus non quia ratio aliqua metaphysica prohibeat Deum in prædicamento constitui. Consentit Arraga disput. 3. sect. 2. qui asserit in sensu vñtiori, quo in Scholis substantiæ nomen desumitur proculdubio posse poni in prædicamento, licet certum sit ponendum non esse sumpta substantia in sensu, quo illam Augustinus desumpsit, quia in Deo summè simplici non inuenitur ratio substantiæ, quæ accidentibus physicè substat. Subscribant ferè omnes recentes, qui asserunt quæstionem hanc parè esse de nomine. Si placet lege Hurtadum supra, quia benè dissoluit omnia, quibus probari intenditur Deum non posse poni in prædicamento, quæ non refero, quia omnia parui momenti, & nullius doctrinæ. Certum est naturam diuinam non posse esse communem pluribus inferioribus, quia non possunt plures naturæ diuinæ, neque per intellectum excogitari. Certum est etiam rationem entis infiniti, & increati posse vñuocè dici de omnibus attributis diuinis realiter identificatis, & per intellectum distinctis, certum est etiam rationem personalitatis increatæ, & infinitæ posse vñuocè dici de tribus personalitatibus diuinis inter se distinctis, & cum essentia identificatis. Insuper constat ex doctrina Controvers. 1. Punct. 5. posse mente præscindi rationem entis à Deo, & creaturis, ex vi cuius præcisionis fit vna per intellectum, ex quo infertur posse abstrahi rationem substantiæ à creatæ, & increatæ, quod sufficeret vt substantia sic abstracta genus esset ad creatam, & increatam insuper Controv. 1. Punct. 8. probauimus rationem entis sic abstractam esse vñuocam, quod eadem ratione dicendum est de substantia simili abstractione præcisâ. Certum est intra rationem entis creati, & finiti Deum non comprehendî, quia ratione excludo cum communi sententia Deum à prædicamento, & assero hæc tantum in se claudere entia finita, & creatæ, non alia ratione nisi quia de his tantum fuere instituta, vt significaretur quantum Deus infinite perfectus à creatura distaret, licet nulla possit ratio efficax assignari, propter quam non potuisset institui prædicamentum quoddam, cuius ratio suprema abstraheret à substantia creatæ & increatæ, sub quo posset constitui Deus tanquam ratio particularis indiuisibilis, & immultiplicabilis in alios Deos inferiores, aut similes.

CONTROVERSIA VI.

De primo membro diuidente quod est substantia.

INTER omnia prædicamenta primum sibi locum substantia vendicat, quia hæc est primum ens, & longè perfectius accidentibus, de qua modo hanc constituo Controversiam.

PUNCTUM I.

Conceptus quidditatus substantiæ vt distincta ab accidenti explicatur.

§. I.

Aliorum sententia.

Vlgaris opinio substantiam ab accidenti distinguere, per independentiam à subiecto, iuxta quam dicitur, essentiam accidentis esse inhærere, seu dependere à subiecto, & essentiam substantiæ carere hac dependentia, seu inhærentia, in quo sensu explicant communem definitionem substantiæ *ens perse*, qui hanc dicendi modum sectantur. Politiores Neoterici frequenter hunc dicendi modum reiciunt: quia forma equi est substantia, dependetque à subiecto, & illi inhæret, sicuti dependet, & inhæret quantitas: ergo ex hoc capite non possunt differre substantia & accidens, siquidem vtrique communis est inhærenti conceptus. Dices subiectum formæ equi hac deficiente exigere aliam, quæ huius loco substituatur, & deficiente formæ accidentali non aliam loco illius exposcere. Nec vera, neque ad rem solutio: non vera, quia multorum fert opinio, quam tradidi Controvers. 2. Physic. Punct. 7. materiam quatenus est ex se posse sine forma existere. Sed esto non possit: certius est materiam non posse esse sine quantitate, & nullum subiectum posse esse sine præsentia, siquæ aliam necessariò esse concedendam, si ab hac remoueat. Non ad rem, quia hæc differentia non pertinet ad inhærentiam, neque ad inhærentiæ negationem spectat: ergo licet ex hoc capite differant substantia, & accidens non benè vtriusque natura explicaretur per dependentiam seu dependentiæ negationem. Solet adduci pro hac sententia D. Thomas 3. part. 9. quæst. 7. artic. 1. ad 2. Vbi docet proprium substantiæ esse exigere non esse in alio tanquam in subiecto. Ego D. Thomam interpretor de substantia completa, cui hoc conuenit, & non illum de quacunque substantia intelligo.

Alij substantiam definiunt, quod est *alicuius constitutum*, quod accidenti conuenire non putant. Ego non ex hoc capite formam substantialem ab accidentali discerno, quia harum neutra est constitutiuum subiecti, quod supponit, & vtraque constituit compositum, seu concretum compositum ex ipsa, & subiecto: ergo per hanc rationem constituendi in nihilo hæc formæ differunt. Dices formam substantialem, veluti formam equi esse constitutiuum compositi substantialis, & formam accidentalem, veluti albedinem, esse constitutiuum compositi accidentalis, ex quo capite differunt, tanquam accedens, & substantia: quia forma constitutiuum compositi accidentalis accedens est, & forma constitutiuum substantialis formæ substantiæ essentiam exhibet. Dicis verum, sed principium petis, & explicas idem per idem, inquirimus rationem substantiæ, & illam explicas per constitutiuum substantiæ, cuius naturam venamur. Secundò, ideo totum constitutum ex subiecto, & forma substantiali substantia est, quia forma per quam constituitur, est substantia: ergo prius est formam secundum se esse substantiam, quam totum ex illa constitutum esse substantiale: ergo aliunde explicanda est natura formæ substantialis, non per totum, quod constituit, quod cognosci non poterit, nisi prius forma per quam constituitur nobis innotescat.

Plerique conceptum explicant substantiæ per radicem substantiæ, illudque ens substantiale appellant, quod est substantia radix. Reiciunt multi definitionem hanc, quia substantia radix substantiæ non est, & substantiæ constitutiuo gaudet. Non placet hæc impugnatio, quia si ex eo quod natura substantiam exigit, per ordinem ad hanc in esse substantiæ constituitur, potiori iure substantia substantia dicitur, quia per ordinem ad ipsam naturam ab ipsa distincta in esse substantiæ constituitur. Reicio hunc dicendi modum, quia iuxta illum difficile poterit reddi ratio, propter quam, quantitas aliudve huiusmodi accedens substantiæ non sit radix, nunc enim dicimus quantitati substantiam non competere, quia est accedens: & si dicamus constitutiuum substantiæ esse substantiam exigere, dicemus

dicemus non esse substantiam, quia illi substantia non conuenit, vitiosumque circulum manifeste committimus.

4 Hurtad. disput. 10. Metaph. sect. 2. modum alium explicandi substantia naturam inuenit: asserit substantiam esse conceptum quidditarium rei quo durante, res durat, ceterum omnibus mutatis aut circumscriptis. Hic dicendi modus hucusque coincidit cum alio, quo substantia solet explicari per oppositionem cum accidenti, cuius natura est posse adesse, & abesse, absque subiecti corruptione. Quem dicendi modum ferè omnes impugnant, quia tam forma substantialis, quam accidentalis abesse potest sine corruptione subiecti, & neutra sine corruptione compositi ex subiecto, & forma; sed occurrit illius author verbis illis, quo durante res durat, & docet illam particulam res intelligendam esse strictè, de his, quæ absolute res dicuntur, ac proinde etiam si durante & deficiente albedine duret, & deficiat album, non tamen idè dicitur substantia, quia album res non est, talis enim dicitur homo, seu Petrus, non album, neque nigrum. Quid autem sit res, explicat Hurtadus dicens esse id, per quod respondemus quæstioni in quid: cum enim interrogamus quid est hoc? non dicimus esse album, aut nigrum, sed est homo, vel equus: similiter si ininterrogetur, quid emeritis? respondemus emi equum, bouem, non album aut nigrum: concludit author huius sententia n. 10. substantiam esse, quæ est absolute res, & eam constituit modo explicato, dicitur videri sibi rem hanc deducere ad prima principia.

5 Dicerem ego non ad prima principia, sed ad difficultatis initium per tot implexos circuitus quæstionem traxisse Hurtadum, neque principium aliud ex quo substantia naturam cognoscamus his nominibus dedisse, multa enim sunt, quæ hunc dicendi modum improbant, quorum pleraque illius autorem præuidisse non inficior, sed illorum solutiones nobis non ostendisse existimo, quod sic suadeo. Conclusio est, substantiam esse rem, aut constitutum illius, rem autem esse id, quo respondemus quæstioni in quid, ex quo infero substantiam esse id, quo respondemus quæstioni in quid. Legitimam, & per se notam existimo esse illationem, ex qua sic arguo: Quando agimus de re aliqua artificiali, & interrogamus, quid sit? quisque doctus respondet, est mensa, vel cathedra. Secundo si interrogemus quid emeritis? rectè respondetis emi pallium, pileum, vel togam: sed hæc omnia sunt entia artificialia, quorum forma accidens est: ergo rectè respondetur quæstioni in quid entitatibus accidentalibus: ergo sunt res: ergo illis substantia ratio competit. Respondet Hurtadus: hæc vulgò res dicitur secundum quid, & non absolute, quia rectè cognoscitur idem manere lignum destructa cathedra, & rem illam esse lignum, rationemque cathedræ accidentalem esse, seu accedens. Videamus quid rei Hurtadi habeant verba. Inquiri ex quo capite cognoscamus lignum esse rem, & cathedram, quæ antea fuerat, & iam est destructa, rem non fuisse? non ex definitione, quam tradit Hurtadus, quia has entitates artificiales res vocamus; & ad definitionem explicandam recurrit Hurtadus ad notationem, quam iam aliudè habemus lignum esse rem, & cathedram non esse talem. Rursus sicuti dicimus emisse Æthiopem, qui dicit formam accidentalem. Respondet Hurtadus nos dicere emisse Æthiopem ad discriminandum illum hominem ab aliis. Fateor hoc, sed quid ad rem, si quando interrogas quid emeritis, respondeo, emi Æthiopem ad discriminandum hominem ab aliis: ergo iam quæstioni in quid, respondetur per concretum accidentale, siue ob illam rationem: ergo non bene respondemus substantiam esse id, quo respondemus quæstioni in quid.

6 Apriori efficacissimè eandem sententiam rejicio. Nomina imposita sunt ad placitum, & omnia sunt extrinseca rebus, quibus imponuntur: ergo ex nomine non potest colligi substantia, seu quidditarius rei conceptus, quodcumque enim nomen potuit cuiusque rei accommodari: ergo ex eo quod aliqua entia vocentur hoc nomine res, non potest colligi, an sint substantia, vel accidentis. Dices verum esse hoc nomen res impositum fuisse accidentibus, iam tamen solum esse substantiis impositum: sed vnde hoc tibi constet inquiri, hoc enim per se non est notum, & quo lumine appareat albedinem non gaudere nomine res prius ignoreo: sed esto, do gratis, nomen res tantum impositum esse substantiis significandis, & deinde proba malè illo explicari quidditarium substantia conceptum, quia si ego inquirerem, quid est gladius, & responderes quod

vocatur nomine entis, æquè illius naturam ignotam relinqueres, non enim ex nomine possem ego illius essentiam agnoscere: sic in præsentia contingit; inquirimus quid sit substantia, respondes, id, quo respondemus quæstioni in quid: rogamus vltra, quo respondemus quæstioni in quid? respondes illo quod vocatur res, vnde de primo ad vltimum, substantiam definis per illud, quod vocatur res, quæ definitione non explicas, sed confundis substantia naturam, magis enim nobis innotescit per hoc nomen, substantia, quam per hoc nomen res, quia apud omnes constans est quantitatem, albedinem, & alias entitates, quas accidentia vocamus, non gaudere hoc nomine substantia, & apud multos hoc nomen res etiam supposita hominum impositione ad significandum æquè quadrat substantia, & accidenti.

7 Propius ad veritatem accessit Arriaga disp. 4. Metaph. sect. 6. ubi sic substantia essentiam explicat, substantia est quidquid intrinsecè constituit primam rem: nomine primæ rei intelligi vult, id, quod primò, & per se intenditur à natura, vel primò, & per se existit, vel quia est prima radix cæterorum. Sub hac definitione comprehenduntur Deus, & Angelus, & quodcumque totum simplex, siue materiale, siue spirituale, comprehenditur etiam materia prima, quia hæc omnia sunt prima entia, quæ nullum aliud supponunt, quod efficiat, sed sunt prima subiecta, cui reliqua, quæ cum illis vnum component debent accidere. Forma substantialis hac definitione continetur, quia est prima radix cæterorum. Ideo enim probauimus Controuer. 3. Physicæ Punct. 1. dari formam substantialem, quia datur vnum principium ex quo passionem, & accidentia omnia, quæ vnius speciei individua comitantur originem trahunt. Si obicias materiam primam tantum esse primam radicem: Respondet Arriaga materiam primam indifferentem esse ad hanc, vel illam formam, & consequenter ad has, vel illas compositi passionem, & ita illarum radicem non esse. Quod si detur aliqua materia ad vnam formam determinata, illa tantum erit principium passuum accidentium, & proprietatum totius, quod composit, & ita forma erit prima radix actiua harum proprietatum, quod omnes teneri defendere rectè ait Arriaga, ut formam substantialem tueantur; si enim hæc non datur, ut sit prima radix cæterorum, superflue in quocumque toto constitueretur, & nullum supererit fundamentum ad illam defendendam.

8 Obicit sibi ipse Arriaga, posse produci à Deo substantiam aliquam nullatenus operatiuam compositam ex materia, & forma, & tamen hæc non esset radix cæterorum, quia non esset principium aliquorum accidentium, neque esset primum subiectum, cum supponeret materiam præexistentem: ergo ratio substantia neque dicit essentialiter esse primum subiectum, neque cæterorum esse radicem. Admittit Arriaga substantiam possibilem esse, & asserit illius formam rationem substantia participare, quia esset prima radix negatiuè, hoc est, quia non accideret primæ radici, seu quia non radicaretur in alia priori, quod sufficeret, ut non esset accedens, & consequenter ut non esset substantia, quia esset prima res, id est primò, & per se, & propter se intenta à natura, sicuti quælibet simplex substantia. Cumque videret Arriaga esse primam radicem negatiuè, non esse simpliciter esse primam radicem, addidit substantiam posse per disunctionem definiri, id, quod est prima radix cæterorum, vel quod ante se non habet aliam radicem. Neque aliquid inconueniens esse ait per disunctionem rem definiri, quando aliter non possumus rectam definitionem exhibere: vel aliter posse definitionem substantia tradi, substantia est ens non habens ante se aliam priorem radicem.

9 Si à substantia demas esse primum subiectum, & esse cæterorum radicem, difficile poterit illius essentia in hoc conceptu negatiuo non habendi ante se aliam priorem radicem defendi. Cur enim non dicemus modum vnionis habere ante se materiam, & formam tanquam radices, ex quibus oritur, quia vtraque illum exigit. Præcipuè si de modo vnionis partiali per nutritionem acquisito sermo fiat, qui à forma substantiali producitur, & ab eadem exigitur ad perfectionem, & integritatem cõpositi quod constituit: ergo talis vnionis modus radicatur in forma: ergo adhuc negatiuè non conuenit illi ratio primæ radicis.

10 Virget eadem difficultas in substantia, quæ oritur ex prima radice, videlicet ex forma materia vnita, seu ex natura composita ex materia, & forma: ergo substantia adhuc

adhuc negatiue non est prima radix, siquidem supponit aliam priorem in qua radicatur: sed substantia est substantia: ergo ratio substantie non est prima radix adhuc negatiue sumpta. Respondet Arriaga num. 38. nos non cognouisse substantiam ratione naturali a priori, neque a posteriori, neque experientia aliqua, sed solum ex fide, ex qua tantum illius existentiam nouimus, & ita non posse rationem naturalem reddere, propter quam substantiam sit substantia, sed rationem ex fide desumendam esse, & sicut omnes quocumque modo definitionem tradant, illam ex fide substantie applicaret, sic ipsum primæ radicis rationem, in qua conceptum constituit substantie eadem fide substantie tribuere, assereretque esse complementum primæ radicis in ratione primæ radicis, licet ab illa pullulet, & consequenter primam radicem esse inadæquatam categoriarum. Non acquiesco solutioni, fateor enim substantiam tantum ex fide nobis esse compertam, ex eademque nos deducere esse modum substantialem. Verumtamen cum nobis non constet ex fide, quid sit substantie constitutum; non illud debemus assignare repugnans modo, quem ex fide substantiam esse nobis compertum est. Potius ex eo quod fide nouerimus substantiam esse modum substantialem, constitutum substantie debemus assignare non repugnans tali modo, & quod possit ratione naturali non contradicente tali modo applicari: sed constitutum substantie ab Arriaga assignatum non potest applicari modo substantie, quem ex principiis fidei substantialem esse deducimus, sed rationi naturali repugnat tale constitutum huic modo competere: ergo hoc constitutum substantie ab Arriaga assignatum, non est verum substantie constitutum, sed chimericum, & fictitium: ergo aliud nobis querendum est, neque possumus nos fide protegere ad defendendum substantie constitutum competere, cum ratio naturalis id contradicit, ex eo enim quod illi non competat, non inferitur substantiam non esse substantiam, quod esset id quod ex principiis fidei deducimus, sed substantiam non constitui, ut vult Arriaga, per hoc, quod est non habere ante se aliam priorem radicem, quod ego absque periculo errandi in fide verum esse affirmo. Constitutum hoc, non competere substantie probat ratio facta: substantia oritur ex natura tanquam ex causa efficienti, & materiali, quæ illam exigit: ergo substantia radicatur in natura: ergo supponit aliam priorem radicem. Ergo non habet constitutum substantie, quod assignat Arriaga, videlicet non habere ante se aliam priorem radicem. Ex hoc infero iuxta hæc principia non posse substantiam completere naturam in ratione primæ radicis, id enim quod non est radix, sed radicatum non potest radicem adhuc integraliter, seu complete constituere. Confirmatur. Non ex alio capite dici nequit, quantitatem non complere naturam, seu suppositum in ratione primæ radicis, nisi quia supponit aliam radicem, ex qua oritur, sed substantia similiter supponit aliam radicem ex qua oritur: ergo non potest constituere naturam in ratione primæ radicis. Dices substantiam supponere radicem incompletam, & quantitatem supponere radicem completam. Contra: non ex alio capite potest inferri quantitatem esse extra complementum radicis, quam supponit, nisi quia illam supponit, & in illa radicatur: ergo eodem modo dicendum esset iuxta hæc principia substantiam esse extra complementum radicis quam supponit.

§. II.

Propria sententia.

10 Substantiam ego vulgari definitione definio, ens per se, quam sic interpreto. Et clariorem conficio: Substantia est id, quod primario, & propter se intenditur à natura, id autem propter se & primario intendi dicitur, quod intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum; quod enim intenditur propter illud, cum quo saltem inadæquatè identificatur, propter se intendi dicitur, sic materia, & forma, etsi propter totum intendatur, à qua illarum quælibet inadæquatè distinguitur, propter se intenduntur, quia totum à materia, forma, & vnione non distinguitur, itaque substantiam definire poteris, id quod non intenditur propter aliud adæquatè ab ipso distinctum. Totum compositum constans materia, forma, & vnione esse propter se intentum à natura, nullus ex antiquis Philosophis negauit, est enim iuxta ipsorum sententiam primum, & præcipuum ens, propter

quod perficiendum natura instituit accidentia, & vitales operationes v.g. intellectionem, & volitionem mediis quibus viuens sibi consulere, & habere omnia requirit, tum ad ipsius conseruationem, tum ad ipsius integritatem, & perfectionem accidentalem. Formam non primario, & vltimum, & præcipuum ex eo constat, quod tam materia quam forma intentæ sunt propter compositum, ut illud ipsius inuenta sunt; propter eundem finem inuenta est vnionis modus, quia videlicet totum existeret non poterat sine illo, ideo ut existeret, & ut ex materia & forma resularet totum, quod est primum, & præcipuum intentum à natura datus est nexus inter materiam, & formam, quod posito totum necessarîo resulcat. Dixi modum nullum Philosophum ex antiquis negasse totum esse primario, & per se intentum, propter quod, in horum sententia reliqua accidentia sunt instituta, quod non iuxta omnium sententias ratum tradidi: ex his enim qui suppositum fide agnouimus distinctum à composito, quicumque non vulgari ratione ductus dicere poterit, id quod primario, & per se naturam intendit, esse suppositum, quia natura intendit ens completum, & perfectissimum absolute inesse substantie, cum autem compositum sit distinctum à supposito non sit absolute completum, sed compleatur à supposito non sit absolute completum, sed compleatur per substantiam, per quam vltimò constituitur suppositum; non compositum sed suppositum, dicitur vltimò, & primario per se intentum. Neque ex hoc inferitur non posse absolute dici compositum propter se intendi, quia compositum adæquatè non distinguatur à supposito, & ita etiam compositum intendatur propter suppositum, intenditur propter se, sicut dixi de materia, & forma quæ etsi propter compositum intenduntur, intenduntur propter se, vel saltem non intenduntur propter aliud ab illis adæquatè distinctum. Habemus ergo totum non intendi propter aliud, vel intendi propter suppositum quod non est intenti propter aliud adæquatè ab ipso distinctum, & materiam, formam, & vnionem intendi propter compositum: quod si intendatur propter suppositum, vltimò materia, forma, & vnio propter suppositum intenduntur, cum quo inadæquatè illarum quælibet identificatur, & ita nulla intenditur propter aliud adæquatè ab ipsa distinctum.

Ex his infero prædictam definitionem rectè materiam, formam, vnionem substantialem, & toti composito conuenire, quæ in omnium sententia sunt entia substantialem. Poterat tantum claudicare definitio, quia substantia, vel suppositum non conueniret, in quo non peccare, sed substantiam & ipsum suppositum includere sic suadeo. Habemus fide diuinam substantiam esse substantiam, & suppositum esse totum substantialem: Sed nullum est caput ex quo possumus conuenire substantiam & suppositum non intendi propter se, aliunde habemus omnes entitates distinctas à substantia, quas substantiam appellamus intendi propter se modo explicato: rectè ergo dicemus substantiam, & suppositum conuenire hoc, quod est intendi propter se. Confirmatur: quodcumque sit constitutum substantie non poterit à priori, neque a posteriori ostendi de substantia, de qua tantum nobis constat principis fidei distingui à natura, & ex eisdem deducimus esse substantiam: ergo rectè actum erit cum substantia, si constitutum substantie assignemus, quod ex nullo capite constet illi repugnare, & necellum non est, tale constitutum querere, quod de illa positius ratione valeat probari. Affirmo ergo substantiam esse substantiam, quia intenditur propter suppositum, quod quidem suppositum intenditur propter se. Eadem ratione affirmo vnionem hypostaticam nature humane Christi ad Verbum esse modum substantialem, quia illa intenditur propter Christum, seu propter hominem Deum, qui homo dicit suppositum constans naturam humanam Christi, & substantiam Verbi vnita per hanc vnionem hypostaticam, quæ se habet instar causalitatis, media qua substantia Verbi terminat naturam humanam Christi, & cum illa constituit idem suppositum, quod per se ipsam constituit cum natura diuina.

Probaui iam definitionem hanc competere omnibus entitatibus, quæ substantia dicuntur, restat probandum non conuenire alicui ex his, quas accidentia vocamus. In primis non competere alicui dispositioni ad formam substantialem sic probo Dispositiones ad formam equi intenduntur (idem dico de dispositionibus ad quancumque aliam

aliam formam) propter formam equi, & propter equum constitutum ex dispositionibus: sed dispositiones distinguuntur adæquate à forma equi, & ab equo constituto ex materia, & forma ergo intenduntur propter aliquid adæquate ab illis distinctum: ergo non habent rationem substantiæ. Ex hoc capite excludo à ratione substantiæ quantitatē, & omnes primas qualitates, quæ sunt dispositiones ad formam substantialem, & ad compositum substantiale. Excludo etiam omnes secundas qualitates, quæ oriuntur ex primis, quia si primæ propter se non intenduntur, neque propter se poterunt intendi secundæ, quæ ex primis oriuntur. Ex eodem capite qualitates omnes vitales à ratione substantiæ excluduntur, quia hæc intenduntur, ut perficiant viuentem in actu primo, quod supponunt, & à quo adæquate distinguuntur. Impulsus, lucem, sonum, & alias huiusmodi qualitates eadem ratione inter substantias non annuero, quia omnes inueniuntur sunt propter substantiæ perficiendæ, vel ob alia munera obeunda, à quibus adæquate distinguuntur, sic inueniuntur sunt species impressæ ut viuentis expressam valeat illis adiutum producere: lux propter substantiæ quod afficit, tum ut sit obiectum potentie visus, quod videatur, & ratione cuius alia obiecta videri possunt, & sic de quibuscunque aliis qualitatibus.

13 *Actiones & passionē à terminis distinctæ, institutæ sunt à natura propter terminum, ut hic mediis illis existentia recipiat, ergo intentæ sunt propter aliquid ab illis adæquate distinctum, ergo non habent rationem substantiæ. Quod si actio, & passio à termino non distinguantur eandem naturam cum illo subibunt, & si terminus sit substantia, actio cum illo identificata substantia erit. Sic creationem Angelo identificatam, quam non repugnare ostendi in physicis, Controu. 13. Punct. 2. substantiam censo esse dicendam. Relationem transcendentalem à fundamento, & prædicamentalem à fundamento, & termino non distinguo, ideo eiusdem natura erit transcendentalis cum fundamento, & prædicamentalis cum fundamento & termino. Qui autem asserunt relationes prædicamentales esse accidentia superaddita affirmant non intendi propter se, sed resultare ex fundamento, & termino, ex quo capite sub prædicta definitione non comprehenduntur. Præsentia similiter intenditur propter substantiæ, quod afficit adæquate ab illa distinctum, ut illud constituitur in debita distantia ad influxus necessarios ad suam conseruationem recipiendos, & ad agendum, & patiendum: ergo similiter præsentia excluditur à conceptu supra assignato substantiæ constitutiuo. Duratio accidentis physicum non est distinctum à re durante, & in sententia, quæ defendit esse speciale accidentis superadditum eodem modo de illa, ac de præsentia philosophandum est. Sit ut præsentia non distinguatur. Habere tantum dicit extrinsecam denominationem, quibus clauduntur omnia accidentium prædicamenta, quorum nulli competit definitio substantiæ à me assignata, ex quo concludo optimam esse, si quidem competit omnibus entitatibus, quas substantias esse tenet Schola, & nulli illarum quæ inter accidentia recententur.*

14 *Obiicies: sicut forma equi est propter equum qui resultat ex forma, & ex materia præsupposita, sic calor est propter hoc concretum calidum, quod resultat ex calore, & ex subiecto, quod ad calorem supponitur: ergo sicut forma equi est substantia, quia non est propter aliquid adæquate ab illa distinctum, sic calor erit substantia iuxta nostra principia quia non est propter aliquid ab illo adæquate distinctum, sed propter calidum cum quo inadæquate identificatur, sicut forma equi cum equo. Respondeo negando primum antecedens, quia forma equi primario intenditur propter equum, quem constituit, calor vero non intenditur primario propter calidum, quod constituit, sed propter subiectum, quod supponit, calidum enim formaliter ut calidum, non intenditur propter se: sed propter subiectum, quod dicit pro materiali, in cuius gratiam natura constituit calorem, ut subiectum quod supponit, constitueret calidum, sic de aliis accidentibus, quæ instituta sunt propter substantias, quas afficiunt mediæ, vel immediate, ut substantiæ perficiantur, & bene se habeant, vel in ordine ad se, vel in ordine ad aliquam actionem, vel passionem ipsarum.*

15 *Contra prædictam definitionem, & conceptum quem substantiæ adscripsi nullam difficultatem inuenio, quam*

Franciscus Quædo, Philosoph. Tom. II.

prædicta doctrina non præoccupauerit, ex qua facile erit quancumque dissoluere, constat etiam ex prædicta definitione quæ sit formalis ratio accidentis, eo enim ipso quod ens adæquate diuidatur in substantiam, & accidens, & substantia definitur, id quod primario propter se intenditur à natura, seu id quod non intenditur propter aliud, à quo adæquate distinguatur, consequens est accidens definiri, id quod intenditur à natura propter aliud à quo adæquate distinguatur.

PUNCTUM II.

Quid addat natura supra suppositum.

Præcipua substantiæ affectio est substantia, ideo de substantia disputatur, cum de substantia disputatio instituitur.

§. I.

Terminorum explicatio.

1 *Opportet terminorum explicationem in hac materia præmittere, ut distincte nostra procedat disputatio. Natura est id, cui substantia contingit; natura dicitur totum resultans ex materia, forma, & vnione, et si totum sit simplex principium primum operationum, cui reliqui modi, & cetera accidentia adueniunt. Substantia dicitur entitas complens, & perficiens naturam seu totum substantiale supra explicatum, de natura substantiæ, & effectu formali, qui ex illa confurgat dicā Punct. 3. Substantia hæc quando complet naturam completam sicuti hominē vel equum supposita dicitur, & suppositum constituit; suppositum enim dicit naturam substantialem completam substantiā terminatam. Si natura hæc rationalis sit, substantia non tantum dicitur supposita, sed etiam personalitas, & totum quod constituit non solum suppositum appellatur, quod est nomen commune substantiæ adæquate includenti naturam rationalem, sicut includit homo, & irrationalem sicuti includit equus, sed etiam persona, quo speciali nomine gaudet subsistens completum rationale, si substantia naturam, seu substantiam inadæquatam perficit, neque supposita, neque personalitas dicitur, subsistens enim inadæquatam, neque suppositum, neque persona dicitur, sic rationalis animus in statu separationis non dicitur persona, neque suppositum, sed tantum subsistens, quia nomina, persona, & suppositum, naturæ tantum completæ accommodantur. Nec desunt aliqui qui modum illum quo afficitur rationalis animus in statu separationis reuocant substantiam appellare, sed modum perfectiatis dici volunt, sed immerito, animus enim rationalis in statu separationis subsistens dicitur, & substantia partiali gaudet, neque est ratio aliqua, quæ modum hunc loquendi reprehendat, illumque inducunt rationes omnes, quæ suadent modum afficientem naturam completam substantiam esse dicendam.*

2 *Itaque substantia abstrahit à ratione completæ, & incompletæ, & supposita contrahitur ad rationem completæ, abstrahit tamen à pura supposita, quæ afficit naturam irrationalem, & à supposita, quæ afficit rationalem naturam, & dicitur personalitas. Personalitas hæc dicit substantiam completam, & afficientem rationalem naturam. Eodem modo quo se habent substantia, supposita, & suppositum, se habent inter se subsistens, suppositum, & persona.*

4 *Hypothasis aliquando idem sonabat, quod substantia ideo recubant Patres in diuinis admittere tres hypothases, ne viderentur tres substantias admittere, iam verò nomen hypothasis pro eodem sumitur, quod suppositum, licet non raro sumatur non pro supposito in concreto; sed pro substantia, seu supposita, & in quacumque ex his duabus posterioribus acceptionibus sumatur, verè dicitur dari in diuinis tres hypothases, quia dantur tria supposita realiter inter se distincta, & tres subsistētiæ relatiue per quas hæc supposita cōstituantur. Inuenies aliquando apud Arist. hoc nomen, substantia, sumptū pro eodem quod existentia, quia Philopon substantiam naturæ superadditam non agnouit, cuius notitiam tantum ex mysterio Incarnationis assequuti sumus. Vleimō*

B b

ne

ne te in hac materia terminum aliquem lateat, scito Græcos hoc nomine *idea* significasse quod Latini his vocibus *essentia, substantia, natura*, unde tres personæ *homo, ouison* vocantur, id est, vnius essentia.

§. II.

Aliorum sententia circa præcipuam difficultatem.

5 **S**uppositum aliquo modo distingui à natura certum est, siquidem Verbum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit hominem, seu suppositum: quæ verò intercedat distinctio inter vtrumque extremum inter Catholicos Controversæ materiam præbet.

6 **V**etusti Philosophi mysterij Incarnationis ignari naturam à supposito non distinguebant, quibus in re consentire videntur Henr. & Durand. apud Patrem Suar. disp. 34. sect. 2. num. 4. ubi hos refert asserentes naturam, & suppositum tantum per rationem distingui, sicuti distinguuntur entitas, & ens: Sententia hæc omnino est intolerabilis, quia si homo, & humanitas tantum differunt ex modo significandi, & per rationem; non verò in re, implicat vnionem hypostaticam terminatam fuisse ad naturam humanam, & non ad suppositum, ex duobus enim realiter identificatis, & tantum per rationem distinctis non potest vnum vniri, & alterum non vniri, quia vnio est præcisiua: ergo secundum hanc sententiam Verbum vnitum fuit, non solum humanitati, sed homini, seu supposito creato: ergo non solum assumpsit humanitatem, sed hominem, quod hæreticum est: ergo suppositum, & natura, seu homo, & humanitas non tantum per rationem, sed etiam realiter distinguuntur.

7 **R**espondere posses pro Durando vnionem hypostaticam posse præscindere inter naturam humanam, & substantiam ex eo præcisè, quod per rationem distinguuntur, etiam si realiter identificentur, sicuti eademmet vnio præscindit ex parte Verbi, inter substantiam, & naturam, quæ realiter identificantur, & tantum per rationem distinguuntur, & nihilominus vnio naturæ humanæ immediate terminatur ad substantiam Verbi, & non immediate terminatur ad naturam Verbi, quia natura humana Christi non est immediate vnita naturæ diuinæ, sed tantum personalitati Verbi, etsi personalitas Verbi, & natura diuina identificentur: ergo eadem ratione poterit Verbum vniri immediate naturæ humanæ, & illam assumere, & non vniri substantiæ creatæ, neque illam assumere, etiam si natura humana, & illius substantia creata realiter identificentur. Respondeo naturam diuinam non vniri immediate naturæ humanæ, & vniri substantiam Verbi cum illa identificatam, summum esse nostræ fidei mysterium, quod solum reperiri potuit in re infinita simpliciter per essentiam, sicuti est diuinum Verbum, illiusque natura, ratione cuius infinitatis alia his similibus componuntur, sicuti substantiam Verbi produci, & non produci naturam cum illa identificatam; naturam communicari alij personæ, & non personalitatem, quæ, aut alie his similibus in creaturis admitti nefas est, & ita licet in diuinis possumus, & debeamus admittere aliquam conuenire alicui prædicato, & non alij cum illo identificato, hoc in creatis nequaquam admittendum est, quia in diuinis oritur ex Dei infinitate, ratione cuius sine vlla oppositione possunt competere illa, quæ in creaturis sine contradictione non admittentur.

8 **A**ddo ratione identitatis substantiæ Verbi cum natura diuina, humanitatem immediate vnitam substantiæ Verbi mediatè esse vnitam naturæ diuinæ, substantia autem Verbi immediate vnita naturæ humanæ, neque mediatè, neque immediate vnitur substantiæ naturæ humanæ, quia hæc nullo modo existit eo ipso, quod Verbum sit vnitum humanæ naturæ.

9 **S**cotus quem sui sequuntur asserit in 3. dist. 1. q. 1. §. non asserendo, suppositum non addere supra naturam aliquid posituum, sed quid negatiuum, videlicet negationem vnionis actualis ad aliud suppositum, insuper negationem vnionis aptitudinalis ratione cuius anima in statu separationis non est suppositum, quia licet habeat negationem vnionis actualis, non habet negationem aptitudinalis vt vnitur, quia capax est vniri supposito. Si Scoto obijcias naturam similiter esse aptam vniri alteri supposito, respon-

debit naturam non esse aptam, sed non repugnantem, autem verò rationalem in statu separationis non solum non esse repugnantem vt vnatur, sed esse aptam.

Hanc opinionem efficaciter satis impugnat Pater Scotus supra n. n. ad hominem contra Scotum, & Nominales asserentes posse suppositum creatum alienam naturam terminare, in quo casu natura, vel terminaretur aliquo posituum, vel negatiuum; si aliquo posituum iam substantia aliena erit quid posituum, & consequenter omnis substantia non sit respectu omnium naturarum, quæ distinguuntur ab illa cuius est propria. Si dicas terminari aliquo negatiuum, manifestè implicat, quia natura non potest vniri negatiui subiecti extranei, quia ad negationem nulla potest positua vnio terminari, neque negatiua excogitari potest, quia vnio negatiua vnio non est, sed negatio vnionis, & etiam si vnio negatiua vnio dici posset, non apparet in prædictis, quæ vnio negatiua posset hæc esse, neque natura potest immediate affici negatione subiecti extranei, quia si immediate illa afficeretur, iam illa negatio non esset aliena, sed propria, illud enim quod immediate rem afficit, vel quod res per se, & immediate respicit non potest esse alienum; sed necessariò est proprium, quid enim magis proprium, quam illud quod sine alio medio interiecto respicitur.

Ex hoc argumento aliud probabile satis deducit idem Suarius: Verbum diuinum terminat naturam humanam secundum substantiam, quæ est in Verbo quid posituum, vt conuincit ratio supra facta, quia intelli substantiam terminantem alienam naturam debere esse posituum, & in diuinis personis admittunt omnes Theologi, & negari non posset absque infano errore: ergo etiam substantia suppositi creati est quid posituum. Confirmatur: sicuti substantia Verbi constituit Verbum subsistens, ex eo quod illius naturam diuinam terminet, ita substantia cuiusvis suppositi creati constituit illud subsistens, ex eo quod illius naturam terminet, & similem effectum præstat substantia creata naturæ creatæ (loquor vulgari modo iuxta quem dicitur formam tribuere subiecto sum effectum formalem, quem sum moderatus Controversia sexta Physic. Puncto 3. illi quem præstat substantia increata naturæ increatæ salua differentia entis creati, & increati: ergo sicuti in Verbo esse subsistens est quid posituum increatum, ita in homine esse subsistens erit quid posituum creatum.

Rursus arguo contra eandem sententiam. Si suppositum non addit aliquid posituum supra naturam sequeretur habere totam perfectionem creatam, quæ haberet, si substantia propria substantia creata, quia tantum illi deficeret negatio, seu ablatio vnionis ad Verbum, per ablationem autem non constituitur natura magis perfectæ, vt acutè notauit Scotus, sed per additionem. Addo ego per ablationem posse naturam negatiue perfici, etsi non positue, quando ablatio est alicuius posituæ imperfectionis, in præsentem autem ablationem vnionis ad Verbum non est ablatio posituæ imperfectionis, quia vnio ad Verbum non est imperfectio posituæ naturæ humanæ, sed maxima illius perfectio: ergo natura humana per negationem vnionis ad Verbum non constituitur positue perfectæ, neque negatiue, hoc est carens imperfectione, quæ haberet seclusa hac negatione: ergo Verbum diuinum assumens naturam humanam assumpsit illam cum omni perfectione positua, & negatiua, quam haberet si subsisteret propria substantia, si substantia propria nihil aliud est quam negatio vnionis ad Verbum. A priori breuiter eandem rationem expendo. Pura negatio non potest esse perfectio entitatis posituæ, neque illam perficere: sed substantia est perfectio naturæ & illam perficit: ergo substantia non est negatio. Maiorem probonegatio est non ens: ergo non potest esse perfectio, perfectio enim est complementum, & nulla res compleri potest per negationem, quia complementum dicit additionem perfectionis, negatio autem, non est additio, sed ablatio. Minorem proba: si substantia non perficeret naturam, illamque completeret penitus esset otiosa, & nullum esset minus, seu formalis ratio, per quam posset constitui, vt constabit ex dicendis Puncto sequenti: ergo dicendum est substantiam naturam perficere, & constituere totam subsistens, quod perfectionem addat supra totum essentiale, seu naturam ex materia, & forma compositam. Conclusio, & ratio robur accipiet ex dicendis Puncto immediato de substantia

substantiæ munere, quod non solum iuxta nostram sed etiam iuxta aliorum sententiam non poterit sine positiua entitate designari.

- 13 Arguo insuper contra eandem sententiam. Definivit Ecclesia contra Nestorium, in Christo naturam humanam non retinere propriam subsistentiam, sed si subsistentia naturæ humanæ tantum diceret negationem vnionis ad aliud suppositum, necessaria non esset talis definitio, quia ex apprehensione terminorum constaret naturam humanam vnitam Verbo, non retinere negationem vnionis ad Verbum, quod quauis amens, & solidus negare non posset Nestorius terminis apprehensis, & superflue, ac importune definiretur, id quod natura lumine notum est, videlicet naturam vnitam Verbo non habere negationem vnionis ad Verbum, quod esset definire naturam non esse simul vnitam, & non vnitam, & non illi duo contradictoria primò, & per se nota competere. Vltimò solet reici hæc opinio, quia verbis tantum videtur differre ab opinione Durandi, quia Durandus fatetur in natura substantiali completa necessariam esse carentiam vnionis ad aliam personam, vt possit dici suppositum subsistens propria subsistentia.

- 14 Alij asserunt subsistentiam distinguere à natura ratione connotati, & secundum se cum illa identificari, eodem modo quo de relatione prædicamentali dici solet identificari cum fundamento secundum se, & distinguere per terminum tantum per connotatum; in hac sententiam nonnulli interpretantur Nominales asserentes cum Scoti subsistentiam tantum addere supra naturam negationem, cum qua sententia volunt componere subsistentiam esse quid positiuum adæquatè cum natura identificatum, & negationem superadditam se habere tanquam conditionem. Hac ratione componere præsumunt Verbum fuisse vnitam humanitati, & non subsistentiæ, quia potuit assumere naturam non formaliter subsistentem ex defectu connotati, sicuti existit fundamentum relationis non formaliter relatum ex defectu connotati quando existit fundamentum termino non existente. Contra hos connotatores scribam Controu. 9. Punct. 4. vbi doctrinam hanc de connotatis, quam ad plures entitates extendunt, in omnibus impugnabo. Sustinet etiam in hac materia specialem impugnationem, nimis quæ grauem difficultatem, inferunt enim ex doctrina tradita in Christo existere subsistentiam creatam naturæ humanæ in se, & secundum suam entitatem, etiam si non sit quoad formalitatem, neque formaliter naturam subsistentem reddat, & consequenter inferunt assumptis Verbum totum reale, & physicum quod dicit suppositum creatum, quod ego non concedam.

- 15 Doctrinam de connotatis amplexus est Paladus in 3. dist. 6. & alij quos refert Henric. quodlib. 3. concl. 2. asserentes suppositum non distinguere à natura per aliquid intrinsecum, sed per extrinsecam connotata, quæ sunt accidentia constitutiva idem suppositi. Reicienda est hæc sententia communi impugnatione exhibitæ contra omnes connotatores, & specialem contra illam instituta, ex eo quod nulla appareat accidentia, quæ possint neque tanquam connotata suppositi constituitur. Insuper quia Verbum assumptis naturam humanam cum omnibus passionibus, proprietatibus, atque accidentibus, & ita illam assumpsit formaliter subsistentem, si per accidentia, tanquam per connotata constitueretur subsistens, assumpsit enim naturam, quæ secundum se, dicit totum quod subsistentiæ est intrinsecum, & assumpsit illam affectam propriis accidentibus, quod secundum hanc sententiam est assumere naturam cum propriis subsistentiæ connotatis in quibus includitur totum id, quod intrinsecè, & extrinsecè in recto, & in obliquo dicit suppositum creatum.

§. III.

Propria sententia.

- 16 Concludo ex his subsistentiam esse quid reale positiuum naturæ superadditum; ita fert communis omnium Doctorum opinio, præter illos, quos dedi supra pro relatis sententiis: ita tenent P. Soar. disp. 34. sect. 2. num. 20. P. Val. 3. p. t. r. disp. 31. c. 6. P. Valent. t. 4. disp. 1. q. 4. punct. 2. P. Albert. de prædicam. Subst. c. 3. q. 7. P. Hurtad. disp. 11. Metaph. sect. 36. Arriaga disp. 4. sect. 11. subsect. 2. & alij in numeris consentiunt Thomistæ, in quibus illa tradit Bañez 1. p. q. 3. art. 2. dub. 1. & Capreol. in 3. p. q. 1. art. 2. disp. 4. conclus. 2. vbi pro hac sententia refert Angelicum Doctorem

Francis. de Quinco Thib. lib. 7. m. 11.

3. p. q. 2. art. 2. & 1. p. q. 3. art. 3. & asserit communem esse Thomistarum Caietani, Ferrari. & aliorum. Probat prædicta sententia ex separatione subsistentiæ creatæ à natura humana Christi, quam Verbum assumpsit, quæ euident signum est distinctionis, nihil enim potest separari ab illo, cum quo realiter identificatur: sic in forma prædictum argumentum instituitur. Verbum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit subsistentiam propriam naturæ humanæ, sed potius naturam ipsam nudam propria subsistentia: ergo subsistentia propria humanæ naturæ separata fuit ab eadem natura: ergo ab illa distinguitur. Alio modo idem ferè argumentum constituitur. Verbum assumpsit naturam humanam, & non assumpsit hominem: ergo homo dicit aliquid supra naturam humanam, quod potest ab hac separari: ergo homo seu suppositum humanum dicit aliquid supra naturam, & ab illa separabile, quod subsistentiam appellamus. Hoc superadditum debere realiter, & non solum per rationem esse distinctum probat ratio supra facta, separatio enim non inducit tantum distinctionem rationis, sed realem, idemque ostendi supra contra Durandum. Hoc reale superadditum non posse consistere in aliquo negatiuo, seu in negatione dependentiæ probauit contra Scoti sententiam. Insuper non posse esse accidentia realia, quæ tanquam connotata suppositum constituunt contra Palud. ostendi. Ex quibus inferunt debere esse aliquid reale positiuum substantiale intrinsecè naturam efficiens.

Conuincit discursus supra factus suppositum humanum dicere aliquid reale positiuum substantiale superadditum naturæ humanæ. Ex supposito humano consequentiam faciunt omnes auctores ad reliqua supposita materialia, quorum natura ex materia, & forma componuntur, in quibus à paritate hominis subsistentiam naturæ superadditam inferunt esse dandam. Hanc illationem extendere ad suppositum spirituale, cuius natura simplex est, & non constans materia, & forma, v. g. ad Angelum facile non est, contra quam hæc posset institui ratio: Ex eo quod in homine natura constet materia, & forma, non inferunt eadem compositio in natura Angelica: ergo ex eo quod suppositum humanum dicat compositionem ex natura, & subsistentia, non inferunt eadem compositio in supposito Angelico. Vt ergo in homine natura dicit duplicem entitatem, materiam videlicet, & formam, & tamen in Angelo tantum dicit simplicem quandam entitatem: ergo etiam si in homine suppositum dicat naturam, & subsistentiam, in Angelo tantum dicit simplicem entitatem, quæ nullo alio superaddito formaliter erit Angelicum suppositum. Atqui nullum est fundamentum distinguendi subsistentiam à natura præter illud, quod sumitur ex vnione Verbi ad humanam naturam, ex qua tantum immediate inferunt naturæ humanæ subsistentiam inesse superadditam: ergo si ex hac à paritate idè non valet inferri in supposito Angelico, nullum est fundamentum ad distinguendam in Angelo subsistentiam à natura Angelica, sed possumus dicere naturam Angelicam per se ipsam esse subsistentem nullo alio superaddito.

Putauit P. Soar. supra sect. 3. n. 11. non posse dari suppositum, in quo subsistentia à natura realiter distincta non sit, ex quo principio rectè defendit subsistentiam Angeli ab illius natura realiter distinguere; verumtamen ipse fatetur n. 16. rationem, quæ prædictam conclusionem probat, tantum esse probabilem quandam coniecturam, cui ego parum fido, illamque non refero, quia facile à quocumque poterit dissolui. Sentio ergo possibilem esse naturam spirituales, quæ secum realiter subsistentiam habet identificatam. Defendo hanc conclusionem, quia nullum contradictionis vestigium inuenio in eo, quod detur talis natura, seu suppositum simplex nullam habens compositionem ex natura, & subsistentia, quod in quæstionibus his similibus vnicum, & potissimum fundamentum est. Meum erat ad corroborandum prædictum fundamentum rationes dissolvere quibus talis subsistentiæ propugnaretur contradictio, verum nullam hucusque audiui cuius adhuc mediocritas, vel apparens difficultas solutionem desideret.

De suppositis spiritualibus quæ de facto dantur assero includere compositionem ex natura, & subsistentia inter se distinctis. Id conicio ex ipsis substantiis spiritualibus, quæ plures alias habent compositiones ex natura, & accidentibus, quæ imperfectiores sunt compositione ex natura, & subsistentia: ergo poterit supposito Angelico tribui hæc compositio, sicuti plures alias accidentales, & imperfectiores tribuuntur, non enim congrueret simplicitas substantialis

B b 2 suppositi,

suppositi, quæ nimiam arguit perfectionem, cum tot accidentalibus compositionibus, quo enim est suppositum substantialiter simplicius, eò simplicius est accidentaliter. & pauciores habet accidentales compositiones. Fateor nos non posse certo numero metiri quot compositiones accidentales componi possint cum simplicitate suppositi, cum etiam si daretur suppositum substantialiter simplex non esset omnino simplex accidentaliter, sed aliquas haberet compositiones, licet pauciores, quàm aliud substantialiter compositum, ideòque prædicta ratione intentum conuincere non præsumo, sed probabiliter morali quadam coniectura suadere, quæ in re vtrunque incerta suffragium posset addere sententiæ communi, cuius opposita non firmiori alia innititur ratione.

20 Probo eandem conclusionem à paritate suppositi humani, in quo anima rationalis spiritalis substantiam superadditam habet, ergo etiam totum còpletum spirituale eandem substantiam habebit superadditam. Ad rationem quæ huius illationis vis intendebatur infringi. Respond. in Angelis apertè cognosci deficere rationem corruptibilitatis, ex qua in substantiis materialibus compositionem agnoscimus ex materia, & forma, ac proinde non possumus circa compositionem istam à paritate arguere, quia constat nobis rationem illius, quod à paritate probare intendimus non esse eandem in vtraque substantia. Ratio verb, ex qua in substantia materiali inferimus distinctionem ex natura, & substantia, videlicet, quia Verbum potest illis vniri hypostaticè, reperitur in Angelis ex mente Pauli iuxta multorum Patrum explicationem, vel saltem nobis non constat oppositum reperiri, sicuti nobis constat Angelos esse incorruptibiles, quod opponitur cum corruptibilitate, ex qua primò deducitur compositio essentialis ex materia, & forma.

21 Suadet etiam conclusio ex testimonio Pauli quod modo innuebam ad Hebræos 2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, quod licet multi ex Græcis Patribus interpretentur de voluntate redimendi, alij quàm plurimi ex Latinis apprehensionem hanc de vnione hypostatica intelligunt, qui reici nullo modo possunt, tum propter ipsorum auctoritatem, tum quia Græci Patres, qui testimonium illud interpretantur de cura redimendi, non dissentiant à Latinis, cum vtraque expositio possit componi, neque vnæ alteri contradicat: quibus positis sic arguo. Paulus effert beneficium factum naturæ humanæ per incarnationem ex eo, quod non fuit factum naturæ Angelicæ; ergo potuit fieri naturæ Angelicæ; ergo Verbum diuinum potuit vniri naturæ Angelicæ; ergo natura Angelica habet substantiam distinctam. Probo consequentiam: ex eo, quod Verbum fuerit vnitum naturæ humanæ inferitur naturam humanam habere substantiam distinctam: sed Verbum potuit vniri naturæ Angelicæ; ergo natura Angelica habet substantiam distinctam: Maiorem admittunt omnes: Minorem probauit ex Paulo iuxta explicationem Latinorum Patrum: Consequentiam probat: Si Verbum de facto fuisset vnitum naturæ Angelicæ, natura Angelica esset eadem quæ modò est, sed tunc inferretur habere substantiam distinctam; ergo modo idem eadem ratione inferitur. Neque alicuius est momenti quod ait Hurtadus, videlicet in multorum sententiâ Verbum potuisse assumere suppositum, & ita ratione supradicta nostram conclusionem non probari, quia non intendimus ratione prædicta conclusionem demonstrare, ita vt neq; iuxta aliorum principia aliqua possit reperiri solutio, sed iuxta illa quæ probabiliter defendimus per legitimam consequentiam conclusionem deducere. Mitto asserentes ratione supradicta re non probari ex eo quod Verbum potuerit assumere naturam retinentem propriam substantiam, destruere fundamentum, quo Patres & Concilia intulere in homine dari substantiam distinctam à natura, & hanc propriam substantiam carere in Christo, ex eo quod Verbum illi fuerit vnitum.

22 De mente D. Thomæ in hac re tractat P. Soar, suprà n. 18. est enim difficile testimonium desumptum ex 1. p. q. 3. art. 3. vbi apertè videtur asserere in Angelis naturam non distinguì à substantia, quod sibi obiecit Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. & tantum respondit Angelicum Doctorem nondum tractasse mysterium Trinitatis, & incarnationis cum prædictum scripsit articulum, & ideo non plene pertractasse distinctionem suppositi ab indiuidua natura. Dignus de Angelico Doctore nostri Doctores loquuntur, cum quibus illum interpretor de natura in còmuni respectu indiuidui, quod

intellexit nomine suppositi, & docuit non distinguì à natura in communi. Adhibenda est necessariò hæc explicatio ne tantus Doctor sibi contrarius esse videatur, quibilibet à Verbo, possitque ita per vnionem hypostaticam præsubstantiam à natura distinguì. Stat ergo pro sententiâ suprà tradita Angelicus Doctor, cuius auctoritas nihil semper magni ponderis est, & me totum trahit in questionem pro vtraque sententiâ vrgenti ratione defuturâ, in qua ab Angelico Doctore, & communiori Theologorum sententiâ recedendum non est.

Obiicies contra præcipuam conclusionem, quæ diximus substantiam distinguì à natura. Si naturæ humanæ esset innata substantia superaddita natura humana Christi vnita Verbo, & propria substantia spoliata esset violenta. Sed dici nequit violentam esse; ergo dicendum est naturæ humanæ non deberi substantiam superadditam. Respondet Hurtadus naturæ humanæ Christi nullam fieri substantiam, quia loco propriæ substantiæ subrogata est Verbi substantia. Consentiant Recentiores asserentes violentiam non fieri rei, quando si illi inesset appetitus elicitus, contenta esset illo, quod subrogatur loco entitatis, in quam fertur innatus appetitus. Addit Arriaga nihil absurdi esse inferendum, etsi concederetur naturam humanam Christi secundum appetitum innatum esse violentam.

Obiicies secundò. Verbum assumpsit totam essentiam hominis, & non assumpsit substantiam: ergo substantia non dicit aliquid positum, aliàs non assumpsisset totum positum, quod dicit homo, & consequenter non assumpsisset totam essentiam. Resp. essentiam hominis dici illius naturam compositam ex materia, & forma quam totam assumpsit Verbum, etsi non assumpsisset substantiam positam, quæ dicitur essentia, seu natura, sed naturæ terminus, seu complementum. Itaque assumpsit Verbum totum quod naturam constituit, non verò illud, quo constituitur suppositum in esse suppositi, quod aliter dici solet Verbum assumpsisse totum, quod dicit homo in recto, non verò illud, quod dicit in obliquo.

PUNCTUM III.

Quæ sit formalis ratio substantiæ.

FRequenter inquiritur quis sit effectus formalis substantiæ, sub quibus terminis eadè venit difficultas cum illa, quæ sub præfixo titulo voco, cuius termini magis mihi arident, quia vt sæpe monui, & ex professo tradidi Contr. 2. Phys. Punct. 3. effectus formalis non distinguìtur à composito constituto ex subiecto, & forma, cui talis effectus formalis tribuitur, vnde idem est inquirere, quis sit effectus formalis substantiæ, ac inquirere, quid sit suppositum constitutum ex natura & substantia? Clariùs ergo inquiritur quæ sit formalis ratio substantiæ: ex qua cognoscatur quid sit suppositum formaliter vt suppositum, & quæ perfectio accrescat naturæ ex eo, quod substantia afficiatur.

Recedendum est in primis à Caietano, qui docuit 3. p. q. 4. art. 2. substantiam esse rationem formalem ex vi cuius existit natura, & formaliter existens constituitur, quod vt componeret dicebat substantiam afficere naturam in priori quodam signo, in quo non supposebatur existens. Sequuntur Caietanum alij Thomistæ, qui pro se referunt Angelicum Doctorem 3. p. q. 17. art. 2. sed immeritò, quia ibi Angelicus Doctor potius oppositum innuit, asserit enim teste ipso Caietano esse pertinere ad personam vt habentem, seu id quod est; & ad naturam vt principium, seu quo aliquid est. Contra Caietani sententiam agendù est rationibus quibus probauit Contr. 2. Punct. 2. essentiam cuiusvis rei non distinguì à propria eiusdem rei existentia. Secundo quia adhuc in opinione, quæ essentia ab existentia distinguìtur, creatio terminatur ad rem existentem, & creatio est causalitas ex vi cuius res cum sua existentia constituitur. Sed substantia aduenit naturæ iam creatæ, seu productæ: ergo substantia aduenit naturæ iam existenti: ergo natura non constituitur formaliter existens per substantiam. Tertio, si natura existeret per substantiam, quæ terminatur, natura humana Christi, existeret per substantiam Verbi, sed substantia Verbi est infinita, & ab æterno existens: ergo existeret per existentiam infinitam, & ab æterno existentem.

existentem: ergo non in tempore incepisset, sed esset ab æterno, & Verbo coæva. Dices naturam humanam non fuisse ab æterno unitam existentiam Verbi, & ita non fuisse ab æterno, etiam si Verbi existentia per quam existit dum est unita fuerit ab æterno. Contra: Si natura humana existeret per existentiam Verbi, unio naturæ ad existentiam Verbi existeret per eandem existentiam: ergo unio existeret ab æterno: ergo natura humana Christi, & illius unio ad existentiam Verbi ab æterno existerent, & ab æterno natura humana Christi esset unita Verbo, & ab æterno existeret cum unione, quod falsum est, & ex suis principiis deducere intendo, ut ab absurdo consequentis illarum falsitas deprehendatur.

3 Dico secundò cõtra Egidium in tract. de comp. & Arg. in 3. dist. 6. q. 1. Henr. quodlib. 3. q. 2. rationem formale subsistentiæ non esse substatem accidentibus, neque naturæ constitutivæ affectu, seu accidentibus informatam. Consentunt omnes moderni, & facillè ostenditur. Actum substatem accidentibus tanquam materiale subiectum, ex quo educantur, est illa pars, & actus substandi non distinguitur à passione, per quam accides dependet à causa materiali, & hæc influit in illud. Actum informari subiectum dicitur informatione, seu unione, ex cuius subiectum redditur informatum: sed subsistentia distinguitur à passione, quæ est accidens, & ab unione inter subiectum & formam, tum quia unio naturæ ad accidentia accidens est, tum quia Verbum assumptum naturæ, quoniam hæc amitteret aliquod accides, seu unione aliquam ad proprium ipsius accidens, quæ omnia supposita unione natura humana Christi retinet, & non retinuit propriam subsistentiam: ergo subsistentia distinguitur ab inhesionem, & informationem accidentium: ergo ex vi subsistentiæ nullo modo constituitur natura substatem accidentibus. Si dicas subsistentiam non tribuere naturæ hoc, quod est actu substatem, sed posse substatem, non maiori opera impugnaberis. Posses substatem media passione dicit potentiam passivam, seu receptivam formæ cui substatum est. Posses substatem media informatione dicit posse terminare unione respicientem formam. Sed natura per se ipsam est potens recipere formam, & terminare unione ad illam: ergo non constituitur potens per subsistentiam. Confirmatur: quantitas in omnium sententia substat alijs accidentibus media unione, & informatione, & non habet subsistentiam: ergo subsistentia non requiritur per subiectum accidentibus substatem, neque media inhesionem, neque media informatione. Probat hæc ratio à quantitate desumpta: subsistentia non requiritur, neque tanquam rationem formalem, neque tanquam conditionem, siquidem quantitas omnino absque subsistentia potest sibi unire, & recipere alia accidentia. Dices quantitas non posse primò substatem, siquidem datur aliud subiectum quod quantitati substat. Resp. quantitas non posse primò substatem non provenire ex defectu potentie ad substandum, sed ex eo quod ipsa supponat subiectum, quod si non supponeret eodem modo substatem accidentibus, & primò substatem diceretur.

4 Dico tertio cõtra plures Rectiores. De ratione subsistentiæ quæ abstrahit à completa, & incompleta non esse incommuniabilitatem, quæ opponitur inhesionem, neque ex vi illius constituitur natura, seu subiectum quod afficit existens in se, seu non dependens à subiecto. Probo. Materia prima, anima rationalis, Angelus, & totum compositum, seclusa quacumque subsistentia sunt incapacia dependendi ab alio tanquam à subiecto præsupposito, seu essendi in alio tanquam in subiecto: ergo non indigent subsistentia ut sint in se, seu ut habeant in seipsam, seu independentiam ab alio tanquam à subiecto. Materiam primam, Angelum, & totum compositum non indigere subsistentia ut sint in se seu independentia à subiecto facillè euincitur, quia materia essentialiter est primum subiectum, quod dicit nullum aliud ad illam præsupponi, aliud non esset primum subiectum, siquidem aliud prius præsupponeret, Angelus autem, & quodlibet aliud totum compositum, cum nullo alio subiecto ab ipsis distincto possunt compositionem intrinsecam non possunt subiectum supponere, quod si supponerent, non essent entia totalia, & adæquata. De anima rationali eandem conclusionem probo. Anima rationalis creatur, sed eo ipso quod creatur est independentis à subiecto, & nullum supponit, quia creatio est productio rei ex nihilo, hoc est ex nullo præsupposito subiecto: ergo seclusa subsistentia præcisè per creationem constituitur anima rationalis independentis à subiecto: ergo superflua est subsistentia, ut anima rationalis, materia prima totum simplex sicuti An-

Francisc. de Ovidio, Philosoph. Tom. 1. 1.

gelus, & quodvis aliud corporeum, si datur, & totum compositum sunt independentia à subiecto, seu ut habeant in seipsam oppositam inhesionem, & dependentiam à subiecto. Eandem rationem latius pro omnibus entitatibus conficio. Quælibet entitas necessariò est producta per creationem, vel productionem, & eo ipso quod supponatur existens, supponitur existens per educationem, vel creationem; ergo eo ipso quod supponatur existens debet supponi dependens à subiecto, vel independentis ab illo: ergo subsistentia, quæ accidit rei existenti non potest illi tribuere esse independentem à subiecto: Probo consequentiam: eo ipso quod subsistentia supponat rem existentem ex vi educationis, supponit illam dependentem: ergo non potest illam constituere independentem, aliàs esset dependens, & independentis: dependens, quia ita supponitur ad subsistentiam; independentis, quia per subsistentiam independentis constitueretur. Neque dicas subsistentiam posse destruere dependentiam quam supponit in forma, quia nihil quod per se ad aliud supponitur potest ab illo destrui, illud enim quod supponitur ad formam debet illi coexistere, & illius causam dicitur, & non potest effectus causam destruere, à qua adhuc remotè accipit esse, & cui debet coexistere. Secundò, si subsistentia supponens formam dependentem per educationem destrueret dependentiam formæ, destrueret illius educationem, quod esset formam destruere, quia nihil aliud est destruere formam, seu quamlibet aliam entitatem, quam auferre actionem, ex vi cuius existit seu producit. Si subsistentia rem supponat existentem ex vi creationis, supponit illam iam independentem, quia creatio constituit rem extra subiectum: ergo superflue aduenit subsistentia, ut rem iam independentem à subiecto, iterum independentem constituat.

Dices hæc entitates seclusa subsistentia esse independentes negatiue, non verò positiue, quia positiua incapacitas dependendi à subsistentia formaliter provenit. Contra: Materia prima, Angelus, & totum compositum habent hanc incapacitatem dependendi à subiecto per suasmet intrinsecas entitates, quia conceptui intrinseco materiæ primæ, & totius completi, siue simplicis, siue compositi repugnant dependentia à subiecto. Anima rationalis in multorum sententia per se ipsam habet eandem repugnantiam, & adhuc de potentia Dei absoluta, seclusa creatione non potest educi, & dependere à subiecto vel saltem habet hanc incapacitatem dependendi per creationem, quæ est forma positiua: ergo omnes prædictæ entitates habent incapacitatem formalem dependendi per formalitates positiuas: ergo habent incapacitatem positiuam dependendi quid enim est incapacitas positiua dependendi, nisi prædicatum quoddam positiuum cui repugnat dependentia: ipsa enim non dependentia, seu dependentiæ negatio nunquam potest esse quid positiuum, sed semper dicit formaliter negationem.

Dices hæc entitates seclusa subsistentia habere incapacitatem radicalem dependendi, non verò formalem, quæ provenit à subsistentia. Contra: prædictæ entitates habent prædicata, seu rationes positiuas supra assignatas, quibus immediatè repugnat dependentia, & cum quibus hæc non poterit componi, etiam si subsistentiam demas: ergo habent seclusa subsistentia incapacitatem formalem dependentiæ, quia incapacitas formalis dependentiæ nihil est aliud, quam prædicatum, cui immediatè, & per se repugnat dependentia, sicut capacitas formalis dependentiæ aliud non est, quam prædicatum, ex vi cuius immediatè, & per se potest dependentia entitati competere. Aliter posset responderi subsistentiam posse tribuere incapacitatem dependendi rei aliàs incapaci, quia potest entitas ex pluribus titulis adæquari esse incapax cuiusvis formæ, ut patet in humanitate Christi, quæ ex vi unionis hypostaticæ est incapax peccandi, & rursum incapax peccandi constituitur per visionem beatam. Non nego posse entitatem esse incapacem pluribus titulis cuiusvis formæ, sed assero superflue addi formam rei iam incapaci præcisè ut fiat incapax, quia tunc perinde se habet subiectum cum illa formæ, ac si eadè careret. Neque exemplum à se adductum quidquam contra meam sententiam probat, quia visio beata quæ Christum iam im-peccabilem, iterum incapacem peccandi constituit, non datur Christo præcisè, ut fiat incapax peccandi, sed ut constitutur beatus, & videns Deum, ex quo secundariò im-peccabilis infertur, subsistentia autem rei iam incapaci de-

B b 3 pendendi

pendendi daretur, vt incapax constitueretur, & hæc incapax esset primarius effectus subsistentiæ, & prima ratio constitutiua illius. Si dicas subsistentiæ aliam formalitatem competere, quæ dicatur tribui rei, quam constituit subsistentem, illam assigna, in hac enim inuenienda totum huius negotij fitu est opus, quæ si assignetur, si ad rem sit, infera ego in illa totâ rationem formalem subsistentiæ consistere, & frustra illi hanc incapacitatem attribui pendendi.

Respondent alij apud Patrem Arriag. formam habere posse duplicem dependentiam à subiecto, quandam à priori media passione, aliam à posteriori media vnione, cui duplex independentia correspondet, & incapacitatem dependentiæ à priori per passionem tribui creationi, & alteram incapacitatem pendendi à posteriori mediâ vnione subsistentiæ tribuendam esse, in qua formaliter consistit. De dependentia à posteriori in vniuersum dixi Contr. 2. Physic. Punct. 7. vbi probaui, quàm agere possit hæc concipij in præsentem materiam, omnino est conficta: quia forma media vnione nullo modo dependet à subiecto, & educatione posita, etiam si forma educta subiecto non esset vnita, naturaliter conseruaretur, & totum miraculum esset in negatione vnionis, & non in formæ conseruatione, & quælibet forma, siue accidentalis, siue substantialis creata, etiam si extra subiectum sit creatione supposita, naturaliter conseruatur, neque quantitati Eucharisticæ, quæ existit sine vnione ad subiectum, & sine dependentia ab illo, datur duplex modus, quidam loco vnionis, & quidam loco dependentiæ, sed vna creatio, per quam producit independentem à subiecto, & negatio vnionis, ex vi cuius subiecto vnita erat. Neque fundamentum adhuc apparens inuenio ad concedendam hanc dependentiam à posteriori per vnionem respectu formæ creatæ, neque ad dicendum quantitatem Eucharisticam præter creationem, ex vi cuius est extra subiectum inhesionis, habere alium posituum modum ex vi cuius sit extra subiectum informationis, præcisè enim ex eo quod habeat negationem vnionis, seu ex eo quod non habeat vnionem, & terminet creationem, existit independentem ab utroque subiecto, seu existit independentem, & non vnita subiecto, quia præcisè per creationem intelligeretur independentem à subiecto inhesionis, & informationis, etiam si actu esset vnita, & actu subiectum informaret, quia forma, quæ subiectum informationis respicit taliter, vt deficiente informatione, ex vi causalitatis superstitis existeret, nullo alio subrogato loco informationis, independentem esse dicitur ab informatione, & à subiecto, quod respicit mediâ illa.

Secundò: Modus iste dicendi sustineri nequit in materia prima, Angelo, & toto composito, quia his entitatibus per seipsas implicat dependentia à posteriori per vnionem, sicuti dependentia à priori per inhesionem: ergo non rectè in ordine ad illas explicatur ratio formalis subsistentiæ per incapacitatem pendendi. Probo antecedens. Si poneretur Angelus subsistentia seclusa non dependeret à posteriori à subiecto, ergo subsistentia seclusa Angelus habet incapacitatem pendendi à posteriori. Respondent apud Arriagam huius dicendi modi patroni, implicare Angelum poni sine subsistentia. Admitto hoc quod mihi falsum est, & sic arguo: Subsistentia requiritur, vt existat Angelus, qui etiam si per impossibile sine subsistentia posset existere, implicaret dependere à posteriori à subiecto: ergo subsistentia non datur, ne Angelus à posteriori dependeat, sed vt existat ille, qui per se incapax est pendendi à priori, & à posteriori à subiecto.

Dico quartò. Ratio formalis subsistentiæ non est incommunicabilitas per modum partis in ordine ad totum essentiale, vel integrale. Respectu totius completi, siue simplicis siue compositi eodem modo probatur conclusio sicuti præcedens, quia cum totum sit incapax se communicandi per modum partis, superfluum illi superadderetur subsistentia, vt communicationis incapax fieret. Secundò, quia etiâ si respectu formarum, seu entitatum incompletarum posset tribui subsistentiæ hæc formalis ratio, tamen respectu totius completi, alia assignanda est, quæ communis poterit esse omnibus entitatibus, tam completis, quàm incompletis, præcipuè cum nullum sit fundamentum ad tribuendam hanc formalitatem subsistentiæ. Tertio efficacius arguo: etiam si subsistentia simplex sit indiuisibiliter totum efficiens, & forma subsistentiam specialem non habeat, dum est vnita, tamen ipsa forma immediatè afficit subsistentia totius, non enim immediatè subsistentia afficit totum, & postea par-

tes medio toto, sed ipsa formalis affectio totius est affectio vtriusque partis: ergo forma verè subsistit subsistentia totius, quæ immediatè afficitur dū est vnita, & tamen communicatur subiecto tanquam comparti, & composito tanquam toti, in quo includitur: ergo subsistentia ex vi cuius forma subsistit, non reddit illam incommunicabilem. Vergeò & declaro idè argumentum: in eo differunt opiniones, quæ simpliciter subsistentiam & compositam tribuunt toti subsistenti, quod opinio quæ simplicem concedit, asserit ex vi simplicis modum fieri, quod alia opinio asserit fieri per modum quendam compositum ex duplici parte, quarum vna afficit materiam, & altera formam: ergo idè affectus præstandus est à subsistentia respectu materiæ, formæ, & totius compositi, siue subsistentia sit simplex, siue composita, sed subsistentia simplex non tribuit formæ illâ incommunicabilitatem: ergo nec composita.

Dico quintò. Non rectè explicatur ratio formalis subsistentiæ per hoc quod est reddere naturam incommunicabilem alteri, vt supposito, seu per hoc quod est constituere totum incommunicabile alteri supposito, quod sic probo. Hoc quod est subsistentiam constituere naturam incommunicabilem alteri supposito, vel dicit naturam propriam subsistentia terminari specifiatiue sumptâ non posse in sensu composito terminari aliena subsistentia, etiam si propria subsistentia aliena non terminaretur, neque assumeretur suppositum formaliter vt suppositum, vel dicit naturam vt terminatam formaliter propria subsistentia, non posse aliena terminari, ita vt propria illius subsistentia aliena terminetur, & assumatur suppositum vt suppositum. Neutrū horum explicat naturam subsistentiæ: ergo alia ratione explicanda est. Primum modum constituendi naturam incommunicabilem non explicare conceptum quidditatum subsistentiæ sic probo. Formam constituere subiectum incapax habendi aliam eiusdem omnino rationis cum ipsa, vel illi oppositam, est quid commune omnibus formis: ergo etiam hoc eueniat subsistentiæ illis conceptis quidditatum non explicabit. Antecedens est certum, quia forma equi constituit subiectum, quod afficit incapax recipiendi in sensu composito falsè naturaliter, & in multorum opinione etiam supernaturaliter, alia formam equi, & formam leonis, & quancumque alia numero, vel specie ab ipsa distinctam: ergo etiam subsistentia reddat subiectum, quod afficit incapax habendi aliam subsistentiam numero, vel specie ab ipsa distinctam, ex hoc capite non poterimus subsistentiam ab aliis formis distinguere, neque in hoc prædicato aliquid speciale assignamus ratione cuius possumus quidditatiue subsistentiam cognoscere, illamque ab aliis entitatibus discernere. Vergeatur secundum se seclusa propria subsistentia, vel est capax vel incapax terminandi aliena subsistentia. Si est incapax, superflue additur propria, vt fiat incapax, si est capax, capacitas hæc est intrinseca, & identificata cum natura: ergo non potest tolli propria subsistentia: ergo tantum impeditur, ne reducat ad actum secundum, dum existit propria subsistentia, quod commune est omnibus formis, quælibet enim impedit ne cum illa coniungatur in ordine ad idem subiectum alia eiusdem omnino rationis, vel specie ab illa distincta: ergo sicuti interrogatus, quid esset forma substantialis constitutiua compositi, quidve respectu subiecti præstaret, ineptè responderes. Forma substantialis est illa, quæ vnita subiecto impedit ne tale subiectum alteri formæ substantiali vnatur, vel quæ constituens totum cum materia, non permittit materiam aliud totum constituere, sic ineptè respondes, rationem formalem subsistentiæ, quam disquirimus, esse constituere naturam, quam afficit incapacem affici alia subsistentia, quod tantum dicit, dum ais effectum formalem subsistentiæ esse reddere naturam incommunicabilem alteri vt supposito.

Ratio propter quam ineptè per hanc incommunicabilitatem conceptus quidditatus subsistentiæ explicatur est, quia hoc expellere, seu impedire formam oppositam est secundarius effectus, qui supponit primum: ex eo enim quod hoc compositum, siue subsistens sit constitutum, per hanc formam, vel subsistentiam, sit expelli constitutum aliud totius, si ex parte materiæ præcesserit vel impeditur, non præcesserit, quod est secundarius effectus ortus ex primario, per quem non possumus primum quidditatiue cognoscere, quia hic secundarius effectus omnibus formis est communis, idemque potest esse ex formis specie distinctis, eadem enim expulsio ligni fiet à forma ignis vel aquæ superuenienti materiæ, quæ cum forma ligni præcesserit. In his autem in quibus non est idem effectus, reperitur cum

cum eadem proportionem, & similitudinem, quia sicut calor opponitur cum frigiditate, ita humiditas cum siccitate, quapropter si aliunde has qualitates non nouerimus, non poterimus ex ipsarum mutuâ oppositione earumdem naturarum rimari, quod contingit in forma substantiali constitutiva totius essentialis. & in subsistentia, quia sicut subsistentia opponitur cum subsistentia, ita forma substantialis cum forma substantiali, quapropter aliunde cognoscenda est natura subsistentiæ, & substantialis formæ natura, & non ex oppositione, quam habet forma cum forma, & subsistentia cum subsistentia petenda est. Rursus si subsistentia daretur naturæ, ut aliam subsistentiam impediret, superflue daretur subsistentia in rerum natura, hæc enim subsistentia esset ad illam impediendam, & illa ad hanc impediendam: ergo si neutra esset possibilis, nulla desideraretur, siquidem necessaria non esset ad impediendam alteram, & vanis sumptibus natura has subsistentias impediret illarum productione, cum posset nullam creasse, & ita necessum non esset aliquam impediri, & magis immunis esset natura ab aliena subsistentia, si hæc repugnaret, quam dum propria impedita alienam imminuentem propulsat.

12 Si dicatur rationem formalem subsistentiæ consistere in incapacitate terminandi alia subsistentia, & reddere naturam incommunicabilem non specificatiue, sed reduplicatiue formaliter ut subsistentem, quod est constituere suppositum impotens terminari formaliter ut suppositum alia subsistentia inasumptibili ab alio, prius natura subsistentiæ explicatur, quia inepte quis definiret formam substantialem per incapacitatem informandi alia forma substantiali, & per hoc quod est constituere quoddam totum incapax informandi alia forma, hoc enim omnibus formis commune est. Deinde quia frustra daretur subsistentia in rerum natura, præcisè, ne terminaretur alia subsistentia. Ultimò quia in utroque modo explicandi hanc incommunicabilitatem idem per idem definitur, subsistentia est quæ constituit naturam incommunicabilem alteri supposito, siue hoc intelligatur de natura specificatiue sumpta, siue de illa formaliter, ut subsistente, quia in definitione ponitur suppositum, cui natura incommunicabilis dicitur, quod suppositum constituitur per subsistentiam, cuius naturam inquirimus, & quæ esset cognoscenda, ut possemus cognoscere quid sit naturam esse incommunicabilem alteri supposito. Ultimò probo effectum formalem subsistentiæ non posse in aliquo negatiuo consistere: effectus formalis est totum resultans ex forma, & subiecto: sed subsistentia est quid positiuum; natura, quæ subsistentia afficitur positiua est: ergo totum resultans ex natura & subsistentia est quid positiuum: ergo id quod formaliter dicitur in ratione talis, & tanquam proprium constitutum, seu id quod dicitur primarid suppositi, ut suppositum, non est incommunicabilis negatiua, sed ratio aliqua positiua, ex qua ad summum oriatur negatio communicationis, quæcumque propria supposito dicatur, quæ erit secundarius effectus, & non primarius.

13 Dico sexto. Effectus formalis subsistentiæ non est constituere naturam omnino incommunicabilem: Trado hanc conclusionem contra nonnullos asserentes non explicari rationem formalem subsistentiæ per incommunicabilitatem alteri, ut subiecto inhaesionis, veluti parti, definiri autem per omnimodam incommunicabilitatem quia subsistentia constituit suppositum per se existens, & naturam existentem in se, cui repugnat ex vi huius subsistentiæ esse in alio: siue tanquam in subiecto, siue tanquam in toto, aliòve quocumque modo. Ita P. Vasq. t. i. in 3. p. disp. 32. c. 4. sententia hæc ex conclusionibus supra traditis facillè reicitur: ratio formalis subsistentiæ non est reddere naturam incommunicabilem alteri ut subiecto, neque ut toti, neque ut supposito: ergo non est tribuere naturæ omnimodam incommunicabilitatem. Antecedens tradidi, & probavi conclusionibus præcedentibus; consequentia est legitima. Rationem traditam iterum breuissimè attingo: natura completa ex se est incommunicabilis alteri ut subiecto, & ut toti: ergo tantum subsistentia poterat deferuire, ut illam constitueret incommunicabilem alteri ut supposito, sed per hanc incommunicabilitatem non rectè definitur ratio subsistentiæ: ergo nequit explicari per omnimodam incommunicabilitatem. Ultimò quia formæ materiales ut probabo Pun. 4. adhuc quando sunt in toto, & dependentes à materia subsistent, & tamen communicantur toti, & subiecto: ergo nulla ex his incommunicabilibus pertinet ad rationem formalem subsistentiæ.

Dico octauo. Effectus formalis subsistentiæ non est reddere naturam potentem operari, seu illam complere in ratione principij operatiui. Fatentur omnes subsistentiam non pertinere ad rationem formalem constitutiuam principij operatiui, verumtamen defendunt nonnulli subsistentiam esse conditionem requisitam ad operandum, sine qua virtus operatiua naturæ non intelligitur absolute in actu primo potens operari, & hac ratione defendunt rationem formalem subsistentiæ consistere in hoc quod est constituere naturam per modum conditionis intrinsecæ, & consubstantialis illi proxime operatiuam. Potest probari nostra conclusio, & impugnari prædicta sententia ex duplici cap. Primo si affirmemus subsistentiam non esse conditionem requisitam ad operandum, sed naturam per se esse operatiuam independentem à subsistentia, ita tenent P. Vasq. 3. p. disp. 21. c. 3. P. Albertinus de prædic. substantiæ disp. 3. q. n. 17.

14 Alio modo potest dici, dato subsistentiam esse conditionem requisitam ad operandum per hanc rationem conditionis non rectè explicari rationem formalem subsistentiæ: ita tenet P. Lugo qui t. de Incarnat. disp. 8. sect. 1. docuit subsistentiam requiri ex parte principij ad operandum, cum quo alium formalem effectum subsistentiæ posita assignabo. Ex utroque capite sententiam impugno, ex primo quia nullum est fundamentum ad asserendum naturam indigere subsistentia, ut conditione ad operandum, sine fundamento autem non debent conditiones ad operandum assignari. Secundo quia non apparet in quo genere, neque qua ratione subsistentia possit esse conditio, ut naturæ operetur, non est enim applicatio agentis ad passum, neque dispositio ad effectum, neque huiusmodi conditionis genus cognitum fuit ad quod possit subsistentia reduci. Dicunt recentes inferri subsistentiam esse conditionem ad operandum, quia si ita non esset, opera facta à Christi humanitate Verbo vnita non dependerent ab vnione hypostatica, neque illam supponerent ex parte principij, ac proinde posset Christus suam vnionem promereri. Non moueor hac ratione, quia etiam si physice opera elicit ab humanitate Christi non dependeant ab vnione hypostatica, dependent ab illa moraliter, ut meritoria quatenus à principio significante talia opera, quod sufficiens est, ne talis vnio cadat sub illorum meritum, sicuti opera virtutum moralium naturalium efficienter non procedunt à gratia habituali, quam supponunt, ut formam dignificantem, & illam promereri non possunt, quia non solum principium physicum, sed neque principium dignificans potest cadere sub meritum, eo enim ipso quod opus procedat à natura sancta per vnionem tanquam per causalitatem, opus dignificatur mediâ vnione, & cum formaliter, ut meritorium, dicat dignificationem; non potest ut meritorium, respicere tanquam præmium formam dignificantem, neque causalitatem mediâ qua formaliter constituitur dignum.

15 Frequentius probari solet subsistentiam se tenere ex parte principij vulgari axioma *Actiones sunt suppositorum* quod fertur ex Aristot. Damasc. & Ioanne Theologo in Concilio Florentino. Negat P. Vasq. hoc axioma esse Aristotelis & Damasceni: sed esto, quid ex Arist. inferri potuit qui suppositum non cognouit? Doceret Aristoteles si tale axioma tradidisset, actiones esse singularium, quæ supposita appellaret, & non naturæ in abstracto sumptæ. Tradiderit hoc axioma Damascenus, quod verè tradidit Ioannes Theologus, ex illo non inferitur suppositum in ratione suppositi debere præcedere operationes, sed has tribui suppositis, eo ipso quod procedant à natura subsistentia terminata. Nam eodem modo dicere possumus passionem esse suppositorum, sicut enim non dicimus humanitas generat, sed homo generat, ita non dicimus humanitas generatur, sed homo: ergo sicuti ex hoc principio non inferimus tenere se formaliter ex parte principij passiuum in creaturis ratio formalis subsistentiæ, ita non debemus inferre tenere se ex parte principij, sed actiones supponentes tantum naturam ex parte principij tribui supposito, sicuti alie procedentes tantum ab anima toti compositio tribuuntur. Aliter sententia probari intenditur. Modus operandi sequitur modum essendi: sed anima rationalis vnita materiæ operatur dependenter ab vnione; & separata independentem ab illa: ergo natura terminata subsistentia operabitur dependenter ab illa. Respondeo modum operandi non sequi omnes modos essendi superadditos, homo enim sedens non intelligit

dependentem à sessione, ita neque natura subsistens dependentem à subsistentia. Ad paritatem desumptam ab vnione, Respondeo nobis à posteriori constare animam vnitam operari cum dependentia ab vnione, vbi autem nulla est ratio neque experientia, quæ suadeat dependentiam actionis ab aliquo modo, ponenda non est, & ita in actione respectu subsistentiæ non est sine ratione, aut fundamento statuenda. Ex altero item capite sententiam impugno, quia etiam si subsistentia esset conditio ad operandum, sunt etiam aliæ entitates, quibus hæc ratio competit, ac proinde non ex illa poterimus quidditatiuè subsistentiam agnoscere, approximatio enim inter agens, & passum, & inhærentia formæ substantialis in subiecto conditiones sunt vt forma operetur ergo illis conueniet ratio formalis subsistentiæ, si hæc tantum dicit esse conditionem ad operandum. Dices subsistentiam esse conditionem diuersæ naturæ à reliquis. Hanc naturæ diuersitatem querimus, illam dato, & explica quomodo, vel quo genere subsistentia sit principium ad operandum, quod haud facile à quocumque explicandum est; monearis tamen precor, te audiendum non esse, si dicas subsistentiam complere naturam in esse principij, quia omnis conditio supponit totam virtutem, & complet actum primum, ac proinde si dicas subsistentiam complere actum primum, vt natura, quæ ex se habet totam virtutem, à qua procedit actio, sit proximè expedita ad operandum, hoc commune est omnibus conditionibus, & non speciale subsistentiæ; si affirmes subsistentiam complere virtutem actiuam in ratione virtutis, & potentie physicæ, iam non erit conditio ad operandum sed formaliter virtus operatiua inadæquata, & natura virtutem tantum inadæquatam ex se habebit ad operandum quod alienum est à veritate, & ab omnium sententia.

17 Vltimò nota non bene percipi consequentiam doctrinæ Suarezij in hac re; docuit disputatione treigesimaquarta Metaphysicæ numero decimo, cum communi sententia, subsistentiam esse conditionem ex parte principij ad operandum quando existit, & postea addit n. 15. quod si per possibile, vel impossibile natura absque subsistentia permaneret, in illo casu posset operari naturaliter. Quæ doctrina mihi displicet, quia id sine quo effectus naturaliter fieri potest, conditio non est, est enim constitutum conditionis non posse fieri sine illa, illud cuius dicitur conditio, vnde dicere solemus *conditio sine qua non*, neque alium influxum habet conditio, nisi quod illa posita ponatur effectus, qui illa ablata non poneretur, & si admittatur conditio physicè non influens ad effectum, & aliàs non prædeterminans ad illum, sine qua effectus esse potest, dicam ego conditionem esse huiusmodi habere pileum ad intelligendum, & esse musicum ad ædificandum.

18 Dixi iam quid non sit hic modus; quid verò sit non ab aliquo facile dicendum spero, neque à me explicari posse præsumo. Venit hic subsistentiæ modulus vltimus ad Philosophiam, cum iam ministeria omnia naturæ distributa erant, ac proinde difficillimum puto illi officium dare; ad aliud tribunal eum remitterem, si cum illo melius actum fore putarem, verumtamen vidimus quàm agere ab omni- bus illius naturæ exercitum explicetur, cuius alia non est ratio nisi quia antequàm cognosceretur, Philosophi agnoscebant substantias independentes à subiecto, illarumque virtutes cum omnibus requisitis ad operandum, quasdam substantias incompletas, completas alias incommunicabiles toti, & subiecto ac proinde nullum modò fundamentum reperiunt, vt ex inuentione noui modi asserant illum ad aliquod ex prædictis muneribus esse requisitum, quæ ratio si rectè expendatur magnam vim habet contra omnes dicendi modos iam relatos.

19 Dico primò. Nullum est principium naturale, neque hucusque reuelatum, quo possit cognosci subsistentia, nisi esse quamdam entitatem substantialem naturæ superadditam, & constituentem quoddam concretum substantiale, quod suppositum appellamus. Ex hoc potest dici subsistentiæ munus esse naturam perficere per modum termini. Non dari aliud principij ex quo quidquam aliud possit inferri, sic probò. Subsistentiæ existentia neque à priori, neque à posteriori nobis constat, vt fatentur omnes, sed tantum ex fide habemus Verbum fuisse vnitum humanitati Christi, & assumptisse humanitatem, & non hominem, ex quo rectè inferimus hominem aliquid dicere supra humanitatem, quod Verbum non assumpsit loco cuius subrogata

fuit subsistentia Verbi, inferimus etiam illud esse quid substantiale, quia Verbum assumpsit naturam non spoliata suis accidentibus, & proprietatibus, & quia subsistentia substantialis Verbi loco accidentis, subroganda non erat, & quia hoc concretum homo quod formaliter dicit subsistentiam, accidentale non est, sed substantiale. Neque quidquam aliud licet inferri ex principijs fidei reuelatis, quibus docemur Verbum assumpsisse humanitatem, & non hominem, & permansisse vnitum anime Christi à corpore separate in triduo mortis, item illius sacratissimo corpori. Quod autem ex his principijs non inferitur, gratis, & absque vilo fundamento de natura subsistentiæ dicitur, præter illa, quæ communia sunt omnibus entitatibus, vel entitatibus substantialibus, videlicet habere presentiam, aliæque huiusmodi valde vniuersales. Posse dici subsistentiam naturam perficere per modum termini, quo aliqui putant illius naturam ex parte definitæ facile suaderi poterit, quia subsistentia naturæ aduenit, & cum illa componit totum subsistens, ex quo inferitur illam perficere, hanc perfectionem esse per modum termini nihil aliud dicit, quàm esse vltimam rei perfectionem, supra quam alia substantialis perfectio non cadit, subsistentia enim aduenit naturæ iam completæ, & toti composito, subsistenti autem seu supposito, nihil substantiale potest superaddi. Sententiam hanc sic explicatam delectat P. Lugo l. de Incarn. disp. 12. sect. 3. quam confirmat ex Epiphani. Diacono in 7. Synodo generali. Const. 6. tom. 2. post medium. Vbi dicit naturam per se existentem esse illam, quæ non indiget altera vt subsistat. In quibus verbis videtur per se sumere per se existere seu subsistere, & non indigere alia natura. Quod dicit esse vltimò perfectam, & terminatam per vltimam sui perfectionem.

PUNCTVM IV.

An subsistentia sit entitas simplex vel composita.

NON omnino sunt idem, dari subsistentias partiales, & subsistentiam habere partes, potest enim subsistentia partibus componi, quarum nulla partialis subsistentia dicatur: quod de personalitate certum est, sicut enim non dicitur persona inadæquata anima separata terminata subsistentia, ita neque illius subsistentia personalitas inadæquata dicitur, sic humanitas partibus non constat, quarum nulla humanitas inadæquata dicitur, nomen enim *humanitas* semper compositum adæquatam importat, sic nonnulli de subsistentia philosophantur.

Pater Vasquez prima parte, disputatione centesima vigesimaquinta capite quarto, absolute negat posse dari subsistentias partiales, & disputatione 174. docet neque materiam neque formam subsistentias habere in composito, & tom. 1. in 3. parte disputatione 2. agere super has subsistentias partiales admitti, existimat enim sine auctore, & contra rationem esse confectas. Non tamen eodem modo de compositione subsistentiæ in ordine ad partes integrantes, & in ordine ad partes essentielles naturæ, quam afficit subsistentia philosophatur. Affert enim subsistentiam totius diuisibilis integraliter partes habere integrales, & diuersam esse partem subsistentiæ, quæ afficit pedem, ab illa, quæ afficit caput equi, negat tamen dari subsistentias partiales adhuc in ordine ad partes integrantes, quia pars subsistentiæ afficiens partem integram non appellat subsistentiam partialem, sed asserit omnes partes subsistentiæ dici vnā integram, & adæquatam subsistentiam, quæ est in re diuisibilis sit, consistit in indiuisibili, sicuti humanitas diuisibilis in materiam & formam indiuisibilis est, quia materia secundum se, neque forma secundum se adhuc inadæquate non dicuntur humanitas. In ordine ad partes essentielles compositi nullam diuisibilitatem tribuit subsistentiæ, sed existimat ex vi eiusdem modi subsistendi secundum eandem rationem formalem indiuisibilem terminari materiam & formam.

Pater Soares disputatione trigesima quarta citata, sectione quinta, latè insequitur hanc questionem, concluditque in homine materiam habere propriam subsistentiam, & similiter formam habere subsistentiam distinctam à subsistentia materiæ; in reliquis verò compositis docet

docet materiam gaudere propria substantia, & formam materiam contentam esse modo quodam distincto à substantia partiali materię, qui modus substantię adhuc partialis non est, sed pars componens substantiam totalem cum substantia partiali materię, quia ut supra dicebam non ex eo, quod totalem substantiam componat tantquam pars illius sequitur esse partialem substantiam, sicut non sequitur esse partialem hominem, id, quod hominem componit.

4 Pater Albertinus docuit cum Patre Vasquez dari in homine simplicem substantiam terminatam ad materiam, & ad formam; in reliquis vero compositis cuius forma materialis est, docuit dari simplicem substantiam, non immediate terminatam ad materiam, & formam, sed immediate terminatam tantum ad materiam, & mediate ratione materię ad formam, quam sententiam docuit Caietanus tertia parte, questione sexta, articulo sexto, qui in homine formaliter simplicem quandam substantiam constituit, quam non immediate ad totam humanitatem, neque ad utramque partem, sed tantum immediate ad formam, & mediate ad materiam ratione formę docuit terminari.

5 Præ omnibus displicet hoc, quod ultimum ex Caietano retuli, quod primo impugno. Substantiam deducimus ex vnione Verbi ad naturam, sed Verbum non fuit vnium tantum immediate ad formam, & ratione formę ad materiam, sed fuit vnium immediate toti humanitati indiuisibiliter sumptę quatenus dicit materiam, & formam, vel immediate materię, & immediate animę per duplicem partialem vnionem, ex quibus vna totalis conficitur: ergo materia non subsistit tantum ratione substantię, quę immediate afficiat animam, sed per substantiam totalem quę indiuisibiliter immediate afficiat materiam, & formam, vel per partialem substantiam, quę immediate materiam afficiat. Inuerso ordine argumentum conficio. Verbum tantum potest vniri immediate substantię, quę ex se substantiam habeat, loco cuius substantia Verbi subroganda est. Sed in sententia Caietani materia non habet substantiam, quę illam immediate, neque totam humanitatem, quam constituit, immediate afficiat, sed tantum subsistit ratione formę: ergo Verbum non potuit vniri materię, neque ratione materię, neque ratione totius humanitatis, sed tantum ratione formę, imò neque posset vniri immediate humanitati, sed tota vnio esset ad formam, & ita in triduo mortis Verbum non maneret vnium corpori, quia huic non fuisset vnium immediate & ratione sui, neque ex eo, quod illi vnium non permaneret, relinqueret aliquid, quod antea assumpsisset, quę omnia hæretica sunt, est enim fide sanctum, Verbum, siue ratione vtriusque partis, siue ratione totius immediate fuisse vnium toti humanitati per se dico de fide esse humanitatem per se fuisse Verbo vnitam, quia quod humanitati competit ratione vtriusque partis, illi per se conuenit, cum ipsa à partibus & vnione non distinguatur) eademque fide sanctum est Verbum mansisse vnium in triduo mortis sacrosancto Christi corpori.

6 Simile argumentum conficio contra Albertin. docentem composita quorum forma materialis est tantum subsistere substantię immediate efficiente materiam. Verbum potuit vniri toti composito includenti formam materialem, & de facto fuit vnium sanguini, cuius formam materialem esse testatur idem Albertinus: ergo composita quorum forma materialis est, proprias habent substantias, substantia enim Verbi loco proprię subrogatur, & ita non potuit terminare naturam, cui ex se propria substantia non competat. Respondet Albertin. supra num. 21. materiam, & formam sanguinis vniri immediate Verbo, quia vnuntur per partiales vniones. Contrā: Fatebor vniri immediate, si per partiales vniones vnuntur, sed intendo ego argumento prædicto non posse vniri formam sanguinis, neque per partialem vnionem ipsius ad Verbum terminatam, iuxta sententiam quam impugno: Sic instaurum argumentum, eo modo quo forma est capax substantię proprię, eo modo est capax vnionis ad alienam substantiam: sed forma materialis non est capax substantię proprię adhuc partialis in sententia Albert. sed tantum subsistit substantię materię: ergo non est capax proprię vnionis ad Verbum adhuc partialis, sed tantum potest esse vnita ratione materię.

Secundò sententiam Albertini reicio, quia nulla potest reddi ratio, cur totum compositum non possit immediate secundum se totum indiuisibiliter sumptum substantię affici, nullus enim formalis effectus substantię poterit excogitari, ratione cuius totum compositum cuius forma materialis est, incapax substantię dicit possit.

7 Dico primò. In homine dari potest substantia totalis diuisibilis in duas partes inter se distinctas, quarum vna materia, & altera formę correspondet. Probo hanc conclusionem: Verbum vnium fuit animę in statu separationis: ergo in statu separationis anima capax fuit substantię. Consequentiam probo: non ex alio capite inferimus naturam esse capacem substantię, nisi quia Verbum fuit vnium naturę, sed similiter Verbum fuit vnium animę separatę: ergo anima separatę ex se capax est substantię: ergo similiter dum est vnita capax est terminandi eodem modo, quo terminatur dum est separatę. Probo consequentiam: vnio animi ad subiectum non opponitur cum substantia immediate efficiente animam: ergo anima potest terminari eadem substantia dum est vnita, & dum est separatę. Antecedens probo: Si propter aliquam rationem vnio opponeretur cum substantia immediate efficiente animam, maxime quia effectus formalis, quem præstat substantia animę separatę dicit hanc negationem vnionis: sed hæc negatio non potest esse primarius effectus substantię, quia ut dicebam, forma positiua vnita subiecto positiuo non potest effectum primarium negatiuum præstare, neque effectus secundarius, quia nullum est caput, ex quo possumus inferri substantiam immediate efficientem animam opponi cum vnione ipsius animę ad materiam, & illam expellere: ergo nullum est caput ex quo inferatur substantiam partialem immediate efficientem animam opponi cum vnione ipsius animę ad materiam. Dices substantiam animę opponi cum modo vnionis, quia per substantiam constituitur anima existens in se ipsa, & per vnionem constituitur in alio tanquam in toto, & repugnat eandem animam esse in se, & in alio. Respondeo modum essendi in se, quem substantia tribuit animę non opponi cum modo essendi in alio tanquam in toto, quem eidem animę tribuit vnio, quia substantia non tribuit animę esse tanquam totum, & ita non opponitur modo essendi in alio tanquam partem, sicuti modus essendi per se quem tribuit creatio, hoc est, non essendi in alio tanquam in subiecto inhaesionis, non opponitur cum modo essendi in alio tanquam in toto, quem tribuit vnio. Tantum ergo tribuit substantia subiecto, quod afficit esse per se, hoc est esse terminatum propriā substantia, quod opponitur cum esse in alio tanquam in supposito, hoc est, cum hoc quod est esse terminatum aliena substantia, propria enim substantia exigit ut effectum secundarium, alienę expulsionem. De materia prima à paritate animę eadem conclusio sufficienter probatur. Dixi enim posse terminari eadem substantia dum est vnita, & dum est separatę, si quis autem diceret modum illum tantum dicendum esse substantiam, dum afficit animam non vnitam, de modo loquendi tantum contenderet, de quo multum contendendum non est, etsi nullum illi super sit fundamentum. Quia etsi verum sit denominationem personę, & personalitatis tantum tribui entitatibus completis, ratio substantię & suppositi non ita est limitata, sed ad entitates incompletas extendi potest, etiam dum sunt vnitę aliis incompletis, sicuti ad easdem non vnitas extenduntur, nemo enim recusat animam separatam substantiæ appellare, etsi nomen suppositi inadæquatum non ita frequenter illi tribuatur.

8 Obiicies: substantia partialis afficiens animam separatam non opponitur cum vnione animę ad materiam: ergo substantia animę relinquit illam perfectibilem per vnionem ad materiam: ergo non est vltima perfectio. Respondeo substantiam adhuc partialem dici vltimam perfectionem per ordinem ad totalem, quę supponit naturam constitutam, & naturę inuoluenti in se vnionem inter materiam, & formam dicitur aduenire substantia, & non e contra.

9 Dico secundò. Possibilis est substantia, quę immediate, & indiuisibiliter afficiat materiam, formam, & vnionem, ita ut eademmet indiuisibilis, quę materiam afficiat, afficiat formam, & totum compositum, seu totam naturam, siue huius forma materialis sit siue spiritalis. Consentio in hac

- 16 Obiicitur subsistentia partialis non vniui vt partes integrantes, quia sunt diuersae rationis, non vt partes essentielles, quia vna non est forma alterius: ergo nullo modo possunt vniui. Respondeo non vniui vt partes essentielles propter rationem dictam, vniuntur tamen in partes partium essentialium, quia ipsae per se partes essentielles distinctas recipiunt, & posse dici vniui tanquam partes integrantes, quia non est de ratione partium integritatem esse eiusdem rationis inter se. Et quidquid sit de subsistentiis, difficultas haec componenda est in praesentis, quia materiae, formae, & vnioni, distinctae praesentiae inaequatae respondent, ex quibus vna adaequata praesentia componitur.
- 17 Obiicitur secundo. Modus vnionis inter materiam, & formam est subsistens, quia est substantialis: sed vnio hypostatica naturae ad Verbum similiter est substantialis: ergo erit subsistens. Si dicas subsistere per se ipsam, quia est modus essentialiter afficiens subsistentiam, sequitur aliquid pertinens ad hoc suppositum *Christus*, non subsistere subsistentia infinita, & increata Verbi, sed subsistentia finita, & creata; vnio enim hypostatica creata est, & si per se ipsam subsistit, per aliquid creatum subsistit, & ita hoc suppositum *Christus* non secundum se totum, & adaequata subsistit per subsistentiam infinitam, siquidem aliquid illius, nempe vnio hypostatica subsistit per se ipsam, quae est quid finitum, & creatum. Propter haec posset dici vnionem illam subsistere per subsistentiam Verbi, quam recipit vt terminum vniendum, vel, si mauis, dicito vnionem illam non subsistere, neque indigere subsistentia, quia etiam si substantialis sit, non pertinet ad constitutionem naturae, cuius, & illorum, quibus natura formaliter constituitur, proprium est subsistere, & non cuiuscumque substantialis modi.

PUNCTUM V.

An eadem natura possit duplici subsistentia terminari.

- 1 Potest procedere difficultas de duplici subsistentia, vtraque propria, & duplici aliena; subsistentia seclusa propria, & de subsistentia duplici quarum vna sit propria, & altera aliena. Vt definitur possit, an natura possit terminari simul subsistentia propria & aliena, sciendum est an possit terminari aliena, seclusa propria, si enim natura non possit aliena subsistentia terminari, vanum erit inquirere an possit terminari propria, & aliena. Sciendum etiam est an successiue possit natura duplici subsistentia propria terminari, vt disputare liceat an possit simul duplici terminari, si enim neque capax sit habendi successiue duplicem propriam subsistentiam, simul non posse extra quatuordecim erit.
- 2 Naturam posse terminari subsistentia aliena increata fide sanctum est, quia eadem est sanctum naturam humanam Christi fuisse terminatam subsistentia Verbi. De subsistentia creata mihi dubium non est posse alienam naturam afficere, si propriae non sit modus; sed res media vnione superaddita illi vnita, neque enim de subsistentia re maior potest esse difficultas in hac quaestione, quam de qualibet forma accidentali, de qua nemo dubitat posse extraneum subiectum afficere: sicut calor afficit aquam, cui est extraneus. Idem dicerem de forma substantiali si respectu huius subiectum aliquod extraneum inuenirem. De subsistentia modo fert communis sententia non posse efficere extraneum subiectum, quia inseparabilis est à proprio: probabiliter dici posse putat Arriaga disp. 4. sect. 13. subsect. 2. ad subsistentiam modum posse afficere naturam extraneam cui vnatur per vnionem superadditam, ita vt simul duplicem naturam respiciat: propriam per se immediatè, aliam per vnionem superadditam ab illa separabilem, quia de ratione modi non est non posse extraneum subiectum afficere, sed afficere proprium & ita si subsistentia modus semper propriam naturam afficiat, non erit contra rationem modalem ipsius respicere alienam. Ex eodem principio, seu ex natura modi rationem aliam expendunt Hurtad. & Lugo minus vulgarem ex Soar. desumptam. Modus est actualis exercitium, est communicatio sui effectus formalis per se ipsum, & non per aliam entitatem superadditam: ergo subsistentia non potest constituere naturam subsistentem per modum alium superadditum: ergo non potest constituere existentem naturam, quam per se ipsam

non respicit: ergo etiam si subsistentia Petri vniretur extraneae naturae non illam constitueret subsistentem, sicuti si actio procedens ab hoc principio alteri vniretur non illud constitueret efficiens. Respondeo doctrinam veram esse in his entitatibus, quae ex praedicto communi talis formae habent esse modos, & illis repugnat esse res, sicuti contingit in actione, quae eo ipso quod sit actio, debet esse modus, & in vnione, quae ex praedicto vnionis habet esse modum. Subsistentia verò ex praedicto subsistentiae non habet esse modum, non enim repugnat dari subsistentiam rem, quae media causalitate suppositum constituat, & ita non repugnat subsistentiam hanc, quae per se ipsam reddit subsistentem hanc naturam, reddere aliam distinctam ab ista subsistentem per causalitatem superadditam.

Non improbabiler rem componendam esse putarem si diceretur subsistentiam modum huius naturae posse per vnionem superadditam, aliam naturam subsistentem constituere. Fuit enim sententia Ochami, Bassol. Almaini, & Maioris apud P. Vasquez t. 1. in 3. p. disp. 35. c. 2. posse subsistentiam creatam terminare naturam alienam; & Pater Vasquez ibidem non assentitur rationi, quae oppositum vulgò probatur, ex eo, quod subsistentia sit modus inseparabilis à re cuius est modus, & Hurtadus disp. 14. sect. 8. asserit se nescire an praedictus modus defendendi naturam posse terminari aliena subsistentia creata probabilitate careat, in quem non parum propender, idque probabiliter defendi posse tradit Arriaga disp. 4. sect. 13. subsect. 2. Nihilominus existimo probabilius dici subsistentiam modum per se ipsam respicientem subiectum non posse subiectum aliud respicere, etiam proprio retento, sicuti quae per se ipsam respicit hoc principium efficiens, non potest medio modo superaddito aliud principium respicere, neque praesentia, quae per se ipsam respicit hoc spatium, non potest aliud spatium per modum illi superadditum respicere, vt propriis locis probaui. Fateor nonnullam posse reddi disparitatem, quia si praesentia respiciens hoc spatium per se respiceret aliud per modum superadditum praesentia afficeretur praesentia, & esset praesens per praesentiam superadditam, quia modus ille ex vi cuius respiceret aliud spatium esset praesentia, & ita praesentia praesentiae daretur. Idem contingeret in actione, quae si respiceret per modum superadditum aliud principium distinctum ab illo, quod per se respiciebat, ipsa actio fieret per actionem, & actionis daretur actio, quia modus ille ex vi cuius actio per se respiciens hoc principium respiceret aliud principium effectiuium, esset actio terminata ad actionem. Si verò subsistentia per se ipsam respiciens hanc naturam per modum superadditum naturam aliam respiceret, non ideo subsisteret subsistentia superaddita, neque daretur subsistentia subsistentiae, quia modus ille non esset subsistentia, sed vnio subsistentiae respiciens per se propriam naturam ad naturam extraneam, & causalitas, media qua subsistentia constitueret suppositum includens naturam extraneam eidem subsistentiae. Nihilominus absque fundamento dici existimo subsistentias modò de facto existentes capacitates habere terminandi vnionem ad naturas extraneas cum quibus suppositum constituunt, quae ratio recidit in illam, quam reddit Vasquez supra cap. 3. qui existimat subsistentiam Petri non habere virtutem terminandi naturam Ioannis, quia si hanc virtutem haberet illam naturaliter terminaret. Quam illationem legitimam esse non defendo, verumtamen assentior Vasquio asserenti subsistentiam non posse naturam alienam terminare ex defectu virtutis illi innatae. De possibilibus difficile poterit reddi ratio, cur repugnet subsistentia modus per se afficiens hanc naturam, quae per vnionem superadditam possit aliam afficere. His statutis procedere potest quaestio, an natura possit duplici subsistentia aliena, vel quadam propria, & altera aliena simul terminari? siquidem terminari potest aliena increata, & aliena creata, quae sit res, & forsan aliqua ex possibilibus creatis, quae sint modus.

Circa id, quod secundo loco statuendum proposui, putauit Pater Vasquez esse manifestum figmentum asserere eandem naturam creatam posse terminari adhuc successiue duplici subsistentia; cuius ratio haec est. Natura ex se non potest habere plures subsistentias: ergo non est indifferens ad plures: ergo non sunt possibiles plures subsistentiae respicientes eandem naturam. Posset eodem discursu inferre Pater Vasquez eundem effectum non posse successiue duplicem actionem terminare, neque idem subiectum duplicem

duplicem recipere formam substantialem; & alia huiusmodi, quia in ipsius sententia subiectum non est capax recipiendi simul duplicem formam substantialem; & ita non est indifferens ad plures recipiendas: ergo non erunt possibiles plures formae receptae, seu recipiendae in eadem materia. Eodem modo de actionibus fiet argumentatio. Respondebis materiam non posse recipere duplicem formam simul, ex quo inferitur non esse indifferentem ad recipiendum, vel non recipiendum simul duplicem formam, non tamen non esse indifferentem ad recipiendam nunc hanc, vel illam, & nunc illam & postea aliam. Solutio est optima, sed idem de subsistentiis affirmo. Do P. Vasq. naturam non posse simul terminare duplicem subsistentiam, nego tamen ex hoc inferri non esse indifferentem ad terminandum modò hanc, vel illam, & modò hanc, & postea illam. Sit ergo firmum naturam posse successiue terminare multiplicem propriam subsistentiam, & in priori naturae antequam contraxisset hanc numero subsistentiam, fuisse indifferentem ad contrahendum hanc, vel illam, ex pluribus possibilibus, quas potuit contrahere.

5 Et si non sine formidine aliqua defendit P. Lugo disputatione 12. sect. 6. n. 81. non potuisse naturam humanam Christi terminari triplici subsistentia increata, nempe subsistentia Patris, subsistentia Filij, & subsistentia Spiritus Sancti: Pro hac sententia referuntur Richard. Palud. Alb. & Anselm. quem D. Thomas aliter interpretatur. Oppositam sententiam fert Doctorum consensus: ita D. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 6. quem ultra plures alios sequuntur P. Soar. apud eundem disp. 13. sect. 2. & P. Vasquez. disp. 19. Hurtad. & Ariag quos postea referam, mouentur communiter Doctores, quia licet subsistere in se, & subsistere in alio implicet contradictionem, nullam dicit eandem naturam subsistere multiplici alienae subsistentia. Idem de subsistentiis alienis creatis, ac increatis sentiunt omnes, qui putant naturam posse terminari aliena subsistentia creata, neque ex alio capite negant Vasq. & alij asserentes posse naturam multiplici subsistentia aliena creata terminari, nisi quia putant esse incapaces terminandi adhuc simplici aliena subsistentia creata, eodemque modo supposita capacitate in natura ut terminetur aliena subsistentia creata, philosophandum est de pluribus subsistentiis alienis creatis ac de pluribus increatis, in ordine ad eandem naturam. Similiter idem iudicium ferendum est de pluribus subsistentiis propriis efficientibus eandem naturam simul, quam successiue poterant efficere.

6 Ceterum sicuti in formis substantialibus duplicem exitum quæstionem Controv. 8. Physic. Punct. 3. videlicet, an eadem materia possit informari multiplici forma, & an ex illa possit multiplex forma educi, sic in presenti potest duplex tractari difficultas, an ex eadem natura possit simul educi duplex propria subsistentia, vel duplex vnio ad subsistentias alias, vel simul subsistentia propria, & vnio ad alienam, & an possit natura ex suppositione quod subsistentia propria, & vniones ad subsistentias alias creentur, multiplici subsistentia simul terminari. Ne tamen in his diutius quam par est, immoremur, ex professo tantum disputabo, an natura possit multiplici subsistentia terminari, siue subsistentia, vel vniones ad illas creentur, siue educantur, difficultas enim specialis quam hic tractant Auctores est de subsistentiis, quatenus supposita constituunt, non de illis ut educitis, de quibus parum refert hac vel illa ratione iudicium ferri, adeo enim exigua, & minutula entitas est creata subsistentia, & vnio ad illam, ut neganda non sit naturae virtus ut ex illa duplex vnio ad alias subsistentias, vel duplex subsistentia propria simul educantur, si ex alio capite non illi repugnet prædictis subsistentiis simul terminari.

7 De subsistentia propria, & aliena docuit P. Soar. dicta disput. 13. sect. 1. repugnare naturae existenti in simplici loco, non tamen eidem existenti in duplici loco, ita ut in vno habeat propriam subsistentiam, & in altero alienam: sententia hæc reicienda est ex dictis, Controv. 15. Physic. Punct. 10. ubi probaui omnia, quæ ratione impossibilitatis formalis, vel ex defectu virtutis repugnant, subiecto existenti in simplici loco repugnare eidem in multiplici existenti, quia præsentiarum multiplicatio non addit virtutem causis, neque tollit impossibilitatem formarum, quæ non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subiectum, quod semper est, et si in diuersis locis repetitur,

sed tantum addit nouam applicationem ratione cuius exerceri poterunt in duplici loco, quæ in simplici prædictæ hac re dixi loco citato. Consequentius P. Vasquez, & communis Doctorum sententia eodem modo, id negant de natura absolute siue in simplici loco existenti, & P. Lugo supra n. 19. expresse asserit eandem esse rationem de natura quocumque modo præsentata consideretur.

Sentio nullam repugnantiam inuolueri naturam terminari duplici subsistentia, siue vtræque sit aliena, siue vtræque propria, siue vna propria, & altera aliena increata, vel creata. Naturam posse terminari duplici subsistentia aliena, fulcitur autoritate Angelici Doctoris, quem sequuntur ultra plures alios Soar. & Vasquez num. 5. Idem dicunt hos Doctores de duplici subsistentia propria, ex suppositione, quod possibilibus sit duplex subsistentia propria, quibus eadem natura possit successiue terminari, & hanc duplicem subsistentiam non repugnare ostendi supra n. 4. & 5. Naturam posse diuina intercedente potentia simul terminari subsistentia propria, & aliena, tradit Hurtad. disput. sect. 8. num. 24. quam sententiam satis probabiliter esse asserit, eamque à viris doctis vidisse defendi. Eandem conclusionem absolute defendit Ariag. disp. 4. sect. 13. subsect. 4. & P. Lugo qui oppositam defendit disput. 12. sect. 6. asserit num. 68. difficile posse rationem efficacem adduci, quæ conclusio tradita impugnetur. Conclusionem probat: Subsistentia quæuis, siue propria, siue aliena non constituit naturam formaliter non vnitam alij subsistentia, seu non terminatam alia subsistentia positiua, sed tantum habet ut possit per se ipsam exigere, ne natura, quam afficit vnitur, vel terminetur per aliam subsistentiam, ergo non implicabit Deum de potentia absoluta, vnire naturam terminatam hac subsistentia alij subsistentia, siue propria, siue aliena, per quam terminetur. Antecedens probat: naturam non esse vnitam alienae subsistentia dicit formaliter negationem vnionis cum subsistentia aliena, esse vnitam seu terminatam per propriam subsistentiam dicit formaliter propriam subsistentiam efficientem naturam: ergo naturam esse terminatam hac subsistentia, & carere illa subsistentia distincta ab ipsa, siue propria, siue aliena formaliter, & realiter distinguuntur, sicuti distinguuntur entia positiuum & negatiuum, & sicuti distinguuntur in materia ipsam esse informatam formâ hominis, & non esse informatam formâ ligni, vel bruti: ergo naturam esse terminatam hac subsistentia, ex se non dicit formaliter, & identice non esse terminatam alia, siue propria, siue aliena, sed tantum dicit inducere negationem alijs subsistentiis per impossibilitatem, quam habet hæc subsistentia cum illa; & per existentiam, quam habet negationis omnis subsistentia distinctæ ab ipsa terminantis naturam, quam ipsa afficit. Consequentiam probat: Etiam Deus vnari subsistentiam, siue alienam, siue propriam naturæ terminatæ per subsistentiam propriam, relinquit integram totam essentiam, & omnia, quæ dicit intrinsece subsistentia, quæ afficiebat subiectum, quia subsistentia terminans hanc naturam tantum dicit intrinsece existentiam negationis alijs subsistentiis informantis eandem naturam, & non ipsam negationem, cum qua existentia remanet etiam si coniungatur cum contrario, sicuti contingit calori ut octo, quando supernaturaliter iungitur cum frigiditate, cuius negationem exigebat: ergo per compositionem huius subsistentia cum alia, seu per positionem huius subsistentia permanente alia, quæ eandem naturam afficiebat tantum impedit effectum quemdam negatiuum, & secundarium, qui naturaliter erat inferendus ex positione vnus subsistentia, videlicet negationem illius subsistentia, quæ cum altera componitur in subiecto: ergo nihil efficit Deus, quod sit formaliter destructiuum effectus formalis, quem præstat subsistentia, neque alicuius prædicati intrinsece subsistentia: ergo saluâ essentia quarumcumque subsistentiarum, & permanentibus integris omnibus, quæ subsistentia, siue propria, siue aliena, siue vna propria, & altera aliena dicunt, intrinsece possunt componi in eadem natura: ergo nulla contradictio est in eo, quod duplex subsistentia, quæ non opponitur contradictorie in ordine ad subiectum, in eodem componantur.

Ex doctrina tradita ratione supra dicta soluantur facili rationes omnes, quibus auctores opposita sententia intendunt probare, repugnare eandem naturam terminari duplici subsistentia præcipue propria, & aliena, quarum hæc

hæ potissima. Ex vi subsistentiæ naturæ sitit in se ipsa: ergo non potest esse in alio supposito, implicat enim, id quod in se sitit transire ad aliud, sicuti in motu locali contingit, ex suppositione enim quod ego sitam in hoc loco, implicat transire ad alium. Vigetur ratio respectu subsistentiæ propriæ & alienæ: ex vi subsistentiæ propriæ constituitur natura existens in se, seu in proprio supposito: ex vi subsistentiæ alienæ constituitur natura in alio, & in alieno supposito, sed implicat esse in se, & in alio, in proprio, & alieno supposito: ergo implicat eandem naturam terminari propriâ, & alienâ subsistentia.

10 Respondeo sistere naturam in se duo dicere, vnum positivum, & aliud negativum: dicit positivum naturam habere proprium terminum ex vi cuius alio non indiget, & constituitur actu vndeque completa: dicit tanquã quid negativum naturam non terminari aliâ subsistentia. Primum illud positivum est effectus primarius subsistentiæ inseparabilis ab illa. Secundum istud negativum est effectus secundarius subsistentiæ, sicuti est negatio frigiditatis in subiecto effectus secundarius caloris informantis subiectum, qui secundarius effectus à primo distinguitur, & ab illo separabilis est, ut supra dicebam. Ex his respondeo posse componi cum primario effectus subsistentiæ, quæ tantum dicit naturam habere terminum ex vi cuius sufficienter est terminata, & ex vi cuius petit carere alio, terminari aliâ subsistentia, hæc propriâ, & alienâ, licet non possit componi cum secundario effectus, qui dicit negationem aliâ subsistentiæ, cum tamen hic secundarius effectus separabilis sit à primario, sit naturam terminatam hæc subsistentia posse terminari aliâ, ita ut non sitat in propriâ, seu in supposito constituto per propriam subsistentiam, quatenus sistere non solum dicit rationem positivam terminandi hæc subsistentia, sed etiam negationem aliâ distinctæ ab ipsa. Ad illud, quod dicitur de subsistentia propriâ, & alienâ, respondeo, per subsistentiam propriam constitui naturam in proprio supposito, quod est constitui hoc suppositum ex natura, & propriâ ipsius subsistentiæ, quod non dicit formaliter, & identice, naturam non terminari alienâ subsistentia, seu non constitui aliud suppositum ex eadem natura, & alienâ subsistentia, sed tantum causaliter, & illatiue, quæ causatio, seu illatio potest impediri à Deo nolente iuxta existentiam propriæ subsistentiæ naturam conferre sine alienâ subsistentia, sed simul conferre subsistentiam propriam, & alienam afficientes eandem naturam, seu simul producere duplex suppositum, hoc constitutum ex hac natura, & propriâ illius subsistentiæ, & illud ex eadem natura, & alienâ subsistentia. Neque ex hoc inferatur naturam habere, & non habere propriam subsistentiam, neque esse in proprio supposito, & non esse in proprio supposito, quæ contradictoriè opponuntur, sed esse in proprio, & alieno supposito, habere propriam, & alienam subsistentiam, quæ tantum opponuntur contrariè. Exemplum sunt obvia: corpus potest existere in duplici loco, ut fert communis sententia, demus ignem existentem iuxta Lunæ cœcaum ex vi huius præsentie, & in medio aeris ex vi alius præsentie, in quo nemo contradictione inveniet, & tunc est in proprio centro, & in alieno: in proprio ex vi præsentie, quæ constituitur iuxta Lunæ cœcaum, & in alieno videlicet in cœtro aeris, ex vi præsentie, quæ constituitur in medio aeris.

11 Addo hoc quod est rem affici propriâ forma, & alienâ abstrahendo ab hac, vel illa materia nullam dicere contradictionem, lapis enim afficitur frigiditate, quæ est propriâ illius qualitas, & afficitur luce quæ est qualitas illi extranea, adventitia, & aliena, quapropter hoc quod est naturam non posse terminari subsistentia propriâ, & alienâ præcisè oritur, ex eo quod natura non possit duplici subsistentia terminari, non ex eo quod vna sit propriâ, & altera aliena, ex his enim prædicatis præcisè nulla in illis resultat impossibilitas in ordine ad eandem naturam, sicuti non resultat in duplici qualitate, quatum vna est propriâ, & altera aliena in ordine ad idem subiectum, ut de luce, & frigiditate respectu eiusdem subiecti nuper dicebam. Ex quo infero non maiorem impossibilitatem habere hanc subsistentiam propriam cum alia alienâ, quam cum alia eiusdem naturæ propriâ. Dico non esse maiorem impossibilitatem ratione oppositionis, quam inter se habent subsistentia, quia ex eo, quod præcisè quocumque alio, nulla subsistentia possit naturam alienam terminare, maius miraculum erit eandem naturam terminari subsistentia propriâ, & alienâ, quam duabus propriis, quia quando

Francisc. de Ovidio, Philosoph. Tom. I.

duabus propriis terminatur, terminatio cuiusvis subsistentiæ secundum se sumpta naturalis est, & tantum supernaturalis est utramque coniungi, & simul eandem naturam terminare. Quando verò natura terminatur subsistentia propriâ, & alienâ, non est tantum supernaturalis utramque subsistentiam coniungi, sed etiam supernaturalis naturam terminari subsistentia alienâ, independenter ab utriusque subsistentiæ coniunctione. Ex eodem capite censo magis supernaturalis esse naturam terminari duabus subsistentiis alienis, quam vna subsistentia propriâ, & alienâ, quia in utroque casu subsistentiarum compositio est æquè naturaliter repugnans, & in primo utraq; terminatio secundum se sumpta, independenter ab altera est supernaturalis, & in secundo tantum terminatio alienæ subsistentiæ supernaturaliter contingit, propriâ enim terminatio clausa coniunctione cum terminatione alterius subsistentiæ naturalis est.

12 Obiicies. Patres, & Concilia inferunt naturam humanam Christi carere propriâ subsistentia, quia est terminata subsistentia Verbi: ergo non potest natura humana Christi terminari propriâ subsistentia, & alienâ, aliâ non rectè inferretur est terminata subsistentia alienâ: ergo caret subsistentia propriâ. Respondeo Patres, & Concilia inferre defectum propriæ subsistentiæ in natura humana Christi, ex eo, quod subsistat subsistentia Verbi, quia non potest naturaliter eadem natura duplici subsistentia terminari, quæ illatio optima est, etiam si supernaturaliter potuisset aliter contingere, sicuti bene omnes inferimus existentiam substantiæ, ex existentia accidentium, ubi fides oppositum non docet, etiam si supernaturaliter accidentia sine substantia possint existere. Similiter inferunt Patres, & Concilia sub speciebus panis existere corpus & sanguinem Christi, item sub speciebus vini, etiam si ex vi verborum sub speciebus panis tantum sit corpus, & sub speciebus vini tantum sit sanguis, quia naturaliter mutuo iunguntur corpus, & sanguis in homine viuo, etiam si supernaturaliter possint separari.

13 Occurrit P. Lugo suprà sect. 6. Tantum & forsitan maius miraculum est auferri à natura completa propriam subsistentiam, quam illam conferre subsistentia propriâ, & alienâ, quia sicut datur repugnantia iuxta sententiam, quam defendimus naturalis tantum, & non essentialis in eo, quod natura terminetur duplici subsistentia: sic naturaliter repugnat naturam completam carere propriâ subsistentia. Cur ergo magis dicendum est auferri propriam subsistentiam, ne subsistat miraculosè eadem natura per duplicem subsistentiam, & non potius manere propriam subsistentiam, ne maneat natura sine passione sibi connaturaliter debita. Respondeo supposita subsistentia Verbi terminante naturam humanam nullum esse miraculum hanc carere propriâ subsistentia, quia etsi subsistentia sit debita naturæ completæ, quando caret alienâ, & eidem debitum sit carere alienâ ut habeat propriam, non tamen debita est eidem naturæ propriâ subsistentia, ex suppositione quod habeat alienam, sicuti non est debita frigiditas aquæ ex suppositione, quod calore informetur; sed supposita informatione caloris, attenda existentia causarum naturalium naturaliter caret frigiditate, & huius informatio supernaturalis esset supra id, quod debebatur aquæ, & contra id, quod debebatur calori, quo supponimus aquam informari. Rateret ergo forsitan tantum, seu maius miraculum esse naturam hæc alienâ subsistentia non terminatam propriâ carere, quam illâ propriâ & alienâ terminari, quia naturæ non terminatæ subsistentia aliena debita esset propriâ subsistentia, & illius carentia esset contra existentiam ipsius naturæ, nulla causa eandem carentiā exigente; cum verò natura affecta subsistentia aliena caret propriâ, etsi hæc carentia sit contra existentiam naturæ, & iuxta existentiam alienâ subsistentiæ, & ratione huius est carentia subsistentiæ, quæ tunc temporis non debetur, & qua naturaliter caret natura. Addo in multorum sententia naturam humanam Christi non habere appetitum ad propriam subsistentiam dum est affecta subsistentia Verbi.

14 Inquires an si daretur suppositum cuius subsistentia esset identificata cum naturâ, posset ipse natura alienâ subsistentia terminari. Affirmativa pars suaderi videtur, quia si potest natura terminari alienâ subsistentia, dum actu propriâ distinctam retinet: ergo etiam si illam haberet identificatam eodem modo posset terminari. Respondendum tamen est negativè, quia si natura identificata cum subsistentia, alienâ subsistentia terminaretur non solum natura, sed

C c etiam

etiam subsistentia cum ipsa identificata, terminaretur alienae subsistentiae, & non solum assumeretur natura, quae subsisteret, sed suppositum, & ipsa formalis subsistentia, quod implicat.

PUNCTUM VI.

Nonnulla expediuntur de subsistentiis.

I Primò inquiritur, an natura possit conservari à Deo absque omni subsistentia. Negat Scotus in 3. distinct. 1. & satis consequenter ad sua principia, cum enim ipse teneat subsistentiam esse quid negatiuum, hoc non potest adimi, nisi adueniente illo cuius est negatio, cum tamen hoc sit vnio ad aliud suppositum, sit non posse naturam priuari propria subsistentia absque vnione ad aliud suppositum, ac proinde subsistere subsistentia aliena eo ipso quod non subsistat subsistentia propria. Ex his qui docent subsistentiam esse quid negatiuum adherent Scoto, P. Soar. in Metaph. disp. 34. sect. 6. n. 35. P. Fonseca lib. 5. c. 8. q. 6. sect. 5.

2 Melius fert communis sententia naturam posse diuinitus manere nudam omni subsistentia, hanc tenet Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. P. Valent. t. 4. disp. 1. q. 1. punct. 2. §. nec obstat. P. Lugo disp. 12. sect. 7. P. Albert. de prædic. subst. disp. 3. q. 4. P. Hurtad. disp. 11. sect. 9. §. 123. P. Arriaga disp. 4. sect. 13. subsect. 6. Sententiam hanc teneo & probo. Natura est prior casualitate subsistentia: ergo antequam intelligatur subsistentia, intelligitur natura existens: ergo siue postea existat subsistentia, siue non existat, existet natura. Sæpe hoc argumento vsus sum præcipue Controu. 2. Physic. punct. 7. ad probandum materiam ex se posse existere naturaliter sine forma, si semel naturaliter, vel supernaturaliter forma explicetur, ubi egi de dependentia à posteriori, & ostendi, quam agrè possit defendi; sed quidquid sit de hac dependentia à posteriori argumentum prædictum conuincit naturam, ut existentem, tantum dependere à posteriori subsistentia, si aliquo modo dependet, quam dependentiam potest Deus supplere, & illa non obstante naturam conservare, supra id, quod exigit, seu casu quo non exigeret conseruationem ex defectu subsistentiae. Secundò efficaciter eadem conclusio probatur ex eo, quod nulla appareat contraditio in eo quod conseruetur natura sine subsistentia, siue qua diuinæ omnipotentiae nihil negandum est. Constat antecedens ex argumentorum solutione.

3 Obiicies primò. Si natura daretur sine subsistentia esset per se, & non esset per se, quæ sunt contradictoria. Ellet per se quia non inniteretur alteri, non esset per se, quia non haberet subsistentiam. In eadem rationem coincidit argumentum aliud, quod vulgò circumfertur. Implicat effectum formalem sine forma; sed si natura existeret sine subsistentia esset effectus formalis subsistentiae, quia natura existeret per se, quod est effectus formalis subsistentiae: ergo implicat naturam existere sine subsistentia. Respondeo naturam sine subsistentia extitutam per se, hoc est, non in subiecto inhaesionis, à quo educeretur, quod habet per creationem, non tamen extitutam per se, hoc est, positiuè terminatam, & perfectam propria subsistentia, & vltima ipsius perfectione; in quibus nulla est contraditio, quia non diceretur natura esse per se, & non esse per se sumpto per se in eodem sensu, sed in diuersis, in quibus esse per se, & non esse per se non opponuntur, quia non opponuntur esse creatum, & independentem à subiecto, quem modum essendi per se haberet natura sine subsistentia, cum hoc quod est non habere proprium terminum, & vltimam perfectionem, quod esset in natura carente subsistentia non esse per se, neque alium modum non essendi per se haberet. Ad illud de effectum formalem subsistentiae, dicendum est ex doctrina tradita effectum formalem non esse naturam non existentem in subiecto inhaesionis, quæ esset, deficiente subsistentia, sed natura vltimò perfecta, proprioque gaudentes termino, seu suppositum, & constitutum ex natura, & vltima perfectione illius, videlicet subsistentia, quod suppositum deficiente subsistentia neutquam esset.

4 Obiicies secundò. Implicat rem esse sine proprio termino intrinseco: sed subsistentia est terminus intrinsecus naturæ: ergo implicat naturam existere sine subsistentia. Antecedens probatur in linea quantitatis, quæ si infinita non sit, non potest non proprium habere terminum. Distinguo primam propositionem: Implicat rem esse sine ter-

mino intrinseco, quando terminus realiter identificatur cum re terminata, concedo maiorem; quando ab illa fauore modaliter distinguitur, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: subsistentia est terminus intrinsecus naturæ, identificatus cum illa, nego: distinctus saltem modaliter, concedo: & vltimò nego consequentiam. Ad exemplum adductum de quantitate dico lineam fuisse itam, quæ non possit conservari sine termino in opinione, quæ licet terminum vocat indiuisibile vltimum illius eiusdem rationis cum alijs; in opinione verò, quæ continuatur puncta concedit specie à reliquis distincta, dicendum est posse lineam sine his indiuisibilibus conservari.

Obiicies; eo ipso, quod à re aufertur talis modus necessarius illi modus oppositus contingit, sicuti eo ipso, quod à quantitate demas educationem, illi creationem contingere necesse est: ergo eo ipso, quod à natura demas subsistentiam propriam, quæ est per se necessario illi aliena continget, quæ sit in alio tanquam in supposito. Respondeo antecedens vniuersaliter non esse verum, licet in exemplo adducto educationis, & creationis illius doctrina speculiter supra vera sit, quia nullum ens creatum potest esse sine dependentia ab aliqua causa, & cum omnis dependentia à causa efficiet sit actio, & hæc adæquate diuidatur in educationem, & creatiuium, rectè tenet consequentia; sententia hæc non esteducta: ergo est creata; & è contrà, non est creata: ergoeducta. In præsentia autem materia non specialiter inuenitur ratio, propter quam dicamus de potentia absoluta non posse entitatem existere sine subsistentia, sicuti reperitur ne possit existere sine actione. Adde in omnium sententia naturam tantum posse dependere à posteriori subsistentia, res verò creata dependent à priori ab actione, quam supponit.

Obiicies tertio. Natura non potest esse sine præsentia, ergo neque sine subsistentia. Notauit bene Arriaga eodem modo posse inferri: ergo neque sine passionibus, vel argui materia non potest esse sine præsentia: ergo neque potest esse sine forma substantiali. Respondeo naturam posse existere de potentia absoluta sine subsistentia, quia in hoc nulla est repugnantia, quidquid sit de alia questione, an possit entitas sine præsentia existere, cui, qui negatiuè respondet, admittit antecedens, & reddet pro disparitate rationem, quæ mouetur ad affirmandum entitatem non posse etiam diuinitus sine præsentia existere: licet etiam mihi antecedens negare, qui defendo Controu. 15. Physic. Punct. 7. posse entitatem creatam omni præsentia absoluta, quia tamen difficultatis argumentum in illatione non consistit, sed tota est in antecedenti, quod longè difficilior est consequenti, ut intra proprios materiæ terminos coerceretur arguens, satis erit antecedens omittere, neque aliam tertiis disparitatem reddere, si asseras certum tibi esse non esse repugnantiam in eo quod natura existat sine subsistentia, etiamsi admittatur in eo, quod entitas sit sine præsentia, quia etiam hac admissa quæcumque illa sit certum est solui omnia argumenta, quibus intenditur probare inuolueret contraditionem naturam existentem sine subsistentia. Neque in his quæ de potentia absoluta procedunt arguendum est negatiuè à paritate huius conclusionis ad aliam, sed à paritate rationis repugnantiae, quam in vtraque agnoscimus assigna ergo repugnantiam, quam inuenis in eo, quod sit entitas sine præsentia, & tunc ego disparitatem reddam propter quam ratio illa repugnantiae non inueniatur in eo, quod natura existat sine subsistentia, aut defendam, si admittam rationem illam eo modo se habere respectu subiecti in ordine ad præsentiam, & subsistentiam, non esse veram rationem repugnantiae, & neutrum ex illa implicare.

Insuper alia difficultas, an natura existens sine subsistentia conseruetur eodem influxu quo conseruabatur dum erat cum subsistentia, vel cum alio distincto. Conseruandum esse cum alio docet P. Albertinus supra n. 7. Melius docet Hurtad. supra ex Patre Soar. naturam eodem influxu conseruandam esse, quia natura non dependet à priori à subsistentia tanquam à principio; sed ad summum à posteriori, quia non illi debetur conseruatio deficiente subsistentia, quæ dependentia non variat actionem; quæ idem concursus, qui datur naturæ subsistenti, quia illi debetur, potest dari à Deo quando non debetur. Eadem ratione dixi loco citato de materia, eadem actione à Deo conseruandam esse sine forma, quæ cum illa conseruabatur. Adde neque quoad modum esse supernaturalem, seu indebitum concursus, quo natura sine subsistentia conseruaretur, tantum enim

enim esset supernaturale ipsam propria subsistentia carere, sicuti de materia dicebam loco citato naturaliter esse conseruandam si supernaturaliter omni forma expoliaretur. Ratio esset eadem in vtraque materia petita ex prioritate, quam habet materia respectu formæ, & natura respectu subsistentiæ, cum qua haud facile valet intelligi dependentia à posteriori, quam in natura respectu subsistentiæ meditatur Soar. 3. p. 1. disp. 8. sect. 1. §. alio modo.

8 Solet inquiri, an subsistentia sit de essentia hominis. Respondendum est negatiuè, quia essentia idem sonat, ac natura, deinde quia dicimus Verbum assumptisse totam naturam, & totam hominis essentiam, tamen subsistentiam non assumpsit. Si tamen homo sumatur secundum naturam completam, non quatenus natura, quæ est completa dicit in obliquo id, per quod completur; sed quatenus illud dicit in recto, & formaliter quatenus est suppositum, seu persona, subsistentia posset dicit de essentia hominis, quia est id, per quod formaliter constituitur suppositum & sicuti calor est de essentia calidi, ut calidi, sic subsistentia est de essentia suppositi formaliter, ut suppositi, quia sicuti implicat esse calidum sine calore, sic implicat esse suppositum sine subsistentia. Hic tamen loquendi modus frequens non est inter Philosophos, neque proprius in Philosophia, ideo absolute dicendum est subsistentiam non esse de essentia hominis aut suppositi, quia iuxta frequentem, & proprium loquendi modum, cum inquiritur, an aliquid sit de essentia hominis, non intelligitur de essentia suppositi reduplicatiuè, sumpti formaliter ut suppositi, sed tantum specificatiuè, hoc est, an sit de essentia hominis, qui est suppositum, seu persona.

9 Inquirendum non est, sed supponendum, subsistentiam constituitur formaliter suppositum in esse suppositi contra Capreol. qui in 3. dist. 5. q. 3. docuit existentiam, & subsistentiam non distinguere realiter, reperiri tamen in eadem entitate duplicem formalitatem: vnam, quæ facit rem esse extra causas, & existentia dicitur; alteram, quæ naturam facit esse per se, & dicitur subsistentia, nihilominus asserit hanc non esse constitutum suppositi in esse suppositi, sed importari ut additum, sicuti terminus à relatione, qui formaliter non est constitutum relati formaliter ut relati, licet ab illo dependeat tanquam ab aliquo extrinseco, quo modo asserit suppositum à subsistentia dependere: Capreoli fundamenta hæc sunt: subsistentia est passio naturæ: ergo fluit à supposito: ergo non constituit suppositum. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia etsi passiones aliæ à supposito dependant, & ad illas producendas requireretur subsistentia ex parte principij, passio illa per quam suppositum constitueretur non procederet à supposito, neque subsistentia ex parte principij subsistentiam, seu naturam subsistentem supponeret; sicuti præsentia non supponit ex parte principij, quod per illam præsens constituitur, aliam præsentiam, neque principium formaliter, ut præsens, licet ad producendum omnem effectum distincti à præsentia ex parte actus primi præsentia supponatur.

10 Arguit secundò: Existentia non est de essentia creaturæ: ergo neque subsistentia est de essentia suppositi. Concedo antecedens, & distinguo consequens, subsistentia non est de essentia suppositi specificatiuè sumpti, concedo consequentiam; reduplicatiuè formaliter ut constituti in esse suppositi, nego consequentiam. Posse uti eadem distinctione in antecedenti, quia existens formaliter, ut existens, & ut dicit rationem creaturæ abstractibilem ab existenti, & & possibili iam contractam ad esse existentis, ut conditioni, & oppositi cum esse possibili dicit existentiam tanquam rationem formalem constitutum, sicuti album ut album dicit albedinem, ut illius constitutum, sine qua implicat existere formaliter album, licet possit existere substantium quod denominabatur album. Sic conceptus creaturæ, quæ denominatur existens concipi potest sine ipsa existentia, ipsa verò creatura formaliter, ut existens sine existentia concipi non valet.

11 Arguit teritiò: Si subsistentia esset de essentia suppositi non esset Christus vnioe homo nobiscum, nam subsistentia in Christo est diuina, in nobis humana, quæ inter se essentialiter differunt: ergo si subsistentia esset intrinseca supposito hominis, non posset hic homo habens propriam subsistentiam conuenire vnioe cum Christo. Respondet Christum vnioe esse hominem, cum alio quouis homine, quia habet naturam humanam, quæ vnioe conuenit cum natura cuiusvis hominis, ex qua natura essentia

Francisc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

hominis desumitur, & non ex subsistentia, natura enim eadem eundem hominem constituit, quacumque subsistentia specie differenti terminetur, sicuti eadem natura diuina constituit eundem Deum cum triplici subsistentia, quarum qualibet ab alia specie differt.

12 Non inconsequenter potuisset procedere Durandus, qui docuit in 1. dist. 33. q. 1. in 2. dubitat, subsistentiam non componere suppositum cum natura, quia cum ipse asserat suppositum tantum per rationem à natura distinguui, & ubi nulla est realis distinctio nulla possit esse compositio rectè in suis principiis inferitur subsistentiam non componere naturam cum supposito. Non tantà specie consequentiæ docuit eandem conclusionem Caietan 3. p. q. 4. art. 2. cum ipse fateatur subsistentiam modum esse positum naturæ superadditum. Fundamentum Caietani hoc est: terminus non componit cum re terminata, sed subsistentia est terminus naturæ: ergo non componit suppositum cum natura. Antecedens probat exemplo puncti terminatiui, quod ex communi Philosophorum sententia cum linea quam terminat non componit.

13 Dixi potuisse Durandum consequenter ad sua principia procedentem docuisse conclusionem propter rationem dictam, verumtamen aliud fundamentum iecit ad illam adstruendam, quo intendit nullum modum posse cum alia re componere. Sic arguit: Nullus modus componit cum natura: sed subsistentia est modus: ergo subsistentia non componit cum natura. Supponit minorem, quam iuxta illius principia, qui tantum distinguit per rationem naturam à supposito, negandam esse arbitror. Maiorem probat: omnis compositio fit per hoc quod vna res inhereat alteri, vel per se subsistat alteri vnita, sicuti se habet anima respectu corporis: sed modus non inhereat in natura, neque per se subsistat naturæ vnitus: ergo non componit cum natura.

14 Fert communis sententia subsistentiam cum natura componere suppositum, in qua questione de vocibus tantum potest esse dissidium, quia apud omnes est certum suppositum constare ex natura, & subsistentia, an verò subsistentia dicenda sit componens cum natura, vel terminans naturam, questio est purè de voce, in qua magis placet communis loquendi modus, quia subsistentia formaliter constituit suppositum in esse suppositi, quod est esse formam suppositi, ut suppositi, & omnis forma pars dicitur formalis illius, quod constituit cum alio, quod præsupponit, sicuti præsentia dicitur forma huius concreti præsens formaliter, ut est concretum accidentale constitutum ex subiecto, & ex præsentia. Neque refert subsistentiam esse modum, ut putauit Durandus, quia de ratione partis componētis tantum est esse alteri vnitam, vel immediatè per se, vel per vnionem superadditam, potest enim dari compositum substantiale constans materia, & forma substantiali per se ipsas vnitis nulla superaddita vnione interiecta. Neque principium Caietani vniuersaliter est verum, potest enim dari terminus, qui cum re, quam terminat constituit, & componat non rem terminatam, seu habentem terminum, sed terminatum substantiuè, seu illud quod resultat ex re terminata, & ex ipso termino. Fateor punctum lineæ, non dici lineam componere, in opinione, quæ puncta terminatiua specialia admittit, & continuum constituit ex infinitis partibus, quia secundum hanc sententiam secluso hoc puncto intelligitur tota essentia lineæ, quæ dicit quantitatem extensam versus longitudinem, ad quam extensionem punctum illud non conducit, quia indiuisibile cuiusque addatur non facit maius secundum hanc sententiam. In opinione Zenonis si punctum speciale terminatiuum admittatur impenetrabile cum aliis partem componere diceretur, si verò penetrabile constitueretur non erit pars lineæ propter eandem rationem, quia excluditur punctum à ratione quantitatis in Aristotelis sententia.

15 Potest inquiri an subsistentia possit separari à natura, cuius est subsistentia, cui questioni facile respondeo in opinione, quæ subsistentiam rem esse defendit, & non modum posse separari; non verò in opinione, quæ asserit subsistentiam esse modum, propter communem rationem rei, & modi, quorum hic inseparabilis est à re cuius est modus, & illa à quacumque alia, cuius non est modus, separari valet.

16 Peti etià solet quibus rebus subsistentia conueniat. Dixi iam subsistentiam conuenire toti composito, & posse conuenire materiæ, formæ, & modo vnionis. Explicui etiam ibidem an possit vnioni hypostatice subsistentia conuenire,

C c 2 restat

restat modò dicendum an conueniat accidentibus. Nulli accidenti substantiam cōpetere dum subiecto inheret citra controuersiam est inter Dōctores, an illi conueniat dū per creationem extra subiectum conferatur cōtrouersum est. P. Vasq. t. 3. in 3 p. disp. 149. c. 2. P. Soar. ibid. disp. 59. sect. 2. concl. 2. P. Lugo tom. de Incarn. disput. 12. sect. 7. num. 94. sentiunt quantitatem Eucharisticā per creationem existentem independentem à subiecto deberi modum quēdam superadditum, quo constituitur per se existens. Oppositam sententiam tradidi Controv. 3. de anima Punct. 4. ubi dixi potentis à subiecto separatis nullum deberi modū superadditū distinctum à creatione, quod de omnibus accidentibus verum reputo, quia præcisè per creationem constituitur accidens existens independentem à subiecto, & nullum fundamentum superest ad concedendū modum alium illi existendi per se, aliā posset substantia Verbi vnica accidenti supplere modum illum, & Verbum vniri posset hypostaticè accidenti sicuti potest vniri animæ rationali separatæ à materia, quod nullo modo est admittendum.

17 Circa causas substantiæ certum esse existimo naturam seu subiectum cuius substantia dicitur terminus esse, causam materialem substantiæ propriam, etiam si nonnulli apud P. Soar. disp. 34. Metaph. sect. 6. n. 22. putent substantiam nullam habere causam materialem, sed creati per se ipsam subiecto affixam, quod omni caret fundamento, neq; in hac mente fuit P. Soar. loco citato, ubi tantum substantiæ negauit modum superadditum, quo vniretur subiecto, quam inherentiā appellat, & illi dependentiam ab eodem subiecto tanquam à causa materiali concedit. De causa efficiēti maior est difficultas. Docet P. Albertin. suprà q. 10. cum Caietano & Capreolo substantiam produci à generante, & non ab ipsa natura. Mouetur Caietanus, quia putat substantiam non distingui ab existentia, quam produci à generante certum est. Non assentitur Albertinus, qui merito asserit substantiam distingui à naturæ existentia, id eo ratione Caietani omiſsa hanc adducit. Actiones sunt suppositorum, hoc est, procedunt à natura in priori naturæ terminata substantia, ergo substantia non potest procedere à natura, cuius est substantia, quia hæc non potest supponi subsistens in illo priori, in quo præcederet propriā substantiam producendam. Ratio hæc efficax non est, tum quia principium quod supponit non est verum, tum quia etiam si natura deberet supponi subsistens ad alios effectus à substantia distinctos producendos, non ita deberet supponi ad producendam ipsam substantiam, per quam formaliter constituitur subsistens, ut sæpe de substantia, & de aliis formulis similibus dixi, præcipue de propria præsentia, ad quam producendam, vel recipiendam non debet supponi subiectum præsens, et si ad alios effectus ita debeat intelligi, ut probaui Controv. 16. Physic. Punct. 4.

18 Arguunt alij: Anima rationalis non potest producere suam vnionem, ergo neque natura suam substantiā. Posset eodem modo inferre: ergo neque natura suas passiones. Respondeo animam rationalem non posse producere suam vnionem, quia nulla forma producit aliquid in subiecto, à quo dependet, vel cui vnitur, nisi quatenus cum illo composuit quoddam totum, & quatenus actus est forma illud informans, & cum nulla forma possit supponi ut informans subiectum ante vnionem, nulla potest supponi in actu primo potens suam vnionem producere. Hac de causa neque calor à subiecto eductus potest suam producere vnionem. Ex quo non inferitur naturam non posse propriam substantiam producere. Sed adhuc posset instare, etiam si natura deberet supponi subsistens ad alias actiones, non ita debet supponi ad substantiam producendam, per quam constituitur subsistens, ergo etiam si forma debeat supponi informans ad reliquas actiones exercendas in subiecto non debet supponi informans ad producendam informationem, per quam formaliter informans constituitur. Resp. disparē, esse rationem, quia natura suam substantiam producit per simplicem quādam emanationem independentem ab alio subiecto, forma verò non potest ita suam vnionem producere, sed dependentem à subiecto extraneo, & si substantialis sit dependentem ab illius dispositionibus, ad quas actiones distinctas à simplici emanatione in proprio subiecto exercendas debet intelligi actu informans. Adde formas accidentales non agere in proprium subiectum nisi per actionem æquiuocam terminatam ad alia accidentia specie distincta.

19 Substantiam produci à natura docet ex D. Thoma P.

Soar. disp. 34. Metaph. sect. 6. quem sequitur P. Lugo sect. 1. citata n. 14. P. Hurt. disp. 11. sect. 9. §. 120. P. Ariag. disp. 4. sect. 13. sub 3. in qua questione nulla firma ratio potest cogitari, ut bene monent nostri Dōctores, qui sententiam ci Dōctoris esse videntur, cui propter hanc rationem assentiunt. Adde substantiam esse vltimā perfectionem naturæ, quam ipsa per simplicem emanationem posse producere verosimilius esse videtur.

Disputant aliqui, an substantia producat per eandem actionem, per quam natura producat, quæ difficultas locum non habet in opinione eorum, qui asserunt substantiam produci ab ipsa natura, quia secundum hanc sententiam diuersum est principium, à quo producit natura, & principium à quo producit substantia: ergo actiones, per quas producuntur substantia, & natura diuersæ sunt. Insuper si natura est principium actionis, per quam producit substantia, & substantia, & natura producentur per ipsam actionem, natura esset principium actionis, per quam ipsa produceretur. Neque in opinione illorum, qui asserunt substantiam produci à generante admitti deberet hæc questio, quia in multorum sententia, qui materia, & formæ vnitis eandem substantiam indiuisibiliter tribuunt, non potest non substantia materia, & formæ per eandem actionem produci, at materia, & forma non producuntur per eandem actionem, ergo distinguuntur actiones, quibus producuntur materia, & forma ab actione, quæ illarum substantia producit. Rursus, siue substantia sit simplex siue composita, substantia dependet in genere causæ materialis à natura, quā afficit, seu à subiecto, quod constituit subsistens, ergo illud supponit produci, ergo antequam sit productio substantiæ præintelligitur, & supponitur productio naturæ, quæ constituit subsistens: ergo non possunt natura, illiusque substantia per eandem actionem produci.


PUNCTUM VII.

De diuisione substantiæ in primam, & secundam.

Noster Vall. in prædicamento Substantiæ totam questionem tertiam in octo sectam capitā instituit de hac diuisione substantiæ in primam, & secundam, & P. Albertinus in prædicam. Substantiæ disput. 3. q. 11. plures refert opiniones circa modos, quibus hæc diuisio ab authoribus intelligitur, quas omnes omitto, quia res est leuissimi momenti, in qua nihil temporis sine ipsius iactura impenditur. Primam substantiam definiuit Aristoteles, quæ, neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur. Secundam descripsit, genus, & species, in quibus insunt prima. Clariùs eosdem conceptus his vocibus exprimes: substantia prima est ens per se singulare. Substantia secunda est ens per se abstractum. Individuum prima substantia dicitur, & ratio indiuidui communis secunda appellatur, quia hæc ab illa abstrahitur, & mente nostra indiuidua subsequitur, quæ supponuntur ut prima abstractionis materia, ideo non incongruè ab Aristotele primæ substantiæ dicuntur, & ratio abstracta, secunda substantia appellatur, non quia in re talis, nisi quia per nostros conceptus non intelligitur, quovsq; primæ substantiæ, seu indiuidua præintelligantur.

Circa hanc diuisionem bene notat Hurtadus cum aliis plurimis non posse dici vniuocam, neque analogam, quia membra diuidentia non differunt per aliquid reale, sed tantum per rationem, ac proinde si strictè loquendum sit, talis designatio substantiarum diuisio non est, quia substantia ut sic diuidi nequit in primam, & secundam, quia substantia ut sic dicit substantiam abstractam, quæ est substantia secunda: ergo diuisum adæquatè conuertitur cum altero membro diuidenti, & aliud excludit, & idem erit sic substantiam diuidere, ac dicere: ratio communis substantiæ, alia est communis, in vnum membrum diuidens, quod adæquatè conuertitur cum diuiso, à quo, nec formaliter differt, alia est indiuidua, in alterum membrum, quod destruit rationem formalem cum quo opponitur. Posset tamen dici reduci hanc substantiarum assignationem ad diuisionē subiecti in accidentia. Sume illud reduci tam respectu diuisionis, quam diuisionis propriæ.

proprie non esse talem, quam respectu differentie subiecti in accidentia, quia non utrumque membrum afficitur aliquo accidenti, ut significatum nomine primæ, & secundæ substantiæ, quia prima substantia, videlicet Petrus, prout hoc nomine significatur, quod exprimit rationem indiuiduam, per quam ex mente Aristotelis in ratione primæ constituitur, nullum dicit accidens: Secunda verò tantum dicit accidens quoddam extrinsecum, videlicet abstractionem. Subsistit tamen diuisio ex parte vnius membri diuidentis, si intelligamus tamquam differentiam constitutiuam extrinsecum accidens, videlicet abstractionem, & ex parte alterius negationem huius accidentis, ita ut diuisum abstrahatur ab abstractione & a negatione abstractionis, & consideretur indifferens ut abstrahatur, & non abstrahatur, & contrahatur ad substantiam secundam per abstractionem positiuam, & ad substantiam primam per negationem huius abstractionis positiuè intellectam.



CONTROVERSIA VII.

De secundo membro diuidenti quod est quantitas.

DPLEX vulgo circumfertur Quantitas; quædam dicitur quantitas *molis*, perfectionis alia. Quantitas *molis* dicitur, quam per extensionem, & impenetrabilitatem in rebus corporeis agnoscimus, quæ specialem sibi vendicat formalitatem. Quantitas *perfectionis* transcendens est omnibus entitatibus, quæ cuiusvis propriam perfectionem importat, iuxta quam, quæ perfectiora sunt, maiora vocamus. Vnde Augustinus libro 6. de Trinit. capite 8. dixit *in his quæ non mole magna sunt, hoc maius est, quod melius est.* De hac perfectionis quantitate non in præsentia agendum est, sed de quantitate molis, de qua tota instituitur Controversia.

PUNCTUM PRIMUM.

An quantitas sit accidens speciale distinctum à substantia & reliquis accidentibus.

Nominales omnes apud Patrem Soar. in Metaphys. disp. 4. sect. 2. defendunt quantitatem non esse speciale accidens distinctum à substantia, & reliquis accidentibus, sed omnes entitates corporeas per se ipsas exigere extensionem, & impenetrationem, quæ quantitati tribuuntur. Itaque asserunt materiam primam ex se esse impenetrabilem, secluso alio quocumque accidenti, & formas substantiales, & accidentales similiter per se ipsas esse impenetrabiles independentes à quocumque alio ipsis superaddito. Secundum hanc sententiam tot erunt quantitates specie distinctæ, quot sunt entia corporea, quantitas enim identificata cum substantia erit substantialis, & quantitas identificata cum accidenti accidentalis erit, eademque ratione distinguuntur quantitates identificatæ cum accidentibus specie distinctis, licet enim in eadem ratione formali quantitatis conueniant, siue hæc sit radix impenetrationis, vel fundamentum extensionis, aliæque quævis formalitas.

2 Quantitatem esse speciale accidens distinctum à reliquis aliis entitatibus defendunt Angelicus Doctor. 3. p. quæst. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. & Scotus in 4. dist. 12. quæst. 2. & in 2. quæst. 9. utrumque Ducem vtriusque Scholæ sectatores sequuntur, quos ferè omnes nostræ Societatis Doctores comitantur. His subscribo tanto auctoritatis vtriusque Scholæ pondere tractus, nullaque firmâ ratione pro sententia negante quantitatem superadditam alleclusus. Quod si robustam nimis nullam inueniam pro sententia quantitatem distinctam adstruente, in illam magis inclinant probabiles coniecturæ, & in his, quibus subscripsit communis consensus dum vrgenti aliqua ratione non impugnantur, aliud non est desiderandum fundamentum, ut amplectantur.

Franciscus Quædo, Philosoph. Tom. I.

Probant Thomistæ quantitatem distinguendam esse à materia. Conceptus materiæ primæ est esse subiectum receptiuum formarum, sed in hoc conceptu non includitur ratio quantitatis: ergo materia prima rationem quantitatis non includit. Eadem proportionem sit argumentum de forma, præcipue de forma hominis, quæ spiritalis est, quo factò faciliè proceditur ad compositum, quia si quantitas distinguitur à materia, & forma distinguitur à composito, quod tantum dicit materiam, formam, & unionem, nemo enim dicit quantitatem distinctam à materia, & forma cum vnione esse identificandam. Hoc argumentum ut benè vidit Arriag. disp. 5. sect. 1. subsect. 1. rem non probat, quia licet conceptus quiditarius, & constitutiuus materiæ sit esse subiectum receptiuum quantitatis, hoc non impedit esse identificatam realiter cum materia prima aliam formalitatem quantitatis, quæ non pertinet ad specialem conceptum metaphysicum materiæ, tum quia communis materiæ, & formæ, tum quia præcisè per conceptum subiecti receptiuum formarum substantialium adquatè constituitur in esse materiæ, & metaphysicè distinguitur à forma, & à reliquis entitatibus, quæ materia non sunt. Quod si aliquid valet prædicta ratio, posset, ex illa probari posse dari aliquam materiam primam, quæ non habeat identificatam formalitatem quantitatis, siquidem talis formalitas non est de conceptu constitutiuo materiæ, neque de conceptu entis corporei, adhuc ut existentis, cum nulla possit assignari repugnantia in eo, quod deus ens corporeum existens, cui illa quantitatis ratio non competat, quod per aliam formalitatem corpoream poterit constitui, & ex nullo capite possit desiderari formalis ratio quantitatis, ut intelligatur, & de facto sit existens quoddam subiectum receptiuum formarum in esse corporis constitutum per exigentiam quantitatis distinctæ, aliâve formalitatem, ex his quæ possunt assignari ad constituendum corporei gradum.

Fortius sit argumentum ad homines contra Nominales. In horum sententia quælibet entitas habet secum suam quantitatem identificatam, & est radix propriæ extensionis: ergo quando accidentia eidem subiecto vniuntur, duæ quantitates identificatæ cum accidentibus inter se penetrantur, & materia quæ est quantitas penetratur cum forma substantiali, quæ similiter est quantitas, & tot quantitatibus penetratur, quot sunt formæ accidentales cum substantiali, quibus vniuntur, cum omnes sint quantitates, & cum omnibus necessariò penetratur, ut illis vniatur. Vfus est Aristoteles hoc argumento libro secundo de anima, textu sexagesimo nono, ubi probat lumen non esse corpus, quia se penetraret cum aëre, & ita penetrarentur duo corpora. Respondent Nominales non posse duas quantitates penetrari, quando pertinent ad diuersa subiecta, secus quando pertinet ad idem subiectum, & ita possunt plura accidentia eidem vnita subiecto penetrari, licet non possint duo subiecta inter se distincta penetrari. Hac ratione vim retinet illatio Arist. Si enim lumen esset corpus non subiectaretur in aëre, & ita eo ipso quod cum aëre penetraretur, penetrarentur duæ quantitates non respicientes idem subiectum, quod est absurdum. Huius solutionis doctrina omni fundamento est destituta, vnio enim ad subiectum commune non potest facere penetrabiles quantitates, quæ vnione seclusæ impenetrabiles sunt, neque negatio vnionis potest conducere ad impenetrabilitatem, quam quantitates eidem subiecto vnite non haberent, quia vna quantitas non resistit penetrationi alijs quantitatibus per negationem vnionis, quam cum illa habeat, vel cum alio communi vtriusque quantitatis subiecto, neque hæc negatio vnionis potest requiri, ut vna quantitas aliam propulset, & actiue producat impulsu, quo illius penetrationem non patiatur. Accedit ad hæc, omnia accidentia Eucharistica secundum hanc sententiam nullum habere commune subiectum, ac proinde naturaliter inter se non possent penetrari. De hoc argumento, & de alijs, quæ ex Eucharistia sumuntur iterum meminero.

Respondent alij quantitates specie similes esse impenetrabiles, non verò quantitates diuersæ rationis, & hac ratione posse penetrari materiam, & formam substantialem, & cum his omnes formas accidentales, licet illarum quælibet sit quantitas, quia non est quantitas eiusdem rationis cum illa, cum qua penetratur, & penetrari nequeunt duo corpora cuiuscumque rationis illa sint, ne penetreretur duæ materiæ primæ, quæ quantitates sunt eiusdem

Cc 3 omnino

omnino rationis. Impugnatur hæc sententia in qualitatibus intensis, quarum gradus eiusdem rationis inter se penetrantur in eadem parte subiecti. Ex quo inferretur penetrari quantitates eiusdem rationis, cum non distinguatur ratio quantitatis à ratione specifica qualitatis, per quam quilibet illius gradus constituitur in ratione talis. Si recurras ad vnionem graduum inter se, vel dicas gradus qualitatis subordinatos esse, & nullum esse eiusdem rationis cum alio existente in eodem subiecto, opponam species impressas receptas in aere missas ab obiectis numero diuersis, ex quibus non fit vna intensio, & quibus nulla contingit vnio, & tamen possunt inter se penetrari.

7 Non ita facile poterunt impugnari recentes, qui asserunt quantitatem identificari tantum cum materia prima, ratione cuius forma substantialis, & reliquæ accidentales illi vnità extensionem exigunt, in quam sententiam non parum propendet Arriag. disp. 5. sect. 1. subsect. vbi probabile esse docet, quantitatem à substantia non distingui, quam cum materia identificandam esse supponit. Contra hanc sententiam sibi obiecit, accidentia Eucharistica permanere absque substantia, & tamen non possunt penetrari: ergo impenetrabilitas per se, & non tantum ratione substantiæ conuenit accidentibus à substantia distinctis, & postquam reulit, & retulit solutionem Nominalium asserentium quodlibet accidens habere secum quantitatem identificatam, ait, melius responderi in sua sententia manere ibi etiam vbiaciones materiæ, (quæ sint accidentia realia, cum fides doceat manere ibi omnia accidentia realia necessariò debent ibi manere) quæ vbiaciones necessariò fundant impenetrationem, quia natura sua sunt impossibiles cum aliis vbiacionibus aliis materiæ. Multa displicent in hac solutione, imprimis enim non bene tribuit resistentiā penetrationis præsentis quantitatis, & ipsis quantitatibus, cum enim vnum corpus impellit aliud, ne cum ipso penetraretur, impulsus non procedit effectiue à præsentia corporis; sed ab ipso corpore præsentem, seu ab ipsa quantitate, quæ ad producendum talem impulsu indiget præsentia non tanquam principio, seu virtute operatiua, sed tanquam conditione, seu applicatione agentis ad passum. Aliàs quantitas non esset immediatè in actu primo resistiua penetrationis, sed productiua præsentis, quæ penetrationi resisteret, neque cum duplex quantitas penetraretur violentia fieret quantitatibus, sed præsentis à quantitatibus productis. Secundò iuxta communior sententiam præsentia materiæ primæ est modus ipsius materiæ: ergo non potest conseruari destructa materia cuius est modus. Tertiò in omnium sententia præsentia immobilis est, & implicat præsentiam respicientem hoc spatium per se ipsam ad aliud transire: ergo etiam corrupta materia prima, illius vbiacio permaneret, vt primum reliqua accidentia Eucharistica mouerentur, à præsentia materiæ primæ separarentur, siquidem non posset cum ipsis materiæ præsentia moueri, etiam si permaneret incorrupta: ergo ratione præsentis materiæ, non possunt reliqua accidentia fieri impenetrabilia: aliunde ergo petenda est horum accidentium impenetratio. Solutionem aliam adducit Arriaga, communem omnibus argumentis ex Eucharistia petitis, quam postea dabo.

8 Probatur etiam dari quantitatem distinctam, quæ sit commune subiectum accidentium. Quando accidentia Eucharistica existunt à substantia separata producuntur in illis à quocumque agenti naturali, color, frigiditas, & alia huiusmodi accidentia: ergo datur aliquod commune subiectum, ex quo hæc accidentia educantur, aliàs omnia producerentur per creationem, quæ non potest ab agente naturali procedere. Rursus si hæc accidentia crearentur, & nullum esset illis commune subiectum, non possent mutuo expelli, quia expulso semper est in ordine ad commune subiectum, à quo expelluntur, sed sic est quod productio calore in accidentibus Eucharisticis corrumpitur frigiditas: ergo vtriq; qualitati datur quoddam commune subiectum. Vltimò si quantitas non distingueretur à substantia, accidentia Eucharistica, quæ absque substantia remanerent possent inter se penetrari. Communis solutio est, cui consentit Arriag. & non dissentit Hurtadus, verum esse à nullo agente naturali posse calorem, aliāve qualitatem produci, & calore producto non esse frigiditatem corrumpendam ex defectu subiecti communis, & accidentia Eucharistica posse ex natura rei inter se, & cum alio corpore penetrari in sententia, quæ totam rationem quanti-

tatis constituit identificatam cum substantia, & in sententia Nominalium, quæ omnibus accidentibus attribuit rationem quantitatis cum illis identificatam, & asserit tantum posse penetrari illas, quibus est commune subiectum, & albedinem, & calorem quæ in Eucharistia remanent absque subiecto, non posse naturaliter penetrari, Deum tamen ad præsentiam agentis naturalis quod calorem produceret, si daretur ibi subiectum ex quo educeretur, calorem creare, & calore creato corrumpere ex se frigiditatem, quæ corrumpetur ad exigentiam caloris, si vtriq; commune esset subiectum, ex quo educeretur. Similiter dicitur Deum miraculosè penetrare inter se accidentia Eucharistica specie distincta in Nominalium sententia, quam modò referebam, & in aliorum opinione, quæ tantum admittit quantitatem identificatam cum substantia miraculosè impediri ab ipso Deo penetrationem partium integranrium accidentium inter se, & illorum omnium cum alio corpore. Quæ omnia miracula à Deo parati dicuntur ne tantum fidei mysterium reueletur, & ne posset ex aliquo effectu naturaliter cognosci veram Christi existentiam, & absentiam substantiæ panis sub Eucharistia accidentibus. Neque parcos nos esse debere ait Hurtadus in miraculorum multiplicatione circa hoc mysterium, in quo Deus vt ostenderet se nullis naturæ legibus teneri, neque ipsius omnipotentiam naturæ terminis circumscriptis memoriam fecit suorum mirabilium. Neque in re philosophica attendendum est, ne miracula Eucharistica multiplicentur, sed more physico in omnibus ratiocinandum de substantia, & accidentibus ipsorumque distinctione, quibus compositis Theologus postea miracula omnia multiplicabit, quæ necessaria sint ad veritatem mysterij defendendam.

Non facile poterit impugnari solutio, neque omnino fundamento destituta est, verumtamen illius doctrinam omnino non approbo: faterer ego nulli rationi Philosophicæ, quæ positiue probaret identitatem substantiæ cum quantitate repugnandum esse ne miracula Eucharistica multiplicentur, verumtamen vbi nulla positiua ratio cogit, neque adhuc probabiliter suadet quantitatem non esse speciale accidens superadditum, prudens quisque illud admittit, ne miracula absque vlla ratione multiplicet, & ne à communi sententia omnium doctorum (pauca quibundam Nominalibus exceptis quibus non firmiter vnus, vel alter recens adhæret,) nulla efficaci ratione ductus discedat. Dixi nullam positiuam rationem probabiliter suaderi quantitatem esse accidens superadditum, non quia improbabilem esse censeam Nominalium sententiam, sed quia illius fundamentum negatiuum est desumptum ex negatione rationis positiuæ quæ conuincat dari quantitatem distinctam à substantia, & reliquis accidentibus distinctam. Adde sententiam recentiorum, qui asserunt quantitatem specialiter cum materia prima identificari nullius antiqui Scholastici autoritate fulcitam esse, quia Nominales, qui quantitatem specialem non admittunt, asserunt cum omni re corporea propriam quantitatem identificatam esse. Concludo ex his cum communi Doctorum sententia dandam esse quantitatem distinctam à substantia, & reliquis accidentibus.

PUNCTUM II.

Quæ sit formalis ratio quantitatis.

PRæfixo titulo idem rogo, quod alij inquirere intendunt, dum rogant quis sit effectus formalis quantitatis, quem formalem effectum millies dixi non distinguui à toto composito, & ita effectus formalis quantitatis erit hoc concretum quantum, cuius tota quidditas ex quidditate formæ petenda est, ided aptius interrogari existimo quæ sit formalis ratio quantitatis, ex qua nobis innosceat ratio formalis huius concreti quantum, quod certum est, esse effectum formalem quantitatis.

§. I.

Explicatur definitio quantitatis tradita à Philosopho.

Quantitatem per suum concretum, seu hoc concretum quantum definiuit Arist. s. metaph. cap. 7. his verbis: *disihibile in ea, quæ in sunt, quorum vtrumque, vel vtrumque*

que, unum quid, & hoc aliquid aptum est esse. Quam definitionem multi improbant, quibus ego subscriberem, ni Philosophi me teneret authoritas, est enim obscura nimis, & sine benignis interpretationibus non potest aptari definitio. Attingam, & solum brevissimè, quæ contra hanc definitionem solent afferri: Primò obicitur convenire omnibus substantiis homogeneis, verbi gratia, substantiæ aquæ, quæ diuisibilis est in ea, quæ insunt, habet enim ex se partes, ut postea probabo, in quas diuidi possit. Ex quo inferitur diuisibilem esse in illa, ex quibus componitur, quod sonant illa verba *diuisibile in ea, quæ insunt*. Rursus quælibet pars in quam diuidatur à qua seorsim sumpta, & vtrique simul sumpta habent quidditatem, & perfectam essentiam aquæ, quod importatur illis verbis: *quorum utrumque, &c.* ergo hæc definitio conuenit aquæ, & cuiuscunque substantiæ materiali habenti partes homogeneas. Rursus hæc definitio non conuenit homini neque cælo quæ sunt quantitates, non cælo diuidi nequit utpote incorruptibile, cui repugnat diuisio, quæ semper ex se tendit in rei corruptionem. Neque etiam homini, neque alijs toti heterogeneo, quia non quodcumque in quod diuiditur est hoc aliquid cum toto, hoc est quia non quælibet pars est eiusdem rationis cum toto, brachium enim hominis non dicitur homo.

3 Respondeo essentiam definitionis traditæ ab Aristotele his claudis *diuisibile in ea, quæ insunt*, quod tantum competit quanto, & non alijs entitatibus ea ratione, quæ prædicta verba explicabo: reliqua verò addidit Aristoteles ad maiorem explicationem definiti, quæ omnia quanto conueniunt, quod autem illa seorsim sumpta alijs à definito conueniant, nihil refert, cum tota definitio ad quædam sumpta tantum illi conueniat, eo enim ipso quod verba, quibus definitionis essentia clauditur tantum definito conueniant, non poterit tota definitio, quæ his verbis, & vterioribus alijs componitur, alijs à definito competere. Afferro verba illa *diuisibile in ea, quæ insunt*, tantum competere quantitati, seu toti, quanto, quia tantum subiectum illud quod quantum, seu quia tantum quantitas ex se peti existere modo diuisibili, substantia enim etsi habeat partes ex se, potest illas habere redactas ad indiuisibile spatium, & ita constitui in hoc, ac si indiuisibilis esset, quod si seclusa quantitate aliquando esset extensa hanc extensionem non exigeret substantia, sed æquæ contenta esset præsentia quadam, ex vi cuius spatium quodam indiuisibili extensa constitueretur. Quantitas verò ex modo, quem petit sine quo naturaliter esse non potest, attendit tantum ipsius exigentia diuisibilitatem præ se fert, & ita existit ut partes in quas entitativè potest diuidi, modo diuisibili, id est in diuersis spatijs partibus, quod proprium est partium corporis distinctarum, & consequenter diuisibilium constituit. Existunt etiam partes quantitatis aptæ, ut alijs corporis interpositione diuidantur, quod non potest contingere substantiæ, quæ haberet omnes partes inter se penetratas, nihil enim potest poni inter partes, quibus est vnum indiuisibile spatium. Cælum ratione quantitatis capax est diuisiōis, etsi hæc capacitas ratione formæ incorruptibilis sit impedita. Item est diuisibile mathematicè in partes extra partes existentes, quod sufficit ad rationem quantitatis, etiam si ex peculiari ratione formæ cælestis diuisiōi physicæ, seu vniōis corruptioni resistat, neque resistentia tanta est, ut non possit vinci à Deo, respectu cuius cælum diuisibile est in partes integrantes. Quanta heterogenea, sicut homo, & equus, etsi non habeant partes eiusdem rationis cum toto quantum totum dicitur tale substantiale compositum, at verò quantum formaliter est quantum, eiusdem rationis est cum qualibet illius parte seorsim sumpta, quia quantitas cuiuslibet partis eiusdem rationis est cum quantitate totius.

4 Explicata definitione quantitatis ab Arist. tradita, illius formalis ratio constitutiva restat assignanda, non enim quælibet definitio datur per formale constitutum rei, sunt etenim plures descriptivæ definitiones, quæ dantur per passiones, seu affectiones rerum.

§. 11.

Ratio formalis quantitatis non est tribuere partes substantiæ.

5 Sententia fuit Capreoli in 3. distinct. 3. q. 1. & distinct. 15. q. vnica, & Soncin. 5. Metaphys. q. 22. substantiam

materialem ex se nullas habere partes, sed hæc tribui à quantitate, cuius munus, & formale constitutum esse partes substantiæ tribuere, illamque constituere diuisibilem integraliter. Sententiam hanc amplexus Noster Vasquez tom. 3. in 3. part. disput. 120. c. 3. num. 25. quam modò magnificiunt recentes Thomistæ. Probat prædictam sententiam Vasquez quia si substantia, & reliqua accidentia secundum se haberent partes, & extensionem, alia non esset extensio constituenda, in qua essentia quantitatis consistat, quæ esset media inter substantiam ipsam, & extensionem, quam in ordine ad locum vocant authores, qui omnibus entitatibus ex se partes attribuunt, sed extensio in ordine ad locum posset immediatè substantiam ipsam, à quantitate indistinctam afficere, aut è contra essentia quantitatis ipsi extensioni actuali in ordine ad locum posset adscribi, & dici Christum in Eucharistia esse sine sua quantitate, quod nonnulli sunt abstrati, existimantes nullam dari rationem quantitatis distinctam ab extensione actuali. Fateor discursum hunc difficultate non carere, verumtamen quæcumque illa sit, potius me cogere ad negandum quantitatem distinctam à substantia, quam ad tribuendum illi munus impertinendi partes substantiæ, quas ipsa ex se non haberet, non enim immediatè ex illo positivè concluditur hoc esse quantitatis munus, sed quod si tale non sit, necessariam non esse quantitatem superadditam, quod facilius posset admitti, cum nulla ratione efficaci posset probari dari quantitatem distinctam à substantia, ut constat ex Punct. præcedenti, & sint argumenta valde difficilia, quibus impugnetur substantiam ex se non habentem partes illas posse à quantitate mutuari. Respondeo aliud esse munus quantitatis à prædicto distinctum, quod postea dabo, & ita illo secluso non superflue poni quantitatem distinctam à substantia, & extensione locali, quam dari à posteriori inferimus rationibus puncto præcedenti adductis.

6 Secundò argumentatur Vasquez: Si substantia ex se partes haberet, peteret vbi: vel ergo peteret vbi diuisibile ex vi cuius constitueretur diuisibiliter in spatio cum correspondentia partis subiecti ad partem spatij diuisibilem, vel peteret vbi indiuisibile ex vi cuius constitueretur tota in toto spatio, & tota in qualibet parte, cum enim natura sit ad vnum determinata non posset indiscriminatim vnum vel alterum modum petere: Cum ergo substantia diuisibilis esset, peteret modum existendi diuisibiliter, & præsentiam diuisibilem cum correspondentia distinctæ partis substantiæ ad distinctam spatij. Quod si substantia peteret per suam entitatem esse in loco diuisibiliter, neque per diuinam potentiam posset indiuisibiliter constitui. Ex quo etiam fieret quod Christus in Eucharistia non posset præsentari indiuisibiliter, quod est absurdum, & contra fidem. Si verò substantia ex se peteret modum indiuisibilem existendi in loco, siue in quodam spatio indiuisibili, siue in spatio diuisibili tota in toto spatio, & tota in quolibet spatij puncto, eo modo, ac est Angelus, non posset constitui indiuisibiliter in loco diuisibili, quin etiam dum esset sub quantitate propriam præsentiam amitteret, quod ait Vasquez non admittere authores oppositæ sententiæ, qui omnibus entitatibus proprias attribuunt præsentias.

7 Non animum conuincunt rationes Vasquez. Respondeo enim substantiam sine quantitate ex se exigere præsentiam, per quam constituatur in spatio diuisibili, vel indiuisibili, ipsa enim neque exigit penetrationem suarum partium inter se, neque repugnat earum penetrationi, sed indifferens est, ut habeat partes inter se penetratas, vel omnino extensas, & quamlibet extra aliam, itaque substantia huius chartæ ablata illius quantitate indifferens est ut teneat eandem extensionem, quam modò habet, & ut redigatur, ad quodlibet spatium, minus isto, quod occupat, quovisque in puncto indiuisibili constituatur. Huic substantiæ sic indifferenti diuisibilis quantitas illi vnita præstat determinationem per modum actus primi ut determinatè habeat præsentiam, ex vi cuius commensuratur cum spatio, cui quantitas vnita correspondet, quæ posita determinatione datur substantiæ præsentia quædam, quam ipsa ex se indeterminatè petebat & ad quam determinatur ratione quantitatis, ex vi cuius formaliter constituitur præsens in eodem spatio, in quo est quantitas, cui vnitur & ratione cuius hæc determinata præsentia illi debetur. Quod ait Vasquez

Cc 4 numero,

numero vigesimo sexto, naturam esse ad vnum determinatam, & non posse indiscriminatim hoc vel illud ubi exigere, verum non est, quia omnis causa quantumvis necessaria indifferens est ad indiuiduationes effectuum, & non petit determinatè hunc præ alio, neque præstat, quod ait numero vigesimo octo, substantiam posse esse indifferentem ad præsentias numero distinctas, non verò ad præsentias specie distinctas, quia materia prima non tantum est indifferens ad formas solum numero, sed etiam specie distinctas, & intellectus ex se indifferens est ad actus specie distinctos, quos producit, & patitur. Adde præsentias, ex vi quarum substantia poneretur absque vlla penetratione partium, & cum earumdem partium penetratione non esse specie distinguendas, quia quælibet pars substantiæ eandem partem præsentia habet in hac spatio parte, siue aliz partes penetrantur, siue non penetrantur, ad penetrationem enim non requiritur corpora penetrata habere præsentias specie, aut numero distinctas ab illis, quas quodlibet haberet corpus, si in eodem spatio absque vlla penetratione existeret. Distingueretur in specie præsentia, ex vi cuius substantia in spatio diuisibili indiuisibiliter poneretur tota in toto, & tota in qualibet parte, eodem modo, quo est Angelus præsens à præsentia, ex vi quorum substantia diuisibilis in spatio diuisibili indiuisibiliter poneretur absque vlla penetratione, vel cum aliquali, seu omnimoda partium penetratione in spatio diuisibili, aut indiuisibili. Ad illam autem præsentiam ex vi cuius substantia existeret in loco, eo modo quo existit Angelus non ego adhuc indeterminatè substantiæ materiali diuisibili propensionem tribuo, sed tantum obedientialem potentiam, ex vi cuius indifferens est, ut illam recipiat supernaturaliter à Deo, eo modo quo quantitas Eucharistica illam de facto recipit.

8 Neque placet quod ait Vasquez quod si substantia ex se peteret præsentiam diuisibilem, quæ existeret in spatio diuisibili non posset de potentia absoluta constitui indiuisibiliter in spatio diuisibili, neque posset Christus in Eucharistia hoc indiuisibili modo præsentari, quia de facto quantitas petit existere circumscriptiue modo diuisibili, & nihilominus præsentatur à Deo contra ipsius quantitatis exigentiam modo indiuisibili: ergo etiam si substantia talem modum præsentandi diuisibiliter exigeret, posset à Deo indiuisibiliter præsentari. Similiter etiam si exigeret modum præsentia, quo existeret indiuisibiliter, capax esset habendi modum, quo esset in spatio diuisibili diuisibiliter præsens. Quod ait P. Vasquez tunc substantiam propria præsentia carituram, quod putat esse contra sententiam illorum, qui singulis entitatibus distinctis, distinctas attribuant præsentias, distinctione indiget. Dici potest entitatem carere propria præsentia, quia nullam habet præsentiam, quæ per se, & immediatè afficiatur, sed constituitur præsens per præsentiam per se, & essentialiter respicientem aliam entitatem, sicuti plures affirmant formam, & reliqua accidentia præsentari, per præsentiam materiæ aut quantitatis. Alio modo dicitur entitas carere propria præsentia, quia etsi habeat præsentiam essentialiter ab illa dependentem, quæ immediatè afficiatur, talis præsentia illi non est innata neque iuxta ipsius propensionem, & in hoc sensu dicitur substantia carere propria præsentia, quod non est contra sententiam illorum, qui singulis distinctis entitatibus distinctas tribuunt præsentias, qui tantum defendunt cuicumque entitati datam esse præsentiam afficientem essentialiter talem entitatem, quæ præsentia propria dicitur rei, quam essentialiter respicit, & ita in prædicto casu non posset dici substantia carere propria præsentia in priori sensu.

9 Adduci solent alia argumenta minoris momenti qualia sunt hæc. Habere partes extensas est effectus accidentarius: ergo non potest per se conuenire substantiæ, sed ratione quantitatis. Secundò quia partes materiæ non distinguuntur essentialiter: ergo accidentaliter: ergo materia haberet partes accidentales à quantitate distinctas. Tertiò, si materia seclusa quantitate haberet partes, seclusa quantitate posset extendi, replere locum, & fundare distantiam, esse alteri æqualem, omnia tantum competunt quantitati. Ad primum respondeo habere partes extensas duo dicere, partes inter se distinctas, & illarum extensionem: habere partes distinctas est quid substantiale, & intrinsecum substantiæ, illarum extensio, ratione cuius substantia dicitur habere partes extensas, seu extensionem

partium, non competit substantiæ per se, sed per extensionem superadditam, quæ est accidens distinctum à substantia, & ab ipsarum partibus. Ad secundum respondeo partes substantiæ differre eo modo, quo differunt indiuidua eiusdem speciei non essentialiter, sed indiuidualiter per concedo substantiam seclusa quantitate posse per præsentiam superadditam constitui in spatio diuisibili cum respondentia partis substantiæ ad partem spatio, in quo sensu posset dici occupare spatium, quia nulla pars certi spatio esset, cui non responderet pars substantiæ, si verò occupare spatium sonet impedire, ne aliud corpus ingrederetur idem spatium, substantia seclusa quantitate spatium non occuparet, quia esset penetrabilis cum alio quocumque corpore. Similiter concedo substantias posse fundare distantias per præsentias illis superadditas, & per easdem posse dici substantiam hanc correspondere aequali spatio cum illa, & adhuc seclusa præsentia, & quocumque alio accidentè posse dici substantiam hanc tot habere partes quot habet illa.

Sententia hæc graues patitur impugnationes, quarum nonnullas dabo, esto prima: substantia pedis non est substantia capitis: ergo substantia pedis distinguitur à substantia capitis: sed hæc substantiæ non distinguuntur tanquam duæ substantiæ partiales, seu tanquam partes componentes idem totum. Hæc ex communi apprehensione existimo esse omnino certa: Verumtamen ea est conditio illorum, quæ semel in questionem inciderunt, ut nihil sit aded obscurum, & imperceptibile, quod multi facili non præsumat exponere, & persuadere, afferantque clares ostendat ea, quæ semel, & iterum disputationibus repetita, & libris perlecta, & examinata communi ore, paucis illorum sectatoribus exceptis, reliqui omnes non solum fassa, verum etiam imperceptibilia esse clamitant, ideòque primum antecedens nobis probandum est. Probo antecedens: substantia pedis corrumpitur permanente substantia capitis: ergo substantia pedis distinguitur à substantia capitis. Experimur antecedens perpetua corporum diminutione, quæ fit per corruptionem alicuius pertinentis ad hanc substantiam, permanentibus aliis ad eandem substantiam pertinentibus. Abstineo hoc nomine *per se* ne suppositum neges, & dicas me supponere quod probare debbam. Consequentia est legitima, quia non potest idem corrumpi, & non corrumpi, sed substantia pedis corrumpitur: ergo substantia pedis, & substantia capitis non sunt idem: ergo distinguuntur. Non distinguuntur tanquam duas substantias totales per se notum est, quia illa substantia pedis ut distincta à substantia capitis non est totum compositum, aliàs substantia capitis non pertineret ad illud. Neque substantia capitis est totum compositum, aliàs substantia pedis non pertineret ad illud compositum: ergo distinguuntur tanquam duo substantia ad idem compositum, ergo distinguuntur tanquam partes eiusdem compositi, quid est enim pars compositi nisi illud quod simul cum alio constituit compositum, & quod non est totum compositum, sed aliquid constitutum illius, siue integraliter, siue essentialiter, eadem enim ratione, quæ illud constituit rationem partis habebit.

Respondent Thomistæ substantiam pedis distingui à substantia capitis non ratione sui, sed ratione quantitatis. Contrà: Quælibet entitas per se ipsam, & per id per quod constituitur, distinguitur ab omni alio, sed substantia pedis constituitur in esse substantiæ per se ipsam, & non per quantitatem: ergo distinguitur à substantia capitis per se ipsam, & non per rationem quantitatis. Dices quamlibet entitatè distingui ab alia per id, per quod constituitur in ratione, secundum quam ab illa distinguitur, & ita substantiam pedis distingui à substantia capitis per quantitatem, quia per rationem quantitatis constituitur in esse partis, secundum quam rationem distinguitur à substantia capitis, & non præcisè secundum rationem substantiæ, quam habet independentè à quantitate. Contrà: substantia pedis præcisè secundum rationem substantiæ ablata ab illa ratione partis (si velis hanc esse superadditam rationi huius substantiæ) non est substantia capitis: ergo præcisè secundum rationem substantiæ, distinguitur à substantia capitis: Dices me implicationem in terminis inuoluere, quia eo ipso quod dico substantia pedis, dico partem substantiæ & postea addo præcisè ratione partis, quod est idem, ac dicere album formaliter præcisè albèdine

dine quod implicationem manifestam inuoluit, quia volumus præciscere à constitutiuo rei rem ipsam, quam constituturam supponimus. Plura sunt verba his similia omnino re vacua quibus intenditur difficultas eludi, verumtamen illa exhaustire conabor. Argumentor sic: substantia, quæ est sub quantitate pedis, & constituitur in esse partis per hoc quod est sub quantitate pedis, seclusa illa ratione formalis, ratione cuius est sub quantitate pedis, & sumptâ tantum pro materiali, non est substantia illa, quæ est sub quantitate capitis: ergo præcisè per se ipsam, secluso hoc quod est esse sub quantitate pedis distinguitur à substantia capitis: Quæ forma argumentandi optima est, sicuti si ego arguerem: homo, qui est albus, & constituitur albus per albedinem, secundum se sumptus non ut albus, sed ut homo præcisâ ratione albedinis non est equus: ergo hac ratione sumptus, albedine seclusa, non est equus. Admissio antecedenti consequentia inuitabilis est, distinguendum ab illo ex parte rei distincte nihil aliud est quam ipsam esse, & non esse idem cum illo: sed illa substantia, quæ est sub quantitate pedis, secluso hoc quod est esse sub pede, non est substantia capitis: ergo illa substantia secluso hoc quod est esse sub pede per suam entitatem distinguitur à substantia capitis. Si antecedens neges, illud sic ostendo. Substantia illa, quæ est sub quantitate pedis secundum rationem distinctam ab hoc, quod est esse sub pede corrumpitur, non corruptâ substantia capitis secundum aliquam rationem, sed permanente secundum omnes: ergo substantia, quæ est sub quantitate pedis distinguitur secundum rationem distinctam ab hoc quod est esse sub quantitate pedis. Patet consequentia. Substantia pedis distinguitur à substantia capitis secundum omnem rationem, secundum quam corrumpitur, sed corrumpitur secundum rationem distinctam ab hoc quod est esse sub quantitate pedis: ergo distinguitur secundum rationem distinctam ab hoc quod est esse sub quantitate pedis, sed secundum illam rationem distinctam non constituitur per hoc quod est esse sub quantitate pedis, quia nihil constituitur per aliquid à se distinctum: ergo non distinguitur à substantia capitis, per hoc quod est esse sub quantitate pedis, quia omne ens per id distinguitur ab omni alio per quod constituitur. Si neges primum illud antecedens, videlicet substantiam, quæ est sub quantitate pedis, corrumpi secundum rationem distinctam ab hoc, quod est esse sub quantitate pedis, sic insurgam: ergo quando corrumpitur pars equi per diminutionem, vel quando abscinditur pes ab equo tantum corrumpitur hoc, quod est substantiam illam esse sub quantitate pedis, & non substantiam, quæ erat sub quantitate pedis sumpta pro materiali: ergo equè incorrupta, & integra manet in se ipsa forma equi, quando abscinditur pes ab equo, ac forma hominis quando abscinditur pes ab homine: ergo nunquam datur corruptio partialis substantiæ, sed tantum corrumpitur hoc, quod est substantiam esse sub hac, vel sub illa quantitate, quod si ita esset, neque noua pars substantiæ produceretur sed tantum produceretur hoc, quod est antiquam substantiam esse sub noua quantitate, & ita omnis substantia indiuisibilis erit sicuti homo, & anima rationalis.

12. Secundo pro eadem sententia sic argumentor. In nutritione substantiæ producitur aliquid substantiæ, nutritio enim terminatur ad substantiam, & est illius productio, sed non producitur substantia viuentis quæ antea erat: ergo producitur aliquid substantiæ distinctum à substantia quæ in viuentem præcesserat: ergo producitur pars substantiæ. Respondebis produci aliquid substantiæ distinctum non ratione sui, sed ratione quantitatis à substantia, quæ in viuentem præcesserat. Contra terminus qui producitur secundum illam rationem formalem præcisam, quæ terminat actionem est quid reale, & physicum non identificatum cum substantia præcedenti, neque cum quantitate, quia neque substantia præcedens, neque quantitas producuntur per nutritionem: ergo secundum illam rationem formalem præcisam est distinctus à substantia præcedenti, non tantum quid adæquatè constituens viuentem, quod est nutritum: ergo tanquam quid, quod cum substantia præcedenti illud constituit: ergo tanquam pars viuentis substantialis, & pars substantiæ totalis.

13. Tertiò, quantitas distinguitur à materia prima: ergo materia prima à quantitate poterit separari, supponamus ergo separatam esse, vel tantum illam mente præscindamus. Si velis materiam nunquam existere sine quantitate, & hac suppositione factâ argumentum instituo. Inquiri,

an materia prima separata à quantitate haberet partes necne. Si illas haberet, habeo intentum. Si illas non haberet: ergo materia prima est simplex, & indiuisibilis. Probo consequentiam: entitatem esse indiuisibilem nihil aliud est, quam non habere vnum, & aliud, ex quibus possit. Sed materia prima seclusa quantitate non habet vnum, & aliud ex quibus componatur: ergo est indiuisibilis, & omnino simplex. Dices materiam primam, ut præcisam à quantitate, neque habere partes, neque carere illis, sed esse indifferenter, ut illas habeat ratione quantitatis. Contrâ: præcisio hæc in ordine ad nostros conceptus potest in obiecto reperiri, quia possum ego non apprehendere materiam habentem partes, neque illam apprehendere earentem partibus, sed neutrum apprehendere, quia non contradictoriè, aut immediatè opponuntur apprehensio materiæ cū partibus, & apprehensio materiæ sine partibus, possum enim ego utraque apprehensione carere, in rebus autem physicis, & in ordine ad se implicat talis præcisio, quia physicè, & à parte rei necessariò hæc charta habet albedinem, aut non habet albedinem, habere enim albedinem, & non habere albedinem physicè, & à parte rei sunt extrema contradictoriè opposita, quorum alterum necessariò cuiusque conuenit entitati. De materia ergo ut distincta à quantitate non inquiri, an concipiatur cum partibus, vel sine partibus, quia tunc locum habet præcisio mentalis, & dicere non concipi cum partibus, neque concipi sine partibus, sed an ut distincta à quantitate, seu secundum illud esse quod habet non mente, sed physicè distinctum à quantitate, habeat partes, vel non habeat partes, à quibus extremis præciscere non poteris.

14. Respondent alij materiam primam non esse entitatem simplicem, quia est ut distincta à quantitate formaliter non habeat partes, habet tamen partes virtualiter, hoc est habet virtutè, ut habeat partes formaliter distinctas ratione quantitatis: sic contingere affirmant in qualibet entitate materiali, quæ ex sua natura seclusa quantitate virtualiter est diuisibilis in partes, & constituitur formaliter diuisibilis per quantitatem. Itaque asserunt in substantia esse virtualiter contentas, & quasi implicitas partes substantiæ, quæ explicantur per quantitatem, ad quam explanationem dicunt terminari actionem nutritiuam, ex vi cuius non producitur pars noua substantiæ, sed explicatur, & constituitur distincta formaliter à substantia præexistente pars illa, quæ antea tantum virtualiter erat distincta.

15. Has explicationes, & virtualitates nonnulli adstruunt, non ut suam explicent sententiam, sed ut oppositam confundant, videamus modò quid sub illis lateat. Explicatio hæc, vi cuius substantia, quæ tantum erat virtualiter diuisibilis, fit diuisibilis formaliter, vel est identificata cum substantia. Si est identificata cum substantia, non potuit vnquam sine illa substantia existere: ergo semper substantia fuit diuisibilis. Deinde actio nutritiua terminaretur ad explanationem identificatam cum substantia antiqua: ergo terminaretur ad substantiam antiquam: ergo ex vi nutritionis non magis produceretur antiqua substantia, quam noua, imò non esset noua, & antiqua, sed eadem magis explicata. Si est distincta à substantia, inquiri, quid sit an quantitas producta, an aliud accidens; Neutrum horum, quia actio nutritiua non terminatur ad quantitatem neque ad aliud accidens; sed ad substantiam. Rursus: si actio illa terminaretur ad quantitatem, seu ad aliud accidens, ex vi illius produceretur quantitas, seu tale accidens, ad quod terminaretur, & non noua substantia, & viuentis augeretur accidentaliter, & non substantialiter, illud enim producitur per actionem ad quod terminatur actio, & id viuèti accrescit, quod ex vi actionis nutritiue producitur. Dicunt actionem nutritiuam terminari ad quantitatem tanquam ad terminum directum. Contra hanc solutionem redit iterum idem argumentum: terminus directus actionis productiue debet produci per actionem, quam terminat: ergo si terminus directus actionis nutritiue est substantia, hæc debet per actionem nutritiuam produci. Vel ergo producitur substantia præexistens, vel alia quæ præexistenti vnatur: non præexistens, quia iam erat extra causas: ergo noua alia quæ præexistenti vnatur: ergo producitur pars noua substantiæ, quia substantia illa noua quæ præexistenti vnatur, cum præexistente componit integram substantiam, quod est habere rationem partis. Deinde actionem productiuam tangere terminum in obliquo, vel dicit tantum tangere per se in recto aliquid, quod respiciat aliud

aliud, quod dicatur oblique factum, seu terminus obliquus, ex eo præcisè, quod termino directo respiciatur, vel dicitur tangi immediate per ipsam actionem. Si dicat hoc secundum æquè terminus directus, & obliquus producentur, ex vi actionis, quia quidquid per actionem immediate, & per se tangitur, ex vi illius producit. Si primum dicat terminus, qui obliquus dicitur, in re non est terminus, sicuti non est terminus actionis productivæ vnionis inter materiam, & formam, materia, quam essentialiter respicit vnio.

16 Insuper totam solutionis doctrinam hac ratione refuto. Posita explicatione partium substantia, vel manet eadem secundum totum id reale materiale, & formale, quod dicit, vel non manet eadem. Si manet eadem, quod dici necessum est: ergo permanet cum eisdem omnino partibus non pluribus, neque paucioribus, quas haberet, si non haberet quantitatem, quia implicat rem esse omnino eadem, & non habere easdem omnino partes, nullum enim totum à suis partibus distinguitur. Rursus: eo ipso, quod maneat eadem, manet cum eadem vnitate: ergo cum eadem indistinctio, & distinctio in ordine ad se, & in ordine ad quodvis aliud: ergo vnitas substantiæ est eadem posita quantitate, & ablata eadem quantitate: ergo distinctio ipsius, & distinctio partium, quæ cum ipsis identificatur eadem erit. Dices substantiam manere eadem materialiter, & non formaliter. Contrà: physice, & realiter inter substantiam simplicem, materiam videlicet materialiter, vel formaliter sumptam, nulla intercedit distinctio: ergo eo ipso, quod materia sit eadem materialiter sumpta, etiam formaliter sumpta eadem erit. Rursus illud substantiæ, quod posita quantitate dicitur pars distincta ab alia comparte eiusdem substantiæ, antequam constitueretur in ratione partis distinctæ, vel præcessit identificatum cum reliquo eiusdem substantiæ, quod modò est illius compars, vel non præcessit (pono substantiam hanc, quæ modò est sub quantitate sine illa præcessisse) si præcessit identificatum, implicat modò distingui, implicat enim de potentia absoluta, ea quæ sunt idem, fieri distincta, & ea quæ distinguuntur, fieri idem, etiam de potentia Dei absoluta, ut per se notum est, non enim Petrus, qui distinguitur à Ioanne, potest fieri idem cum Ioanne, etiam si omnipotentia Dei intercedat, nec rationale, quod est idem cum animali, potest vel diuinitus ab illo distingui. Si antea quàm adueniret quantitas, extrema illa non præcessit cum identitate: ergo præcessere cum distinctio: ergo seclusa quantitate distinguantur non tanquam duæ substantiæ totales: ergo tanquam partes eiusdem substantiæ.

17 Alij Connotatores dicunt substantiam per se ipsam partes includere posita quantitate tanquam connotato, quas non includit formaliter seclusa quantitate ex defectu connotati, etiam si illas materialiter includat, & quoad entitatem, quia substantia quæ ex se absolute intrinsecè includit partes quoad entitatem, incipit illas per se ipsam includere quoad formalitatem posito connotato, sicuti relatio identificata cum fundamento quoad entitatem, non est quoad formalitatem, quovis incipiat terminus. Doctrinam hanc de connotatis in relatione, in aliis entitatibus impugnabo Controuers. 9. Punct. 4. interim tamen specialem impugnationem contra illam in hac materia adduco. Totum substantiale integrale formaliter sunt partes & vnio: ergo eo ipso, quod totum sit idem, partes sunt eadem: sed posita quantitate substantia totalis est eadem, quæ esset quantitate seclusa: ergo non includit partes, quas non includeret quantitate seclusa, easdemque includeret seclusa quantitate, quas modò includit; sed posita quantitate habet partes: ergo easdem haberet seclusa quantitate.

18 Arguunt alij: si lignum in duas medietates diuidatur, substantia huius medietatis distinguitur à substantia alterius medietatis: ergo duo illa ligna, in quæ primum fuit diuisum, sunt duæ substantiæ; ergo ante diuisionem erat duplex substantia, quia per diuisionem nihil substantiæ producit. Respondent nonnulli ante diuisionem fuisse duplicem substantiam partialem distinctam, distingui tamen tunc, & habere rationem partium, quas includebat lignum, antequam diuideretur, ratione quantitatis, quæ partes communicat substantiæ, quam informat. Ab impugnatione huius solutionis incipiat ratio à priori contra hanc sententiam. Quantitas quæ in se habet partes, ex quibus co-

ponitur, non se ipsum communicat subiecto, cui vnitur per identitatem, sed per vnionem, forma enim subiecta tinea debet distinctionem retinere, vnio enim non nisi in hoc quod est seipsam in partes actus distinctas tantum habet & partes, cum quibus identificatur vnire substantiæ: ergo si substantia ex se partes non habebat, per vnionem quantitatis illas habere nequit. Probo consequentiam: esse vnium extremo habenti partes non est habere partes: sed substantia per vnionem ad quantitatem tantum habet hoc quod est esse vnium extremo habenti partes: ergo quantitas per vnionem ad quantitatem non habet hoc quod est, habere partes. Vrgo: quantitas vel communicat substantiæ partes, quas in se habet, vel alias distinctas, quæ à accidentales, & partes substantiæ sunt substantiales, & quia quantitas secundum se & secundum partes, quæ includit adæquatè distinguitur à substantia non alias, quæ à quantitate oriuntur, quia quantitas nihil substantiæ producit, neque causat in aliquo genere: ergo quantitas nullas potest substantiæ partes communicare.

Vltimò duæ substantiæ adæquatè, per se ipsas distinguuntur, etiam si quantitate separantur: ergo etiam si vniantur, separata à quantitate eadem distinctionem habebunt: ergo distinguuntur, dum sunt vnite tanquam duæ substantiæ componentes aliam tertiam: ergo distinguuntur ut partes: ergo seclusa quantitate, substantia illa composita ex duabus, quæ diuise sine quantitate præcesserunt, seclusa quantitate, partes habebit. Respondent nonnulli, substantias adæquatas, adhuc dum sunt diuise, & à quantitate separata distinguuntur per ordinem ad quantitates, quibus possunt vniri. Contrà: distinguuntur per ordinem ad quantitatem, vel dicitur distinguuntur per aliquem respectum, quem ad quantitatem dicat substantia adæquatè distincta ab ipsa quantitate vel dicitur distinguuntur per ipsam quantitatem. Si dicat distinguuntur per illum respectum, dicit substantiam per se ipsam distinguuntur, & non per quantitatem. Secundum dici nequit, quia nihil actu existens potest actu distinguuntur per illud, quod actu non est, sed substantiæ, de quibus procedit argumentum, actu existerent, & quantitates non existerent: ergo substantiæ non distinguuntur per quantitatem. Mitto principium illud omnibus notum, & sæpe repetitum videlicet quodlibet ens distinguuntur ab alio, per illud, per quod constituitur, & cum non possit constitui per aliquid à se distinctum, ita non potest per aliquid à se distinctum ab alio distinguuntur.

S. III.

Duplex alia sententia reuocatur.

Alij apud P. Soar. disp. 40. sect. 3. asserunt essentiam quantitatis consistere in ratione mensuræ, contra quos hæc efficacia procedunt argumenta. Quantitatem actu esse mensuram dicit extrinsecam denominationem procedentem ab applicatione alius quantitatis, & ab actu intellectus mensurantis: ergo non potest in ratione mensuræ essentia quantitatis consistere. Dices non consistere in actuali commensuratione, sed in potentia ad hanc commensurationem. Contra: commensuratio actualis dicit applicationem duarum quantitatum, & actum intellectus mensurantis: ergo potentia ad hanc commensurationem consistit in potentia applicatiua quantitatum, & productiua actus intellectus, in quo consistit actualis commensuratio: sed hæc potentia sunt extrinsecæ cuius quantitati, quia hæc quantitas eadem permaneret, etiam si repugnaret altera, & consequenter vtriusque applicatio, & etiam si repugnaret potentia productiua actus, in quo consistit actualis commensuratio: ergo essentia quantitatis non potest consistere in hac potentia. Dices essentiam quantitatis adhuc non dicere potentiam absolutam ad commensurationem, sed tantum capacitatem, quam ex se habet quantitas, ad commensurationem actualem, secundum id, quod requiritur ex parte ipsius quantitatatis. Contrà: quod requiritur ex parte huius quantitatis, ut possit esse mensurata, est extensio actualis: sed hæc potest separari à quantitate: ergo non potest in hac extensione actuali, quæ ex parte quantitatis est fundamentum mensuræ illius, actualis essentia consistere. Retrocedes amplius, & dices essentiam quantitatis

quantitatis non consistere in ipsa actuali extensione, seu capacitate fundandi mensuram quatenus est esse, sed in exigentia huius extensionis, seu capacitatis fundandi hanc mensuram. Post tot distinctiones, & subdistinctiones coincidit hæc sententia cum alia, quæ in prima sui inscriptione asserit essentiam quantitatis consistere in exigentia extensionis, de qua postea iudicium fero, modo tantum infero malè hanc sententiam explicari, per ordinem ad commensurationem, radix enim extensionis non bene explicatur per ordinem ad mensuram, ad quam neque extensionis radix, neque ipsa extensio per se ordinatur, sed illis extrinsecè valde, & accidentaliter contingit, sicuti extrinsecè qualitatè aduenit denominationi similis, per quam non rectè formalis ratio qualitatis explicaretur, sicut enim rectè intelligitur qualitas sine ordine ad similitudinem, sic rectè quantitas intelligitur sine ordine ad mensuram, etiam si quantitati per se conueniat fundamentum valde remotum fundandi mensuram quatenus est ex se, sicuti qualitatè conuenit, & non ita remotè fundamentum fundandi similitudinem.

21 Alij propius ad veritatem accedunt dicentes essentiam quantitatis consistere in exigentia extensionis in ordine ad locum in hac sententia expendendum est, an hæc exigentia extensionis in ordine ad locum sit idem cum resistentia ad penetrationem, vel dicat aliquid ab ista distinctum, vt de illa possit iudicium ferri. P. Hurt. disp. 4. sect. 4. putat hæc exigentiam extensionis non distingui formaliter ab impenetrabilitate, quod sic probat. Eo ipso quod entitas exigit extensionem, per hunc positiuum conceptum existentie quocumque alio secluso, fundat negationem actualis penetrationis: ergo fundamentum impenetrationis, seu impenetrabilitas non distinguitur ab exigentia extensionis. Censò ego existentiam extensionis formaliter esse impenetrabilitatem, seu repugnantiam penetrationis, puto tamè latius patere impenetrationem, quam pater extensionis existentia, quia impenetrabilitas conuenit entitati indiuisibili independentè ab vnione, cum quacumque alia: extensio autem non potest conuenire entitati indiuisibili, neque entitas indiuisibilis non vnita alteri saltem indiuisibili, cum qua totum indiuisibile constituitur, potest fundare extensionem. Ex quo inferes extensionem non esse quicquamque impenetrationem, sed impenetrationem rei diuisibilis. Insuper extensio, quam habet entitas in ordine ad spatium, dicit impenetrationem partium, quas entitas includit, non vero impenetrationem cum alio quocumque corpore, quia etiam si huic ligno extensio retineret eandem præsentiam, quam antea habebat, accideret penetratio cum altero ligno ex eo, quod alterum inciperet occupare spatium, quod occupabat, & modò occupat, lignum retineret eandem extensionem in ordine ad se, quia retineret eandem præsentiam, & eodem modo se haberet in ordine ad spatium, quo antea se habebat: ergo extensio in ordine ad se tantum dicit impenetrationem partium eiusdem corporis inter se, & non impenetrationem earumdem, & totius corporis cum alio corpore distincto: ergo latius patet impenetratio, quam extensio: ergo latius patet existentia impenetrationis, quam existentia extensionis.

22 Dices posse in corpore diuisibili considerari duplicem extensionem, quandam in ordine ad se, & hanc tantum dicere impenetrationem partium eiusdem entitatis, quam haberet corpus penetratum cum alio, aliam in ordine ad alia corpora, & hanc dicere impenetrationem cum aliis corporibus, quia extensione careret corpus cum alio penetratum, & hac ratione non distingui impenetrationem ab extensione, quia impenetratio in ordine ad se identificatur in corpore diuisibili cum extensione in ordine ad se, & impenetratio in ordine ad alia corpora identificatur cum extensione in ordine ad alia corpora. Ex eo solum posset impugnari, qui hæc diceret, quia abuteretur nomine extensionis, quæ semper in ordine ad se sumitur, & non in ordine ad aliud, & quod in hac solutione nomine extensionis in ordine ad aliud significatur, nullus extensionem vocabitur, neque ita vocari potest vt iam probò. Quodcumque corpus quantitatum penetrari potest cum Angelo, & absolute dicimus corpus esse penetrabile cum Angelo, & tamen nemo dixit hominem esse inextensum in ordine ad Angelum: ergo penetratio cum alia entitate non dicitur inextensio in ordine ad talem entitatem: ergo neque impenetratio cum entitate distincta dicitur extensio in ordi-

ne ad entitatem distinctam, sed semper extensio sumitur in ordine ad partes eiusdem totius, & penetratio in ordine ad partes totius inter se, & in ordine ad partes totius, quod illas includit cum quolibet alio toto, & partibus ipsius. Si quis autem ita nominibus abuteretur, & impenetrationem huius entitatis cum illa extensionem in ordine ad illam entitatem vocaret, & penetrationem earumdem in extensionem vnus cuiusque in ordine ad aliam entitatem esse diceret, tantum contra communem loquendi modum peccaret, & contra significationem, quam ex hominum impositione habet hæc vox *extensio* & ita non posset ratione aliqua efficaci ab hoc improprio loquendi modo dimoueri.

23 Ex his infero existentiam extensionis, & existentiam impenetrationis non esse duos conceptus, quorum vnus oriatur ab altero, sed distingui tanquam superius, & inferius, includens, & inclusum. Exigentia impenetrationis se extendit ad subiecta diuisibilia, & indiuisibilia, existentia extensionis dicit non quacumque existentiam impenetrationis, sed existentiam penetrationis in corpore diuisibili, cui tantum potest conuenire extensio, & extensionis existentia. Insuper in corpore diuisibili existentia extensionis non dicit existentiam totius impenetrationis, sed existentiam penetrationis in ordine ad partes eiusdem subiecti, quia cum penetratio huius corporis cum illo non impedit extensionem huius, ita non exigit corpus hoc impenetrationem cum illo, vt sit extensum, neque existentia extensionis dicit existentiam impenetrationis cum alio corpore. Non autem distinguuntur in corpore diuisibili existentia impenetrationis partium secundum se, & existentia extensionis, quia vt bene arguit Hurtadus idem conceptus positiuus, qui fundat extensionem, fundat earum impenetrationem, & impenetratio positiuè sumpta pro præsentia partium in diuersis spatijs partibus ab ipsa extensione formaliter non differt.

§. IV.

Propria sententia, vbi præcedens magis impugnatur.

24 Ex dictis infero non rectè explicari quidditatum conceptum quantitatis, per extensionis existentiam, siquidem hæc existentia tantum dicit impenetrabilitatem partium quantitatis inter se ipsas, & æquè primò conuenit quantitati impenetrabilitas in ordine ad proprias partes inter se ipsas, ac in ordine ad aliud quodcumque totum quantitatum, ac proinde explicanda est natura quantitatis non solum per impenetrabilitatem partium eiusdem quantitatis inter se, quam dicit formaliter exigere extensionis, sed per impenetrabilitatem quantitatis in ordine ad proprias partes, & in ordine ad aliam quacumque quantitatem. Melius ergo explicabitur quantitatis essentia per impenetrabilitatem, seu existentiam occupandi distinctum spatium ab illo, quod occupat quodvis aliud corpus, quam per existentiam extensionis. Addo iuxta Zenonis sententiam non aptè explicari essentiam quantitatis per existentiam extensionis, quia punctum quantitatis secundum hanc sententiam eiusdem rationis est cum tota quantitate, & tantum differt penè magis & minus sicuti differt homo à pluribus hominibus, vt dicebam Controvers. 17. Phys. Punct. 7. Quod si tota quantitas dicat vnionem integram, quam non dicit punctum quantitatis, hæc vnio ad integritatem, & non ad essentiam quantitatis spectabit, ac proinde eadem essentia gaudet punctum quantitatis, qua tota quantitas. Sed punctum quantitatis non exigit extensionem, sed impenetrationem: ergo melius per existentiam impenetrationis, seu per impenetrabilitatem essentia quantitatis, iuxta omnium sententias explicabitur.

25 Dices punctum quantitatis fundare extensionem totius quantitatis, licet illam sibi non exigit, sed toti quantitati quam componit. Fateor solutionem hanc benignè sustinere posse, non tamen difficultatem euacuat, quia essentia quantitatis non consistit in eo, quod est fundare extensionem, cum iuxta Zenonis sententiam, cui intèdimus definitionem quantitatis aptare, si indiuisibile quantitatis poneretur separatim totam essentiam quantitatis retineret, & nihilominus actu non fundaret extensionem: ergo essentia quantitatis non consistit in hoc, quod est actu fundare extensionem, neque potest consistere in hoc, quod est exigere

exigere fundare extensionem, quia quædam totalis quantitas, etsi extensionem habeat, non exigit illam fundare, aliud enim est habere in se formalem extensionem, aliud esse fundamentum extensionis, seu habere exigentiam fundandi extensionem, illud enim tantum exigit fundare extensionem, quod exigit vniri alteri extremo, ex quo simul, & ex ipso resultet extensio, sic enim vniri est actu extensionem fundare, cum autem quantitas totalis non exigit vniri alij quantitati non exigit extensionem fundare. Video partes, seu indiuisibilia, quæ in quantitate includuntur exigere fundare extensionem, & illa actu fundare iuxta sententiam Zenonis, ratione quorum seorsim sumptorum, licet non ratione quantitatis integræ indiuisibiliter sumptæ quantitati conuenit, hoc quod est exigere fundare extensionem, ex quo potest aliquo modo prædictæ obiectioni respondere, verumtamen negabit nemo clariùs, & expeditius quantitatis essentiam explicari per impenetrabilitatē, quam per hoc quod est fundare extensionem. Deinde communis sententia, quæ impugno nō constituit essentia quantitatis in exigentia fundandi extensionem, quæ indiuisibili quantitatis potest cōpetere, sed in exigentia extensionis, quæ fuit, & ipsa extensio indiuisibili repugnat cui impenetratio, & impenetrabilitas iuxta Zenonem optimè quadrat.

26 Reicio definitionem datam per exigentiam extensionis, & probo dandam per exigentiam extensionis, quia licet definitio illa rectè explicaret essentia quantitatis diuisibilis, quæ modò est, non rectè explicat essentiam quantitatis indiuisibilis, quæ possibilis est, cui repugnet extensio secundum suam entitatem & indiuisibilitatem sit, & omnino simplex sicuti Angelus, & anima rationalis, quæ entitas poterit habere impenetrabilitatem, per quam formaliter constituetur formaliter quantitas. Dices repugnare talem quantitatem, quam ego non repugnare sic probo. Non repugnat corpus completum indiuisibile integraliter vt probauit Controv. 5. Physic. Punct. 5. ergo non repugnat accedens quoddam inherens huic corpori commensuratum cum illo, ex vi cuius corpus illud impenetrabile fiat. Sed tale accedens habebit rationem quantitatis: ergo non repugnat quantitas adæquata, & indiuisibilis integralis. Non repugnare tale accedens probandum esset soluendo rationes, quibus talis accedens propugnaretur repugnantia, sed nulla aliis momenti mihi occurrit, neque adhuc apud alios, hanc difficultatem exagitatam vidi, ideo huius accedens non repugnantiam non probo, sed tanquam certam mihi statuo ex eo præcisè, quod nulla in tali accedenti valeat excogitari repugnantia. Minorem videlicet tale accedens habebit rationem quantitatis sic probo. Tale accedens differt à reliquis aliis ex eo, quod esset resistituum penetrationis, sed hæc differentia non est constitutiuua accedens pertinentis ad prædicamentum distinctum à prædicamento quantitatis, vt per se patet: ergo constitueret accedens quod ad propriam speciem quantitatis pertinet. Confirmatur impenetrabilitas in omnium sententia, aut est essentia, aut passio quantitatis; ergo quodcumque accedens, cui conuenit impenetrabilitas est quantitas. Patet consequentia: quodcumque accedens cui conuenit essentia, aut passio quantitatis est quantitas: sed tali accedenti conuenit impenetrabilitas, quæ saltè est passio quantitatis; ergo tale accedens esset quantitas, siue in ratione talis constitueretur per impenetrabilitatem, siue in ratione talis constitueretur per impenetrabilitatem, tanquam per rationem formalem quantitatis, siue per aliud prædicatum, à quo impenetrabilitas oritur, vt passio ab essentia. Ex hoc infero tale accedens habebit rationem quantitatis: quod si semel admittatur, necessariò dicendum est constitui in ratione talis per impenetrabilitatem, cum nullum possit excogitari prædicatum in tali accedenti distinctum ab impenetrabilitate, quod sit formale quantitatis constitutiuum, & à quo impenetrabilitas concipiatur oriri.

27 Statui essentiam quantitatis in impenetrabilitate consistere, item præter quantitatem diuisibilem, quam experimur, posse dari quantitatem indiuisibilem, restat modò explicandum respectu cuius futura sit hæc quantitatis impenetrabilitas. Vulgo dicitur impenetrabilitas quantitatis esse respectu alijs quantitatis, quod est quantitatem per quantitatem explicare, quia in definitione quantitatis ipsam quantitatem apponimus, & cum rogamus, cum quibus entitatibus quantitas sit impenetrabilis, respondetur esse impenetrabilem cum quantitate, quæ responsione adhuc datâ, restat sciendum quid sit quantitas. Neque dici potest quantitatem esse impenetrabilem cum alio corpore, quia quan-

titas penetrabilis est cum corpore substantiali, si ab illo demas quantitatem superadditam, ratione cuius fiat impenetrabilis. Rectè iuxta communem sententiam essentia quantitatis explicabitur per impenetrabilitatem cum alio eiusdem rationis cum ipso, ita vt illud accedens, seu illud ens, habeat rationem quantitatis etiam si penetrabile sit cum ipso, omni alio specie ab ipso distincto. Verumtamen in mea sententia non adæquatè hæc ratione essentia quantitatis explicatur, quia cum admittam quantitates specie distinctas vnā diuisibilem, indiuisibilem aliam, & omnis quantitatem existentem non solum esse impenetrabilem cum alio accedenti eiusdem speciei cum ipsa, sed etiam cum accedenti specie distincto ab illa, videlicet cum quantitate indiuisibili, quam possibilem esse defendimus. Deinde etiam non admittatur possibilem quantitatem indiuisibilem, saltem possibilem est quantitas identificata cum substantia, quæ per se ipsam sit impenetrabilis, & extensionem exigens, quæ specie distinguitur à quantitate substantiæ superaddita, & tamen erit impenetrabilis cum illa per prædictum quantitatis conceptum: ergo non explicatur adæquatè impenetrabilitas quantitatis per ordinem ad aliam entitatem eiusdem rationis cum illa, quam impenetrabilem appellamus.

Ob difficultatem prædictam quidditatum conceptum quantitatis sic expremo: *Ens per se impenetrabile cum alia eiusdem rationis cum ipso, & cum quacumque alia entitate, quæ similem impenetrabilitatem habeat cum alia eiusdem speciei cum ipsa.* Definitio hæc comprehendit omnem quantitatem possibilem, siue substantialem, siue accidentalem, diuisibilem, vel indiuisibilem, quia omnis quantitas est impenetrabilis cum alia quantitate eiusdem speciei: insuper quantitates omnes etiam specie distinctæ inter se sunt impenetrabiles, qui conceptus optimè prædicta definitione exprimitur, quia prior illius pars exprimit impenetrabilitatem quantitatis accidentalis diuisibilis cum alia accidentali diuisibili eiusdem rationis, & posterior exprimit impenetrabilitatem quantitatis diuisibilis cum indiuisibili, quæ impenetrabilis est cum alia eiusdem rationis, videlicet cum alia indiuisibili, & eadem ratione explicat impenetrabilitatem quantitatis accidentalis cum quantitate substantiali, quæ impenetrabilis est cum alia eiusdem rationis, videlicet cum alia quantitate substantiali.

Obiic. non bene explicari essentiam quantitatis per impenetrabilitatem entis cum alio eiusdem speciei, &c. quia ad hoc vt cognoscatur hoc ens esse eiusdem speciei cum illo, cognoscenda est species, & essentia vtriusque entis: ergo ad cognoscendam essentiam quantitatis requiritur præcognosci ipsam essentiam: ergo explicatur idem per idem. Respondeo ad cognoscendum hoc ens esse eiusdem essentia cum illo necessum non esse cognoscere essentiam metaphysicam alicuius, neque prædicatum per quod ens in tali specie constituitur, sed sufficere cognitionem quandam valde confusam accidentium, & proprietatum vtriusque, quæ rectè potest supponi, & prærequiri ad essentiam metaphysicam quidditatiuè cognoscendam. Cognitionem illam sufficere ad cognoscendum duo entia esse eiusdem speciei per se notum est, nullus enim dubitat materiam primam Petri esse eiusdem speciei cum materia prima Ioannis, & magna est difficultas in agnoscendo prædicato metaphysicè constituyente materiam primam.

Obiic. secundo. Nulli entitati, quæ non sit quantitas conuenit impenetrabilitas cum alia eiusdem speciei cum ipsa: ergo per hanc impenetrabilitatem adæquatè differt quantitas ab illis entitatibus: ergo rectè, & adæquatè definitur quantitas per impenetrabilitatem cum alio eiusdem speciei, & necessum non erit addere secundam partem definitionis, per quam definitio longior quàm par est extendat. Respondeo impenetrabilitatem cum alio eiusdem speciei tantum conuenire quantitati, ex quo inferitur per hanc impenetrabilitatem adæquatè distinguendam esse quantitatem à reliquis entitatibus, siquidem hæc tantum impenetrabilitas illi competere, & distingui tamen per impenetrabilitatem in ordine ad aliud eiusdem speciei, & in ordine ad aliam entitatem habentem similem penetrationem, quia impenetrabilitas quantitatis non solum est in ordine ad aliud eiusdem speciei, sed etiam ad aliam quacumque entitatem, quæ similem habeat impenetrabilitatem. Sic contingit in creatura rationali, quæ sufficienter distingueretur ab omni alio per principium iudicandi, quia tamen non

non habet principium iudicandi distinctum à principio discurrendi, sed idem principium, quod est virtus iudicativa, est etiam discursiva, sit creaturam rationalem differre à non rationali non solum per principium iudicandi, sed etiam per principium discurrendi.

31 Iam de effectu formali quantitatis iuxta mea principia parum superest dicendum, dixi enim sepe effectum formalem cuiusque formæ esse compositum resultans ex formæ & ex subiecto, cuius compositi essentia facili cognoscitur cognita essentia materiæ, & formæ quibus componitur, præcipue cognita formæ, quæ est ultimum constitutum compositi, & cum iam explicuerim quidditatem quæritatis hac cognita facili poterit cognosci quidditas compositi, seu quanti constituti per quantitatem. Quod vulgo dicitur quantitatem communicare materiæ impenetrabilitatem, & extensionem, non ita intelligendum est, ut materiæ prima habeat aliquam existentiam ratione quantitatis, quam seclusa quantitate non haberet, quia existentia intrinseca rei ab ipsa non distinguitur, & cum entitas eadem sit manet cum eadem existentia. Si dicas præstare illam existentiam extrinsecam talis existentia extrinseca materiæ, erit intrinseca quantitati, mediâ quâ exigit materiæ, ac proinde existentia illa propria erit quantitatis, & non materiæ; id autem præstat quantitas materiæ unita, ut materiæ, impenetrabilis debeat, quia materiæ ex se exigit esse in eodem spatio, in quo est quodcumque accidens cui vnitur, & accidens similiter petit esse in eodem spatio, in quo est subiectum, cui vnitur, insuper petit quæritas impenetrationem cum alio ente eiusdem rationis, & impenetrationem partium ipsius quantitatis inter se ex quo fit petere eandem impenetrationem materiæ cui vnitur cum petat habere spatium commune cum materiæ, cui vnitur. Fit etiam posita impenetratione quantitas deberi eandem impenetrationem materiæ, cui quæritas est unita, quia materiæ exigit esse in eodem spatio, in quo fuerit forma illi unita, ergo supposita præsentia quæritatis unitæ materiæ in tali spatio, debetur materiæ præsentia in eodem spatio, ex vi existentie, quam habet præsentandi in quocumque spatio, in quo sit præsentatum accidens illi unitum, & consequenter debetur materiæ impenetratio, quam habet

32 quantitas, cui vnitur.

Ex hoc inferes, quod cum Hurta. notabam Controu. 5. Phys. Punct. 5. posita vnione plurium partium substantiæ ad indiuisibile quantitatis his partibus non debet impenetratione ipsarum inter se ratione huius vnionis, potius ratione talis vnionis illis deberetur penetratio, quia partibus substantiæ debetur præsentia in eodem spatio, in quo est quantitas terminas ipsarum vnionem, & cum in hoc casu idem indiuisibile quantitatis terminaret vnionem plurium partium substantiæ, his omnibus deberetur præsentia in eodem spatio, in quo est illud indiuisibile quantitatis, ac proinde illis deberetur penetratio. Eadem ratione si idem indiuisibile substantiæ, vel eadem indiuisibilis substantia vniretur pluribus partibus quantitatis non penetratis, sed extensis, tali substantiæ indiuisibili deberetur præsentia in omnibus indiuisibilibus spatiis, in quibus quantitas illa diuisibilis penetraretur. Ex hoc inferes, ex eo debet extensione substantiæ, quæ vnitur quantitati extensæ, quia distincta pars substantiæ distinctæ parti quantitatis vnitur, & cū distinctæ partes quantitatis occupent distinctum spatium sit distinctas substantiæ partes distinctum occupare spatium. Ex eodem principio inferes, quod si naturaliter, vel supernaturaliter omnes partes substantiæ diuisibiles immediate vnirentur cuiusque indiuisibili quantitatis diuisibilis, omnibus partibus substantiæ, & toti substantiæ deberetur intima præsentia, cum quocumque indiuisibili quantitatis, & consequenter deberetur præsentia definitiua substantiæ hac ratione unitæ quæritati præsentii circumscriptiue, quia eo ipso, quod tota substantia esset intime præsens cuiusque indiuisibili quantitatis, esset tota in quocumque indiuisibili spatio, & in toto spatio, in quo esset quantitas. Ad do in sententia, quæ asserit omnes entitates fieri præsentem per præsentiam quantitatis, cui vnuntur, non solum ex vi vnionis substantiæ diuisibilis secundum se totam ad quodcumque indiuisibile quantitatis circumscriptiue existentis debet prædictæ substantiæ præsentiam definitiuam, sed fieri formaliter definitiuè præsentem in tali spatio, quia in hac sententia ex vi vnionis ad quantitatem quodcumque extremum quantitati unitum constituitur formaliter in eodem spatio, in quo est quantitas per se terminans talē vnio-

Francisc. de Ouidio, Philosoph. Tom. I. l.

nem, cum autem tota substantia esset unita huic indiuisibili quantitatis immediate, & sic reliquis aliis, per hanc vnionem tanquam per formam, seu tanquam per informationem, de quo non curo, constitueretur formaliter tota substantia in quocumque spatio, cui quælibet pars, & quodlibet indiuisibile quantitatis correspondet, quod est constitui definitiuè in spatio, in quo est quantitas circumscriptiue præsens.

PUNCTUM III.

De speciebus quantitatis permanentis continuæ.

31 Stot possunt excogitari quantitatis species, quot sunt species rerum materialium quæ in aliis prædicamentis realium entitatum reperiuntur, cum enim non repugnet substantia per se ipsam immediate impenetrabilis, & quantitates, quæ huiusmodi impenetrabilitatem habeant, dari poterunt quæritates specie distinctæ identificatæ cum substantiis, vel qualitatibus specie differentibus. Poterunt etiam quantitates superadditæ specie differre ex eo, quod vna sit diuisibilis, & indiuisibilis alia, cum iam probauerim non repugnare quantitatē indiuisibilem. De quantitate reali, quæ speciale est accidens distinctum à reliquis omnibus difficultatē hanc examinant Doctores, cum quibus quid de hac quantitate breuiter definiam. Ad naturam quantitatis explicandam præ oculis semper habenda est duplex opinio circa continui compositionem, quædam illud componens ex puris indiuisibilibus, alia ex partibus infinitis in infinitum diuisibilibus. Vtriusque continui structuram explicui Controu. 17. Punct. 7. & iuxta doctrinam ibi traditam rem tracto.

32 Dico Primum: Iuxta Aristotelis sententiam linea, superficies, & corpus est species quantitatis. Conclusio hæc communis est omnium ferè Doctorum, licet non illi absque distinctione assentiantur Hurta. disp. 13. sect. 6. §. 52. quia existimat lineam, & superficiem subiectari in partibus quæritatis, cum quibus penetratur nullumque subiectum reddere impenetrabile, illam defendit P. Soar. supra, à quo recedit Hurta. quia existimat lineas, & superficies quantitatis non subiectari in lineis, & superficiebus materiæ, sed in partibus eiusdem quantitatis, quas vnunt, asseritque lineas, & superficies quantitates esse dicendas, si subiectantur in lineis & superficiebus materiæ, quas reddant impenetrabiles. Defendo lineas quantitatis in lineis materiæ subiectari, & sic de superficiebus, ac proinde ex hoc capite nō illis iuxta mea principia poterit negari ratio quantitatis, verū tamen existimo nihil conducere lineas, & superficies quantitates in lineis, & superficiebus materiæ, vel in ipsis quantitatis partibus subiectari, ad hoc, quod quantitatis rationem participant, vel illa careant. Ratio est: illud quod secundum suam entitatem quantitas est, secundum seipsum impenetrabile est, & non à subiecto impenetrabilitatē me dicat: ergo si linea est species quantitatis, secundum se independentem à subiecto debet esse impenetrabilis: ergo siue huic, siue illi subiecto vnatur eadem impenetrabilitatem habebit. Secundò etiam si quantitatis essentia consistet in extensionis existentia, ut multorum fert probabilis opinio; quantitas unita subiecto indiuisibili, cui non potest præstare extensionis existentiam, retineret totam quantitatis essentiam: ergo etiam si linea ex se diuisibilis vnatur subiecto aliunde impenetrabili, cui non posset impenetrabilitatē præstare, retinebit essentiam quantitatis, quia hæc consistit in quidditate rei, quæ ex se impenetrabilis est, & apta, ut communicet hanc impenetrabilitatem subiecto ex se capaci, quod si subiectum incapax respiciat, non ideo secundum aliquam rationem illius prædicata essentialia deficiunt, quæ in quacumque forma eadem retinent, dum permaneant intrinsece eadē forma, siue hoc, siue illud subiectum forma respiciat. Vltimò etiam si quæritati essentialē esset communicare impenetrabilitatem subiecto, adhuc linea parti quantitatis unita essentiam haberet quantitatis, & de facto talem impenetrabilitatem communicaret parti quantitatis, cui vniretur, quia etiam si pars quantitatis ex se sit impenetrabilis, potest etiam impenetrabilis fieri ratione lineæ ab ipsa distinctæ, quia non repugnat eandem partem quantitatis ex duplici capite esse impenetrabilem, etiam si alterum non distinguatur ab ipsa quantitatis parte, quia pars quantitatis ex se impenetrabilis potest vniri formæ, seu formam recipere talis naturæ, ut ex vi illius impen-

De quantitate non

dimentum habeat ut penetraretur, ita ut etiam si ipsa ex se non haberet impenetrabilitatem, præcisè ratione formæ aduenientis penetrari nõ posset, negatio enim penetratio- nis potest ex repugnantia subiecti, & ex repugnantia for- mæ superadditæ eidem subiecto procedere: sic cõtingeret si pars superficiei penetraretur cū parte corporis, quia tūc pars corporis ex se impenetrabilis taliter esset affecta parte superficiei, ut etiam si nullam impenetrabilitatem haberet, præcisè ex superficiei parte necessariò haberet eādem im- penetrationem, quam ex se habet pars superficiei, cui vni- tur, ita ut pars corporis à se haberet impenetrabilitatem propriā partis corporis, & à parte superficiei, cui esset vni- ta impenetrabilitatē propriam partis superficiei superad- ditā parti corporis, sicuti superadditur parti materiæ im- penetrabilitas partis quantitatis. Dicendū ergo est in om- nium sententia lineā, superficiem, & corpus esse quantitatis species, quia his omnibus entitatibus cõuenit impenetra- bilitas, & illarum neutra potest ita penetrari ut reducatur ad indiuisibile partium. Fateor lineas, & superficies non esse quantitates completas, quia ex se ordinantur ad cõpo- nendum totum integrale tanquam nexus partium talis to- tius, quod per se notum est, & alia probatione non indiget.

3 Obiicies: quando duo corpora tanguntur superficies exte- riore corporū in quibus sit contactus penetrantur inter se, & lineæ huius superficiei cum lineis alterius superficiei: ergo non cõuenit impenetrabilitas lineis, & superficiibus: ergo non sunt species quantitatis. Respondent nonnulli li- neas, & superficies extimas diuersorum corporū penetra- ri secundum partem, quæ indiuisibiles sunt, non verò se- cundum partem diuisibilem, v.g. lineam penetrari secun- dum latitudinem, non verò secundum longitudinem, & su- perficiem penetrari secundū profunditatem, non verò se- cundum longitudinem, aut latitudinem: Dispicet solutio, quia lineæ, & superficies penetrari nequeunt secundū men- suras, quas non habent, sed lineæ non habet latitudinē, ne- que superficies profunditatem: ergo neque lineæ potest pe- netrari secundum latitudinem, neque superficies secundum profunditatem. Secundò lineæ quæ habebat longitudinem duorum palmorum in ordine ad spatium, habet tantum longitudinem vnius palmi cum duplicata charta penetra- tur: ergo penetratur secundum longitudinem. Persistentes eadem solutione respondent penetrari longitudinem li- neæ, quia pars lineæ supponitur parti lineæ, qua parte li- nea est indiuisibilis, non posse tamen penetrari secundum longitudinem hoc est intrante lineæ spatium alterius per partem, secundum quam lineæ diuisibilis est, quia si lineæ lineæ è regione obiceretur per puncta initiatia, nulla posset locum alterius ingredi, neque vlla esset inter lineas penetratio. Placebit forsitan solutio ad speciem composita rem non percipienti, quis tamen illam attente inspicat, faciliè illius falsitatem deprehendet, quam sic ostendo. Po- natur manus supra mensam, lineæ manus per suprapositio- nem penetrabuntur cum lineis mensæ, ut solutione, quam impugno traditur, ducatur postea manus per mensæ pla- num, tunc lineæ manus intrabunt spatium linearum men- sæ non per suprapositionem, sed ingressu facto per puncta & partes linearum, quæ è regione opponebantur, & secun- dum partem illam, qua lineæ diuisibilis est.

4 Alij magis ad veritatem accedentes asserunt lineas pos- se penetrari secundum aliquas partes, non verò secundum omnes, quia nulla pars lineæ potest penetrari cum parte sibi immediatè vnita, etiam si cum aliis mediātè vnitis va- leat penetrari. Non acquiesco: Partes quantitatis omnes sunt eiusdem rationis: ergo si hæc pars, B. v.g. potest pe- netrari cum parte D, mediātè vnita poterit penetrari cum e immediatè vnita eiusdem rationis cum parte D, medi- tē vnita. Vrgo: hæc pars quæ est vnita immediatè parti B, potuit vniri mediātè: sed vnita mediātè potuit penetra- ri: ergo modò, cum sit eadē pars Dices non posse penetrari ratione vnionis immediatæ: Contrā: partes quantitatis secun- dum se sunt impenetrabiles, & non ratione vnionis: ergo siue vnita mediātè, vel immediatè, siue non vnita eadem impenetrabilitatem retinebunt. Melius dicitur partes li- neæ esse penetrabiles secundum aliquas, & secundum quā- libet assignabilem cum quacumque alia, non tamen posse partes omnes secundum se totas penetrari, ita ut ad indi- uisibile reducantur spatium, quia cum quolibet pars sit di- uisibilis in semper diuisilia, quantumuis penetraretur semper illud partis, seu pars illa, quæ penetratur habet partes in-

ter se non penetratas, quibus repugnat naturaliter ad indi- uisibile spatium reduci.

Obiicies: Impenetrabilitas lineæ in eo consistit, ut non possit ad indiuisibile reduci: ergo lineæ tantum est impen- trabilis in ordine ad partes, quas in se continet, & non in ordine ad aliam lineā, quia tota hæc lineæ cum tota illa pe- netratur, quod si non possit penetrari tota hæc lineæ cum aliquo indiuisibili seorsim sumpto alterius lineæ, ideo est ad indiuisibile redacta repugnet penetrari cum quolibet puncto alterius lineæ: ergo malè definitur quantitatem per ordinem ad impenetrabilitatē partium eiusdem quan- titatis inter se, & quantitatis adæquate cum alia quantitate adæquate. Resp. eandē impenetrabilitatem habere hæc lineā in ordine ad se ratione partium, quam habet ratione sui totius in ordine ad aliam lineam, quia sicuti omnes partes distinctæ huius lineæ possunt correspondere partibus di- stinctis alterius lineæ, sic dimidia pars lineæ potest eandē correspondentiā partium seruare cū altera medietate parti- tiā eiusdem lineæ, & sicuti tota hæc lineæ nõ potest ita pe- netrari, ut quolibet pars illius sit penetrata cum omnibus collectiue sumptis eiusdem lineæ, sic non potest penetrari hæc lineæ cū alia, ita ut quolibet pars illius sit penetrata cū omnibus partibus alterius lineæ collectiue sumptis. Si verò hæc solutio non placeat, dicito suprà definitā huius quan- titatis completā, cui cõuenit impenetrabilitas in ordine ad se, & in ordine ad aliud, & de ratione quantitatis incõ- plete tantum esse incõpletam impenetrabilitatē in ordine ad aliud. Punctū initiatium partium linearū in sententia Aristotelis quantitatis non habet essentiam, quia secundum se totum penetratur cum quocumque alio, incapax est fundandi extensionem, & longitudinem, est enim iuxta hanc sententiam firmiter statutum indiuisibile additum indiuisibili non facere maius. Hæc de specibus quantitatis permanentis continet iuxta Aristotel. sen- tentiam.

In opinione Zenonis, quæ continuum ex puris indiuisi- bilibus construit Punctum est species quantitatis. Probo faciliè. Punctum resistit penetrationi: ergo Punctum est quantitas. Probo antecedens: totum quantitatum resistit penetrationi: ergo secundum id quod intrinsecè in se ha- bet, & ex quo intrinsecè componitur. Sed totum tantum componitur ex indiuisibilibus: ergo resistit penetrationi secundum indiuisibilia. Confirmatur. Si vnum indiuisibi- le posset cum alio penetrari, illud aliud posset etiam pen- trari cum alio, & omnia posset ad vnum indiuisibile re- duci. Dices puncta immediatè vnita non posse inter se pe- netrari, etiam si posset penetrari alia puncta vnita medi- tē. Hanc solutionem in partibus supra impugnauimus, & in- diuisibilibus impugnationem efficacissimam habet. Si pun- cta mediātè vnita posset penetrari, puncta non vnita pe- netrari posset: ergo posset duo corpora adæquate distin- cta penetrari, quod est absurdum, & contra omnem experi- tiam. Rursus probatur eadem Conclusio. In hac opinione totum quantitatum est homogeneum, & resoluitur tan- quam in partes in Puncta indiuisibilia: ergo quolibet pars seu quodlibet Punctum indiuisibile eadem rationem habet cum toto, ut patet in aqua, & in aliis totis homogeneis, quorū quolibet pars eiusdē est rationis cum toto. Deinde iuxta hanc opinionē lineæ tantum dicitur plura Puncta vnita, sed plura Puncta specie non differunt ab vno Puncto: ergo lineæ non specie differt à Puncto. Dices lineam differe- ratione vnionis integralium, quas includit, & quibus caret Punctum. Contrā: totū integrale non differt essentialiter ab alio præcisè ratione vnionis integralis, quādo extrema vnita inter se non differunt, quia essentia Metaphysica totius, siue integralis, siue essetialis ex natura extremorū quæ vniuntur, & non ex vnionibus desumitur. Fateor totum integrale specie inadæquate physica differe à Puncto, quia includit vniones, seu Puncta quædā modos, quibus vniuntur Puncta res, quæ specie differunt à Punctis rebus, quæ mediis illis vniuntur, sicuti modus à re cuius est modus, & vnio ab extremis, quibus vniuntur. De his Punctis modis dixi Controv. 17. Phys. Punct. 7. vbi statui omnino esse extra Puncta res, & diuersum spatium occupare, ex quo modo, in- fero illis rationem quantitatis competere, & esse sint enti- tates modales ex se incompletæ, & ordinatæ ad extrema vnienda.

Locum ex Aristotele inter species quantitatis nonnulli annumerant, qui si sumatur pro locali reali, qui definitur

ultima superficies, &c. quantitatis participat essentialiter, non formaliter quatenus locus, sed quatenus superficies eiusdem corporis quantitativus, seu impenetrabilis, quae in se impenetrabilitatem habet eandem quam habet quaelibet alia superficies quantitativa, quae impenetrabilitas fundamentum est actualis extensionis, quia quae fundatur ratio loci, quae non quantitate constituitur, sed supponit pro materiali iam constitutam, & extensionem.

Alii volunt speciebus quantitatis praesentiam corpoream indivisibilem adiungere, quia illius partes impenetrabiles sunt, & quia praesentia unius quantitatis impenetrabilis est cum praesentia alius quantitatis. Melius defendit communis sententia praesentiam, etiam quantitativam non esse speciem quantitatis, & illius partes impenetrabiles non esse, quia licet non possint eidem spatio respondere partes praesentiae, quam modum habet haec charta, impossibilitas ista non oritur ex mutua impossibilitate relatiua, quam praesentiae partes inter se habent, sed quia quaelibet pars immobilis est, & non potest aliud spatium respicere praeter hoc, quod per se respicit, ex quo fit hanc praesentiae partem non posse respicere spatium, quod alia praesentia respicit, non quia tale spatium alia praesentia occupatur, sed quia secundum se non potest illud respicere, ita ut aequè impotens sit, & non minus impedita haec praesentiae pars respicere aliud spatium, dum actu tale spatium nulla praesentia respicitur, & dum illi alia praesentia correspondet. Quod si duplex praesentia possibilis, quarum quaelibet idem spatium per se respicit, nunquam coexistant, neque penetrantur, hoc non fit quia illarum penetratio immediatè repugnat, sed si praesentiae illae sint eiusdem corporis, mutuo inter se pugnant, non in ordine ad spatium, sed in ordine ad subiectum, sicuti quaelibet alia duo accidentia eiusdem rationis, quae ab eodem subiecto mutuo se expellunt. Si verò praesentiae illae ad diversa corpora pertineant, repugnant praesentiarum penetratio, quia unum corpus propellit aliud actu medio impulsu, ne fiat illi intimè praesens, unde immediatè in se tantum penetratio corporum repugnat, & non praesentiarum penetratio. Ex quo inferes, quod si Deus eidem subiecto in eodem spatio indivisibiliter sumpto duplicem praesentiam concederet tantum supernaturalem esse futuram coexistentiam duplicis praesentiae in eodem subiecto, sicuti esset supernaturalis coexistentia aliorum quorumlibet accidentium eiusdem rationis, & non coexistentiam praesentiarum in ordine ad spatium. Eadem ratione si duo corpora penetrarentur, totum miraculum in corporum penetratione, & non in penetratione praesentiarum consisteret. Ex quibus inferes non maiorem impenetrabilitatem ex se immediatam habere praesentias rerum materialium, quam spirituum, quia omnes impenetrabiles sunt ratione spatij, cui sunt affixae, & non ob aliquam repugnantiam relatiuam, quam habeant ex vi cuius vna praesentia expellat aliam ab spatio quod occupat.

PUNCTUM IV.

De speciebus quantitatis continua successivae, & quantitatis discretæ.

Scire oportet esse aliquas entitates, quae sunt extensae in ordine ad tempus, sicuti quantitas est extensa in ordine ad locum, quae extensionem successivam habere dicuntur, & quantitates successivae solent nuncupari, haec sunt tempus, & motus de quibus breviter dicam, an sint species quantitatis continua successivae. Sunt non pauci praecipue & recentioribus asserentes entitates successivas nullam habere unionem. Huius sententiae fundamentum expendi, Contr. 17. Physic. Punct. 6. à qua non omnino discessi Punct. 11. Iuxta hunc dicendi modum specialis insurgit difficultas an motus, & alia quavis entitas successiva possit esse species quantitatis, quia ens successivum, cuius partes immediatè tantum successione annectuntur non est unum per se, ubi enim non intercedit physica unio, & partes diversae reperiuntur, unum per se reperi non valet. Sed adhuc haec admissa opinione, dubitari potest, an partes motus inter se non vnitae propriam habeant impenetrabilitatem, ratione cuius quaelibet propriam speciem quantitatis constituat, licet non ex omnibus simul sumptis integretur quantitas, quae propriam, & physicam habeat unitatem,

Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

cum enim dixerimus indivisibile separatum in Zenonis sententia rationem habere quantitatis, sic dici forsitan poterit partem indivisibilem motus veram rationem quantitatis participare ratione impenetrabilitatis quam in ordine ad alias habeat compartes.

Triplex est motus, alterationis, nutritionis, & localis motus: Alterationis motus tantum fit successivè ratione qualitatis contrariae resistetis, & plures illius partes simul sunt & eadè numero actio, quae dicitur motus, & successivè incipit, postea tota simul conservatur, ex quo clarè inferitur motum alterationis non esse successivè per se, sed per accidens ratione contrariae qualitatis, vel principij activi intendentis oppositam qualitatem producere, ut latè expendam Contr. 6. de Generat. Punct. 4. non ergo species quantitatis dicendus est alterationis motus, cui extensio in ordine ad locum non per se convenit, neque ratione alicuius extrinseci principij, sed tantum ratione formae oppositae. Nutritioni tantum ratione alterationis coaenit successivè, fit enim nutritionis motus ut primò subiectum est ultimò dispositum, & cum hoc successivè disponatur, successivè contingit nutritio, quae instantanea esset, si subiectum extensum in instanti ultimò disponderetur. Hac ratione excludendus est à ratione quantitatis nutritionis motus, sicuti excluditur alteratio.

Tota difficultas ad motum localem reducitur, de quo dicendum est non esse speciem quantitatis. Ita P. Soar. supra sect. 8. qui absolute affirmat nullum motum esse quantitatis speciem. Ratio conclusionis esto: successio tantum convenit partibus motus localis per impossibilitatem terminorum in ordine ad subiectum, videlicet per naturalem repugnantiam, quam habent duae praesentiae in eodem subiecto simul existentes, ex introductione enim unius, sequitur expulsio alterius, ex quo sequitur non posse duas praesentias, neque duas praesentiae partes subiectum secundum se totum, neque secundum eandem sui partem simul recipere, & eidem subiecto inhaerentes coexistere. Cum autem actiones, seu partes motus, quae sunt modi praesentiarum, quas tanquam terminos respiciunt, non possint separari à praesentia, quarum sunt modi, fit non posse coexistere actiones, quibus praesentiae, quae successivè existunt, producuntur, sed necessarè existeret successivè, non quia una pars motus expellat aliam à tempore, cui correspondet, sed quia cum altera impossibilis est in ordine ad subiectum. Confirmatur: si motus impossibiles essent praesens in ordine ad tempus, non tantum non possent coexistere partes eiusdem motus, sed neque partes motuum diversorum subiectorum, neque motus adaequati diversis: sed non repugnat motus diversorum subiectorum, & partes illorum existeret in eodem tempore: ergo coexistentia partium eiusdem motus non repugnat ex eo, quod una pars petat esse extra tempus alterius, sed ex eo, quod una impossibilis sit cum alia in ordine ad subiectum, & se mutuo expellant, sicuti expelluntur albedo, & nigredo, quae si eidem subiectum informant, id nequeunt simul, sed successivè praestare propter impossibilitatem formalem, quam habent in ordine ad subiectum, & non propter extensionem, quam petant in ordine ad tempus. Probo antecedens: Quantitas, quae ex se est impenetrabilis in ordine ad locum non solum est impenetrabilis secundum partes respicientes idem subiectum, sed respectu aliis cuiusvis adaequatae quantitatis respicientis aliud subiectum, & respectu partium quantitatis distinctae: ergo si motus ex se esset impenetrabilis in ordine ad tempus impenetrabilis esset cum motu adaequato aliis subiecti, & cum partibus cuiusvis aliis motus: Sed motus non habet hanc impenetrabilitatem, ut modo dicebam: ergo ex se non est impenetrabilis in ordine ad tempus, sed in ordine ad subiectum.

Facilius tempus à ratione motus, excludo cum P. Soar. supra citato. Tempus est duratio motus, quae in mea sententia tantum addit supra motum denominationem quandam prioris, & posterioris, quae nihil physicum reale importat, sed tantum extrinsecam quandam denominationem. In sententia, quae defendit durationem esse accidens superadditum eodem modo philosophandum est de duratione in ordine ad spatium imaginarium temporis, ac de praesentia in ordine ad spatium imaginarium loci, sicut enim praesentia immobilis est, sic duratio, & sicuti praesentiae, quas habet eadem, vel diversa entitas in diversis locis non possunt penetrari non ex eo, quod una expellat aliam à loco, sed quia illarum quaelibet proprium spatium non potest

De 2 deferere

deserere, neque aliud acquirere, sic eadem omnino ratione contingit in durationibus quarum illa quae diuersum respiciunt temporis spatium, nullatenus possunt idem respicere, quia utraque proprio est affixa spatio, ultra quod existere nequit. Confirmatur de facto penetratur diuersae durationes motui coexistentium eiusdem speciei, & tamen non possunt penetrari aliae durationes, siue eiusdem mobilis, siue diuersorum, quae diuersum spatium respiciunt: ergo impenetrabilitas durationum tota oritur ex eo, quod durationes sint spatii affixae, ex quo fit, illas, quae semel diuersum respiciunt spatium nunquam posse spatium commune respicere.

5 Video graues auctores, & recentiores nobiles, qui de speciebus quantitatibus discretis vix vel nulla mentionem faciunt: non desunt tamen, qui antiquorum ductu velint serio in Scholis spargere, illa, quae vulgo indulgentes vetustij permiserunt, ideo non omnino has nenas obliuiscor, sed illas summa qua potuero breuitate pertingam. Definitur quantitas discreta cuius partes nullo communi termino copulantur, quae in numero & ratione nonnulli meditantur. Numerus est collectio vnitatum, quae per se referri possunt. Dissensio est inter Nominales, & Thomistas an numerus in rebus pure spiritualibus possit reperiri, hi negant, & alij affirmant: utrosque citatos inuenies apud P. Soar. in Met. disp. 41. sect. 2. in quibus nulla potest de re esse dissensio, ut patebit ex his, quae subiicio.

6 Affirmo numerum supra coexistentiam entitatum realium nihil addere ex parte rerum, ex quibus componitur, ex vi cuius hae vnitas determinatur ad numerum componendum, vel non componendum, vel ad componendum hunc praeter alio. Dico numerum nihil addere ex parte rerum, quia multi affirmant numerum formaliter in ratione numeri includere actum intellectus annumerantis, sine quo tantum est multitudo, seu proxima materia, ut per actum intellectus annumerantis formaliter numerus constituatur, quod impugnat Hurt. disp. 13. sect. 6. § 54. quia intellectus supponit numerum, quem recenset, & non illum constituit, cum enim ego video tres homines, & affirmo ibi esse ternarium numerum, non illis ego trinitatem mente appingo, sed illam tenent se ex parte obiecti cognosco. Res est leuis momenti, in qua parum refert hoc, vel illo modo loqui, si enim quis dicat actum, quo ego annumero homines in hoc gymnasio existentes, & affirmo esse octo, tantum supponere multitudinem aptam, ut ab intellectu recedatur hoc numero, cuius ratio formalis in ipso actu intellectus consistit, qui multitudini seu numero materialiter sumpto tribuit denominationem formalis numeri, nulla ratione poterit impugnari, sicut inique ille, qui cum Hurt. diceret rationem numeri totam se ex parte obiecti tenere, in quam tanquam in obiectum fertur intellectus: Censeo tamen loquendum esse cum Arist. & D. Thoma qui numerum ens rationis appellant, quos perperam interpretatur Hurt. de extrinseca concomitantia duarum entitatum, hanc enim rem aliam comitari non dicitur ens rationis, & frequenter extrinsecae denominationes ab actu intellectus provenientes entia rationis appellantur, etiam si nullam includant fictionem. Iam numerum nihil addere ex parte rerum, quibus componitur supra ipsarum vnitates sic probo. Quaelibet vnitas ex se est apta ut per aliarum aduentum numerum constituat: ergo non indiget alio superaddito, ut numerum constituat. Confirmatur: quocumque intrinsece superaddito rei, quod non sit aduentus aliarum entitatum, ex quibus numerus est componendus, adhuc manet res indifferens, ut numerum constituat, vel non constituat, quia manet indifferens, ut cum alijs coniungatur, cum quibus numerum constituet, vel ut non coniungatur cum illis, sine quibus non potest numerum componere: ergo praecise per aduentum aliarum entitatum, & non per aliquid intrinsece superadditum determinatur ad numerum constituendum. Vltimo si ponas hanc, & illam entitatem realiter existentes sine modo intrinsece superaddito, quem non haberent, si quaelibet illarum seorsim existeret, intellectus illas recenset, & nihil ex parte illarum desideraretur, ut numerus ternarius, vel quaternarius assurgeret: ergo numerus nihil addit supra collectionem vnitatum, ex quibus componitur.

7 His positis questio est pure de nomine, an in rebus spiritualibus numerus reperiri necne? Certum enim est dari collectionem rerum spiritualium, quas potest intellectus recensere, & dicere: haec animae rationales sunt quatuor; hi Angeli sunt octo: Angelorum chori sunt nouem, in quo sensu nemo negare poterit dari numerum rerum spiritualium, fides enim docet tres esse personas Trinitatis. Nihil

ominus hoc nomen numerus quantitate sonat, quae propter numerus quantitas discreta dici solet, quantitas dicitur mobilis, rem sensibilem, & corpoream, quae non conueniunt rebus spiritualibus, ideoque nomen numerus illis non solemus applicari eo modo, quo sumitur à Philosophis, & Mathematicis pro quantitate discreta, licet nullus negare poterit aliquo modo rationem numeri rebus etiam immaterialibus conuenire, quid enim immaterialibus, personis diuinitatibus & illis numerum ternarium tribuimus.

Ex his infero, numerum non esse speciem quantitatis, quia nullam habet propriam vnitatem, neque aliquid dicitur physice distinctum à singulis vnitatibus, ex quibus confingitur, & ita non potest speciem physicam quantitatem coponere. Quod si quaelibet entitas, ex quibus numerus componitur, quantitas sit, numerus dicitur aggregatum quantitatum, quarum quaelibet rationem quantitatis habebit, non tamen ex illis alia tertia quantitas resultabit.

Dico vltimo, orationem non esse speciem quantitatis. Probo hanc conclusionem: In oratione nihil inuenitur, ratione cuius possit dici quantitas, quia tantum dicitur speciem sonum per motum localem quorundam viuentis organorum productum, cuius motus tantum est causa efficiens vel conditio, ut producat, utraque extrinseca orationi, etsi motus orationis esset intrinsecus, non ideo illa esset species quantitatis, quia iam dixi motum non esse quantitatis speciem. Sonitus est quadam qualitas, cui tantum conuenit successio, quia producit dependenter à motu locali, qui successiue fit, neque ex alio capere partes sonitus successione habent, quia illarum coexistentia nullatenus in ordine ad tempus aliquam repugnantiam, neque adhuc in ordine ad subiectum, quia non illis necessarii subiectum est commune: saepe enim sonitus primae syllabae non producit in eadem aëris parte, in qua secunda sonitus producit. Nihil ergo inuenitur in oratione, ratione cuius possit illi propria impenetrabilitas in ordine ad tempus spatium attribui, & stricte dici quantitatis speciem.

Obiicies Aristotelem capite de quantitate, afferent aliquas ex his entitatibus esse species quantitatis. Resp. Arist. in ordinatione huius praedicamenti ostendisse ad vulgi opiniones, non ad propriam sententiam, & rigorosam rationem ut ex Alberto & Commentatore s. Met. comment. 18. notauit P. Soar. disp. 41. Metaph. sect. 3. n. 3. Qui de hac re plura vult legere, adeat Patrem Vallium in praedicamento Quantitatis q. 4. vsque ad septimam includens ubi de his omnibus entitatibus seorsim sumptis distinctas induit quaestiones per plura capita diuisas.

CONTROVERSIA VIII.

De tertio membro diuidente, quod est qualitas.

QUALITAS accidens est omnium nobilissimum, cuius natura explicatu valde difficilis est: sunt enim pauca quae de qualitate secundum se possint disputari.

PUNCTUM I.

Quid sit qualitas.

Pater Soar. tom. 2. Metaph. disp. 42. sect. 1. varias qualitates adducit definitiones, quarum prima desumitur ex Aristotele cap. de qualitate, ubi sic illam definit: *Qualitas dico quae quales quidam dicuntur*. Plerique auctores huius definitioni non acquiescunt, quia si aliquantulum euoluatur, in illa vitiosus circulus apprehenditur, inquirenti enim quid sit quale, respondendum est, quod à qualitate tale dicitur, seu denominatur. Quod si dicas quale alio modo definiendum esse, illo modo vt ut ad definiendam qualitatem, & breuius naturam qualitatis quidditatiue explicabis. Secundum adducit aliam definitionem desumptam ex D. Thoma s. Metaphysic. & alijs in locis. *Qualitas est*

accidens

accidens absolutum consequens formam. Non omnino acquiesco, quia quantitas est accidens absolutum, quod licet materiam consequatur, consequitur etiam formam, quia forma totius corporei quantitatem exposcit, & in multorum sententia, quantitas subieciatur in toto composito, & ab illo nascitur, secundum quorum sententiam æquè consequitur materiam, & formam. Secundo efficacius impugatur hæc sententia in actibus vitalibus, speciebus, & habitibus Angelorum, quæ qualitates sunt, & non consequuntur formam, quæ earent Angeli. Tertio, adducitur alia definitio ex eodem Angelico Doctor disp. 12. quæst. 49. quæ sic se habet: *Qualitas est modus seu determinatio subiecti secundum esse accidentis.* Hæc definitio præ se fert impugnationem, quia in primis non omnis qualitas est modus, imò si actus vitales intentionales modi non sunt, vix qualitas reperietur, quæ sit modus, & non res: Deinde nulla est ratio, propter quæ calor, & alia huiusmodi qualitates dicantur determinare subiectum, potius quàm quantitas, ubi, & passio, quæ determinatio subiecti ad formam sustentandâ. Alij ex Arist. apud Soar. ibid. definiunt: *Omne id, quod præter quantitatem substantiæ inest, definitionem hanc probabiliter posse defendi ait Soar. subintelligendo omne id absolutum quod inest substantiæ secundum se, & in esse quieto, & perfecto modo esse qualitatem, quâ ratione excludi putat relationes, & alia prædicamenta.* Haud difficilior reliquis hæc impugnatur definitio, est enim ubi accidens magis absolutum, & substantiæ inest modo magis quieto quàm intellectus, quæ ad suum refertur obiectum, & inest viuo modo, qui dicit motum & actionem, quæ difficile diu potest durare.

2. Alio modo definitur qualitas accidens absolutum ad complectendam perfectionem substantiæ, tam in agendo, quàm in existendo. Peccat hæc definitio sicuti præcedentes, quia omne accidens perficit substantiam saltem extrinsecè, & accidentaliter, omnia enim sunt ornamenta, & quasi substantiæ velles, entitatiuè autem, neque qualitas substantiâ perficit, quia omnis substantia habet suum esse adæquatè distinctum à qualitate. Deinde quantitas substantiam perficit in operando, quia iuxta commanem sententiam ad rationem agentis corporei extensio requiritur, quæ in quantitate radicatur, & præsentia substantiam perficit in ordine ad operationem, ad quam ex parte actus primi tanquam conditio requiritur, quia ad operationem agentis in passum supponitur approximatio, quæ à præsentia non distinguitur.

3. Pater Hurtad. disp. 4. sect. 1. num. 4. sic qualitatem definit *accidens à quantitate distinctum.* Quam definitionem tradit etiam Arriag. disp. 5. sect. 1. Rogo in primis Arriagam, quod esse intelligat *per accidens absolutum* quod nulli ordine, relatione uel dicat, intelligere non potest, quia potentia, & actus vitales, apud omnes, qui relatione s cognoscunt eas includunt, potentia ad actus, & actus ad obiecta. Si per accidens absolutum intelligatur accidens reale prout modali opponitur, memor sit Arriag. se docuisse disp. 14. Physic. sect. 2. subsect. 7. præsentiam esse rem, & non modum, & hæc ratione dici poterit accidens absolutum præcipuè cū teste Arriag. disp. 14. Physic. sect. 3. num. 6. nullum ordinem dicat ad spatium imaginarium cū hoc purum figmentum sit ad nostros tantum conceptus explicandos inuentum, & æquè absolutum sit, ac albedo. Adde inrellctionem, & huiusmodi operationes vitales in multorum sententia esse modos, & ita ex nullo capite poterunt dici accidentia absoluta, cū aliis eisdem inest relatio transcendentalis ad obiecta. Tandem reicio hanc definitionem, quia rem non explicat: per illam enim tantum dicitur quid non sit quantitas, non vero quid sit. Quod si de Deo sic loquamur, ideo est quia nullo hominum, neque Angelorum intellectu illius essentia possit comprehendendi.

4. Recentes alij essentiam quantitatis per capacitatē extensionis explicant, qualitatem deficientes, *accidens per se intensum, id est constans partibus unitis eidem omnino subiecto.* Alij existimantes definitionem hanc comprehendere actionem diuisibilem terminatam ad qualitatem intensam, cuius partibus subiectum est commune, cum partibus qualitatis, quæ ex vi illarum producantur, ut hanc à ratione qualitatis excluderent definiunt qualitatem, *Accidens physicum aptum naturæ suæ terminare actionem, & unionem intensam.* Per quam capacitatē asserunt accidens constitui intensu radicaliter, seu petens intentionē formale quæ consistit,

Francisc. de Quiedo, Philosoph. Tom. II.

tum in vnione partium in eodem subiecto, cui indiuisibilitate vniantur, tum in actione, per quam partes istæ producantur. Singularem hunc dicendi modum sic probant: essentia quantitatis est exigere extensionem ergo essentia quantitatis est exigere intensionem. Secundo sicuti extensio est propria quantitatibus, sic intensio est propria qualitatibus: sed essentia quantitatis consistit in extensionis exigentia: ergo essentia qualitatis consistit in extensionis exigentia: Nihil frigidius, quàm hæc argumenta, quæ à paritate sumuntur, in quibus non disparitas à respondente, sed paritas ab arguente petenda est. Respondeo omisso primo antecedenti negando consequentiam, & disparitas petenda est ex speciali ratione, quæ quisque moueatur ad constituendam essentiam quantitatis in exigentia extensionis, quæ non reperietur ad ponendam essentiam qualitatis in exigentia intensionis. Ad secundum argumentum nego eodem modo competere extensionē quantitatis quo competit intensio qualitatis, si essentia quantitatis in exigentia extensionis constituitur. Positiuè eadem sententia impugnanda est ex potentiis vitalibus superadditis, quæ, etsi de facto non competant animabus existentibus, tamen aliis possibilibus possunt competere, quæ qualitates sunt in omnium sententia, & tamen intentionis capaces non sunt, & characteri qui qualitas est supernaturalis iuxta communem Theologorum sententiam, intensionem negat P. Soar. tom. 3. in 3 p. comment. art. 5. quæst. 69. & P. Valq. tom. 2. in 3. part. disp. 114. affirmat non omnino esse certum an illa polleat, quibus supponit possibilem esse dari hanc qualitatem sine intensione, neque vllus fuit Philosophus, neque Theologus, qui neget possibilem esse qualitatem non intensibilem, quod negant isti recentes, ut sententiam, quam ipsi ex proprio cerebro absque vlllo fundamento defendendam suscipere defendant.

Hæ sunt definitiones, quas authores communiter adducunt, quæ prædictas patiuntur difficultates, quapropter dum clariorem, & exactiorem aliam non audio, sic qualitatem definio: *Accidens quod secundum rationem superiorem prædicamenti tantum sequitur actualitatem perfectam.* Per actualitatem perfectam intelligo id, quo vltimò constituitur totum substantiale, quod in toto composito est forma, & in toto simplici, sicuti Angelo est eademmet totius substantialis impartibilis entitas. Sic Angelum, aliudque huiusmodi totum substantiale si existit, & formam substantialem, vltimas actualitates perfectas voco, non verò materiam, quæ per formam actuatur, ad quam potentia, & esse in potentia dicitur. Definitionem hanc competere omnibus qualitatibus, & nulli alij accidenti, sic probō. In primis nulla qualitas materiam primam consequitur, quæ non est actualitas perfecta, materiam enim primam secundum se nulla debetur qualitas, sed est indifferens ad hanc, vel illam recipiendam, secundum exigentiam formæ, cui est vnita quæ qualitates sibi debitas, & innatas secum affert. Sequitur insuper omnis qualitas actualitatem perfectam, omnis enim in toto composito in forma radicatur, & ex illa nascitur, sic primæ qualitates formam sequuntur, & quæ ex primis oriuntur ex eadem forma mediis primis originem trahunt, potentia vitales, illorum actus, & species formam compositi viuentis sequuntur, quod si obiectorum externorum species recipiantur in aère, & huius materia prima illarum sit subiectum, materiam primam debita non sunt, & producantur ab obiectis sensibilibus, quæ in forma radicantur, & ordinantur ad actiones vitales, quæ viuentis formam sequuntur. Idem dico de sono, lucē, & impulsu, quæ sunt accidentia materiæ indebita, & non ad illius exigentiam, sed ad exigentiam formæ, & dispositionē, quæ formam consequuntur, hæc, vel illa ratione producantur. Gratia habitualis, & alij habitus supernaturales, etsi non debeantur animæ, neque Angelo; tamen quotiescumque existunt, semper perficiunt perfectam actualitatem, huiusmodi enim actus semper animum rationalem, vel Angelum, qui sunt perfectæ actualitates perficiunt, & in horum perfectionem natura sua ordinantur, & non in materiam perfectionem. Neque ratio per definitionem explicata, alicui accidenti à qualitate distincto competit quia quantitas materiam consequitur, & ita non tantum sequitur actualitatem perfectam, si formam consequatur. Relatio, præsentia, duratio, actio, & passio æquè materiam & formam, substantiam, & accidens sequuntur, quod si præsentia formæ aliudve modale illius accidens tantum posset sequi formam, quæ est perfecta actualitas, hoc non illi

D d 3 compe

competet ex prædicato generico, seu superiori prædicamento, sed ex prædicato specifico, videlicet, quia est talis præsentia, talis duratio, vel relatio, qualitas autem eo præcisè, quod sit qualitas, quacumque alia speciali differentia seclusa semper sequitur perfectam actualitatem.

De figura secundum diuersas sententias diuersum ferendum est iudicium. In opinione, quæ asserit non distinguere præsentia æquè sequitur materiam, & formam; & in sententia illorum qui asserunt materiam primam propriam præsentiam inesse sequitur quantitatem, quæ neque est perfecta actualitas, neque illam tantum consequitur. Iuxta sententiam illorum, qui asserunt figuram esse qualitatem distinctam à præsentia, quæ certam deorganizationem, & partium positionem importat, dicendum est figuram tantum sequi formam, quia debita non est materiam aut quantitatem specialis deorganizatio neque partium positio.

PUNCTUM II.

Diuisio qualitatis.

Primò diuidit Aristoteles qualitatem in habitum, & dispositionem. Secundo, in potentiam, & impotentiam. Tertio in passionem, & passibilem qualitatem. Quarto in formam & figuram. Diuisio hæc tradita non fuit ab Aristotele per species strictè, & rigorosè inter se oppositas, sed tantum designauit hos qualitatis modos, ut variaz qualitates vulgo innotescerent: imò inter hæc membra diuidentia aliqua recensuit, quæ propriæ qualitates non sunt, sed tantum secundum vulgarem loquendi modum qualitates denominant. Arist. enim in prædicamentis vulgo indulgebat, & omnia tractabat eo modo, quo magis illi arderent, & facilius ab imperitis percipi possent. Constat hoc ex iam dicendis, dum singulas species qualitatis percurro.

Habitus significare solet possessionem, seu ius ad rem, quo sensu ad prædicamentum habere pertinet. Idem significat naturalem positionem, quæ eadem est cum situ vel figura. Rursus sumi solet pro qualitate quadam ab actibus vitalibus dimanante, quæ ad illos exercendos faciliores reddimur, & secundum hanc rationem pertinet ad hanc speciem qualitatis, licet non his qualitibus species ista circumscribatur, sed se ad alias extendat. Dispositio frequenter, significat ordinem, quem inter se res habent, in qua significatione ad hoc prædicamentum non pertinet, quia iste ordo tantum importat successionem in ordine ad locum, vel tempus ratione cuius hoc prius, & illud posterius dicitur. Secundo sumi solet pro corporis figura, quæ in quarto membro diuidenti continetur. Tertio sumitur pro accidenti sternente materiam ad formam, quod est commune quanto, qualitas verò quæ sit materiam sternit, & dispositio formæ dicitur, ad hanc speciem pertinet, licet non illam adæquatè componat.

Iam pressius Aristoteles dispositionem definiuit: *Qualitas facile mobilis, quæ aliquo modo disponit subiectum, vel in ordine ad se, vel in ordine ad aliud.* Rursus habitum & dispositionem tantum distinxit ex modo attingendi subiectum, & habitum definit: *qualitas diu permanens quæque difficile moueri potest.* Ex quibus definitionibus conceptum commune vtriusque deprehendes, si facile mobilis remoueas à priori definitione dispositionis, & dicas *qualitas quæ aliquo modo disponit subiectum vel in ordine ad se vel in ordine ad aliud.* Ad hanc speciem pertinent habitus acquisiti siue speciales sint qualitates; siue ab speciebus non distinguantur, quia principium iam potens operari, & adæquatè constitutum in esse principij disponunt, ut facilius suam operationem exerceant, & ita disponunt illud in ordine ad aliud. Pertinent etiam ad eandem speciem qualitates, quæ materiam ad formam sternunt, quia materiam ex se potentem recipere formam disponunt, ut illam in actu secundo recipiant. Sub eadem specie recensentur qualitates illæ, in quibus bona valetudo viuientis consistere dicitur, quia subiectum iam constitutum in esse viuientis disponunt, ut diu duret, quod est bene se habere in ordine ad se. Item qualitates, in quibus pulchritudo, & corporis elegantia consistit, quibus subiectum in ordine ad se, & in ordine ad alia bene se habet. Differentia inter habitum, & dispositionem accidentaliter tantum est, eadem enim qualitas dum est remissa, & facile perdi potest, dispositio dicitur, & postea dum intenditur, & firmiter subie-

cto hæret habitus appellatur, quapropter dixit Arist. omnem habitum esse dispositionem, & non omnem dispositionem esse habitum, quod intellige non in omni compositio, sed in sensu diuiso, hoc est, omnem habitum, antequam per extensionem in subiecto radicaretur fuisse dispositionem dum erat qualitas remissa, & facile mobilis.

Potentia virtutem ad agendum significat, impotentia verò huius virtutis carentiam solet significare, hic sumitur à Philosopho pro potentia debili, & imbecilli, sicuti potentia deambulandi in claudum quem dicimus non posse deambulare. Sub hac specie continentur potentie vitales si superadditæ sint. Difficultas est an ad illam spectent habitus supernaturales, qui non dantur ad facilius operandi sed ad operandum, ex quo capite non videtur pertinere ad speciem habitus, sed ad potentiam speciem. Affirmat P. Soar pertinere ad præcedentem speciem habitus, quia supponunt potentiam inchoatam, & constitutam in esse vitalis, quam eleuant ad actus supernaturales. Leuis momenti dissidium est, & utrumque facile defendi potest, æquior tamen P. Soario de mente Aristot. sollicitè in hac re agenti. Idem dicito cum eodem Soar. de speciebus impressis propter eandem rationem, licet enim non supponant adæquatè principium actus vitalis, supponunt tamen potentiam vitalem secundum totum id, quod dicit formaliter, ut est potentia vitalis.

Passio significare solet omnem proprietatem à forma dimanantem, quæ proprium quarto modo constituit, secundum quam acceptionem ad hanc speciem non attinet, quia omnes potentie hac ratione passiones dicuntur. Secundo sumitur passio pro receptione formæ in subiecto, sub qua ratione constituit speciale prædicamentum passionis. Tertio sumitur pro forma recepta in subiecto, cui quod affert incommodum v.g. pro actu tristitia, vel pro sensatione dolorifera, tunc enim dicimus pati subiectum quando nimia tristitia afficitur: imò forma illa, quæ nimiam voluptatem in subiecto deriuat passio dicitur, sapè enim patitur subiectum præ nimia voluptate, quæ illi dissonans, & incommoda esse solet. Secundum hanc acceptionem passio dicitur vitalem actum, qui ad hanc speciem non pertinet.

Passionem, quæ ad hanc speciem spectat, illam Arist. vocat, quæ passionum in sensibus efficax est, id est, quæ ita sensibilis est vt eius sensatione aliquid sensus patitur. Vnde sub hac specie comprehenduntur omnes qualitates, quæ sensibus percipiuntur. Passionem vocat Philosophus quæ laturæ, quæ ex occasione sensationis alicuius obiecti in subiecto resultauit, sub qua comprehenduntur eadem qualitates, quæ sub passibili qualitate, quia idem color actius, qui ad passibilem qualitatem pertinet ratione supra dicta, ad passionem pertinet, quando oritur ex aliqua sensatione, vel mutatione subitanea. Per hæc principia, ex quibus oriuntur passio & passibilis qualitas, illarum differentias intendit explicare Philosophus, quæ in eo sitæ sunt, quod passibilis qualitas diu duret, & passio citò transeat, & cum color ex verecundia, vel ex alia subita mutatione ortus diu non permaneat, sic, cum ex his affectibus qualitas sensibilis trahit originem, passio dicitur, & cum habet principia stabiliora, passibilis qualitas appellatur. Passionem & passibilem qualitatem specie non differre constat ex dictis de habitu, & dispositione in quibus eadem intercedit differentia.

Contra hanc qualitatis speciem insurgit difficultas, quia calor & reliquæ primæ qualitates sunt virtutes actiue, & potius videntur ex hoc capite pertinere ad secundam qualitatis speciem, quam ad tertiam. Multus est P. Soar. disp. 4. sect. 4 n. 7. vt probet primas qualitates non pertinere ad speciem potentie & impotentie: illius fundamentum est humilmodi, qualitates non intendi à natura vt effectus similes producant, sed ad ornatum, & conseruationem formæ, & vt illa reddant sensibilē. Quod si gaudeant intrinseca actiuitate producendi qualitatē similē, v.g. si calor intrinsecè potens sit producere calorem, virtus ista cōuenit calori ratione suæ perfectionis concomitater ad id, quod intendit natura in calore producendo, quod tantum est sensibilis qualitas, quæ conseruet, ornet, & reddat sensibilē formā cōpositi, quod afficit. Doctrinam hanc sic impugnat Hurt. calor intrinsecè est actiue, & intrinsecè habet virtutem disponendi ad formam, & illam reddendi sensibilē: ergo nulla est ratio propter quam dicatur natura intendisse calorem vt dispositiuum ad formam, & vt perceptibilem per sensum, & constituentem

constituentem ratione illius sensibile subiectum, quod afficit, & non illum ut actuum intendisse. Responderi potest ex ratione, quia mouetur Soarius ad asserendum calorem, ut actuum non intendi, quia natura non indiget calore, ut calorem producat, qui potest produci ab igne vel luce, indigere tamen calore & aliis primis qualitatibus, ut subiectum disponatur ad formam, & ut mediis illis sentiat, quia ablatis primis qualitatibus, neque extarent sufficientes dispositiones ad formam, neque totum per formam constitutum esset sensibus perceptibile.

8 Efficacius contra doctrinam Soarii arguo: Natura non sibi proponit finem, ut illum propositum seu applicatum per aliquam cognitionem postea intendat, sed id dicitur natura intendere, in quod cause naturales propendunt, intentio enim naturæ nihil aliud est quam propensio causarum naturalium, in id autem primariò & per se cause naturales propendunt, quod primariò & per se absque vlla eleuatione supra naturam, neque violentia contra ipsam naturam, sed sponte sua producant, & eadem ratione illud intendunt, quia illud producant: sed cause productiue caloris sponte sua absque vlla eleuatione supra naturam, neque violentia contra ipsam naturam producant calorem cum virtute actiua ad producendum alium calorem: ergo illum intendunt cum hac virtute actiua. Rursus omnia prædicata, quæ sunt identificata in effectu æquè primò, & per se attinguntur per actionem qua natura producit effectum, quem intendit, quia actio non est prædicatum prædicatum: ergo virtus causatiua æquè primariò, & per se intendit omnia prædicata, quæ sunt in effectu, cum id primariò, & per se intendat causa, quod primariò, & per se attingit per actionem.

9 Definiri solet figura, *ultimus terminus quantitatis*: alio modo id quod resultat ex terminatione magnitudinis. melius tamen censeo definiendam *externarum partium corporis inter se dispositio*: qua descriptione rectè intelligitur, quid figuræ, & formæ nomine significetur, quod ex dicendis constabit; figuram, & formam essentialiter inter se non differre communis fert opinio, quæ tantum illas distinguit ex modo significandi, quia figuræ nomen mathematico modo significat abstrahendo à materia; forma verò modo physico connotando subiectum. Addit Soar. supra non improbabile esse hoc loco formæ nomine non intelligi figuram verumque, sed ornatam accidentibus, ex quibus pulchritudo confurgit, quæ ad hoc prædicamentum reducitur, quia dicitur quoddam aggregatum qualitarum quidquid de hoc fit, modò non agimus de figura ex accidentibus vestita, sed de illa secundum se.

10 Sensit P. Rub. figuram esse modum quemdam specialem à præsentia distinctum, & quantitati superadditum. Fert communis opinio non distingui à præsentia, licet pro materiali supponat subiectum vnum, seu vnitum. Duplicem ego contemplor figuram, quamdam mathematicam, aliam physicam. Figura mathematica est illa, quæ corpus constituitur rotundum, quadratum, vel triangulare. Figura physica est, quæ portio substantiæ retinet partium ordinem ex vi cuius dicitur, est manus, vel caput. Figuram mathematicam hac ego ratione à præsentia non distinguo. Corpus esse rotundum tantum dicit omnes illius partes extimas ab vno eiusdem corporis puncto, quod centrum dicitur eandem habere distantiam: sed hoc, quod est habere distantiam consistit in præsentia illorum, quæ distare dicuntur: ergo corpus esse rotundum consistit in præsentia partium, quibus constat. Secundò ex eo præcisè, quod hæ partes vnitæ habeant has easdem numero præsentias dicuntur æquè distare ab vnico centro: ergo ex eo præcisè, quod hæ partes vnitæ habeant has easdem numero præsentias, dicitur corpus rotundum, quia corpus esse rotundum nihil aliud est, quam habere partes æquè distantes ab vno centro. Idem dico de figura triangulari, & quæcumque alia proportionem seruata in partium distantia. Ex his inferes globum rotundum amittere hanc numero rotunditatem, seu figuram mathematicam, cum hanc perdit præsentiam, dicitur tamen permanere cum eadem rotunditate, quia aliam eiusdem rationis per motum acquirit, sicuti dicitur caput eandem habere distantiam à pectore siue homo sit in hoc spatio, siue in illo, quia etsi distantia sint distincte in spatiis diuersis, sunt tamen valde similes, & æquales. Inferes secundò corpus ad indiuisibile redactum non habere figuram mathematicam, neque esse rotundum, aut triangulare, quia nullam habet partium distantiam.

Figuram physicam constituo in hac vnione partium cum hoc ordine vnitarum, ex vi cuius, hæ pars exigit præsentiam, quæ sit anterior illa, quæ sit posterior, & alia, quæ sit media. Hac ratione ex vi figuræ manus pollex petit in ordine ad locum esse priorem, index esse immediatum pollicis, & sic de aliis digitis. Addit insuper hæc figura negationem aliarum partium supervnitarum eiusdem rationis. Si enim partibus huius manus ingens portio carnis supervniretur, manus figuram non retineret. Dixi negationem partium supervnitarum eiusdem rationis, quia etiam si partibus cordis supervniantur partes sanguinis, vel carnis, adhuc stabit cordis figura, in partibus diuersæ rationis ab illis, quæ illis supervniantur.

Inferes ex his neque figuram mathematicam, quæ consistit in præsentia, neque physicam, quæ consistit in vnione partium habere rationem qualitatis, sed illas in qualitatibus annuerasse Philosophum, ut vulgo indulgeret.

CONTROVERSIA IX.

De quarto membro diuidente, quod est prædicamentalis Relatio.



GIT Aristoteles in lib. Prædicamentorum cap. ad aliquid, & lib. 5. Metaphysic. c. 15. promissuè de Relationibus prædicamentibus, & transcendentalibus, de quibus ut distinctè procedam distinctas constituo Controuersias, hæc Relationem prædicamentalem amplectitur, & proximà ventura transcendentalem.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit Relatio.

Aristoteles cap. ad aliquid duplicem adducit Relationis definitionem. Prima est ad aliquid verè talia dicuntur, quæcumque hæc ipsa quæ sunt aliorum esse dicuntur vel quomodolibet aliter ad alterum. Secundò relatiua definit: Secundò aliquid sunt quibus hoc ipsum est esse, ad aliud quodammodo se habere. Post primam definitionem assignauit statim tantum obiecta sub illa contenta habitum, dispositionem, sensum, scientiam, & positionem, quæ ad diuersa attinent prædicamenta, ex quo nonnulli inferunt tacitè hanc definitionem impugnasse Aristotelem ob reuerentiam sui Magistri, qui illam tradiderat, quod præstitit dum plura, quæ relatiua prædicamentalia non sunt, de quibus agitur in hoc prædicamento, probauit sub illa contineri. Neque ex alio capite adeò vastam definitionem esse affirmant, nisi quia tantum exposcit entitates quomodolibet se habere ad aliud, & non speciali, & certo quodam modo, patet enim latissimè verbum illud quomodolibet, & ita relatiua prædicamentalia, & transcendentalia, quæ ad hoc prædicamentum non attinent, valet amplecti: hanc prioris definitionis latitudinem cinxisse putant posteriori definitione per verbum quodammodo quando dixit quibus hoc ipsum est esse ad aliud quodammodo se habere: ac si diceret, certo, fixo, ac speciali quodam modo. Res leuis momenti leuiori dicta fundamento, quia Aristotèl. dum multa relatiua transcendentalia sub priori definitione comprehensa assignauit, non de verbo quomodolibet curauit, potius illud omisit, cum rationem reddit propter quam illa relatiua sub illa definitione comprehendebantur, subdit enim Philosophus: *Habitus enim alicuius habitus esse dicitur, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio, & alia quoque similiter.* En Philosophus inter relatiua scientiam, & habitum annumerat, non quia quomodolibet aliorum esse dicuntur, sed quia aliorum esse dicuntur, nulla facta mentione verbi quomodolibet. Quod si dicas dici esse aliorum, & non speciali modo esse idem ac quomodolibet dici, verum erit, verum tamen non rectè vitium definitionis exprimeret Philosophus, neque rationem explicasset, propter quam adeo latè pateret definitio omisso verbo quomodolibet, si illud

illud esset, non speciali modo aliorum dici relatiua, male enim viciu definitionis, quod in illa expressè esset appositum, confusè, & implicite omisso verbo *quomolibet*, significaretur ab Arist. cum illud impugnare intendebat.

2 Alij apud P. Soar. disp. 57. sect. 5. afferunt definitiones illas differre ratione illius particulæ dicuntur: omnia enim relata transcendentaliter, quæ Aristoteles suprà annumerat, eodem modo ac relatiua prædicamentalia, non tamen prædicamentalia sunt relatiua. Pulchre hanc mentem modus loquendi illorum, quæ relatiua transcendentalia appellant relatiua secundum dici, id enim iure optimo relatiuum secundum dici appellatur, quod non ita, ac est relatiuum dicitur. Verumtamen, neque hæc differentia firmas radices habet, sepe enim iuxta Arist. phrasim idem dici, ac esse, sic qualiteram definiunt, *qua quales quidam dicuntur*, ubi quale dici, ac esse quale pro eodem vsurpauit, & ideo teste Soar supra, multi sentiunt non multum curandum esse de harum definitionum distinctione. In his est Simplicius, qui in fine huius prædicamenti existimauit Aristotelem male intellexisse priorem definitionem traditam à Platone, à qua in re non differt illa, quam ille substituit, sed tantum in modo loquendi, quia à propria natura, & modo essendi ipsius rei sumitur modus dicendi, & denominandi, & ideo idem in re significatur per hoc, quod est aliorum dici, & aliorum esse. Vnum in re certum est priorem definitionem traditam fuisse à Platone, & tempore Aristot. vulgò circumferri, quæ iuxta mentem Aristotelis bona non erat, vt notat Porphyrius interrogat. 2. Alb. c. 3. Boët. & Ammonius & plures alij, ideoque attulit Aristoteles varia exempla, quæ ab alijs admittebantur inter relatiua, vt clarior constaret prædictam definitionem non esse bonam, siquidem certum erat exempla adducta in relatiuis prædicamentibus iure non numerari. Habemus ex his probabiliter satis posse dici duas has definitiones non differre in resed tantum in medio, ex eo, quod definitio Aristotelis vt tenet Simplicius tradatur per causam, & definitio Platonis per effectum, esse enim aliorum causa est, vt aliorum esse dicantur, & cum Aristoteles definierit per esse aliorum, & Plato per dici aliorum, sit Aristot. per causam, & Platonem per effectum eadem relatiua definiisse, in quo tantum differunt definitiones. Habemus etiam ex peritis. Arist. interpretibus definitiones has differre, ex eo quod Platonica importet dici aliorum, & Aristotelica, non tantum dici aliorum, sed esse aliorum, in quo tota differentia definitionum, siue vtraque in re eadem sit definitio, siue vna rectè explicet, & altera nimis laxè, & male relatiua circumferat, & verba aliquomodo, & quomolibet non diuersas definitiones reddere. Est facile posset defendi has definitiones in re non differre, vt iam vidimus, nihilominus improbanda est prior definitio, quam Aristoteles impugnauit, & approbata posterior, quam Philosophus nobis tradidit, videlicet *ad aliquid sunt, quorum ipsum est ad aliud quodammodo se habere*. Ex qua definitione communis Philosophorum sententia hanc deprompsit: *relatiua sunt, quorum totum suum esse est ad aliud*. Reiciit prior definitio, quia licet frequenter pro eodem vsurpetur esse aliorum, & aliorum dici, nihilominus ex se latius patet dici aliorum, quam esse aliorum, quia non raro aliorum esse dicuntur, quæ in re aliorum non sunt, ex quo apud multos fundamentum habet illa diuisio relatiuorum, in relatiua secundum esse, & secundum dici. Deinde negari nequit clariùs, & longius ab errandi periculo definiri relatiua per hoc, quod est *esse aliorum* quam per aliorum dici. Iuvat etiam ad hanc posteriorem definitionem propugnandam, & illam impugnandam Philosophi auctoritas, qui nobis posteriorem definitionem tradidit, & priorem reiecit.

3 Mentem Aristotelis non fuisse tradere definitionem communem relatiuis transcendentalibus, & prædicamentibus, citra omnem controversiam est, ideo enim reiecit priorem definitionem, quia relatiuis transcendentalibus cōpetebat, & in præfati opus Philosophi erat definire illa, quæ ad hoc prædicamentum quod ad aliquid vocauit, pertinebant, & non illa, quæ per diuersa vagantur prædicamentalia, ideo dixit *ad aliquid sunt*: relatiua verò transcendentalia per omnia prædicamenta esse diuisa compertum est. Ex his non leuis mihi accrescit difficultas, cur relatiua transcendentalia sub hac definitione non comprehendantur, quia verè aliorum sunt, scientia enim non solum dicitur, sed verè est scientia obiecti, & vno propriissimè est extremorum vnio, & actio terminum: ergo esse relatiuorum

transcendentalium est ad aliud, seu aliorum esse: ergo comprehenduntur hac definitione. Censent aliqui relatiua transcendentalia secerare ab hac definitione per totum Aristotel. definiens relatiua, *quorum totum suum esse est ad aliud*, quia relatiua transcendentalia, etsi habeant suum esse ad aliud, non illud totum habeat ad aliud, quia nem substantiæ, vel qualitatis, seu quantitatis, quæ rationes ad aliud non sunt, sed absolute significantur, & ita non totum suum esse est ad aliud. Non placet hæc explicatio, quia etsi in his relatiuis reperitur ratio aliqua, quæ possit absolute significari, etiam in relatione prædicamentali reperitur ratio entis, quæ significatur absolute: quod si dicas hanc esse rationem nimis vniuersalem, quæ non speciale prædicamentum constituit, obiciam totam rationem specialem prædicamenti actionis esse respectum ad terminum, actio enim eo ipso, quod actio fit, est actio alicuius, & ita poterit dici habere totum suum esse ad aliud, seu totum esse actionis esse alicuius, termini videlicet, cuius est actio. Censeo hanc definitionem restringendam esse ad relata prædicamentalia ex differentia, quam postea assignabo inter relationes prædicamentales, & transcendentes, ita vt relata prædicamentalia sint tota ad alia, seu aliorum, hoc est, purè ad alia, ita vt terminum, vt præterea respiciant, quod importat verbum illud *totum* in definitione, quæ vulgò circumfertur expressum, & vniuersaliter contentum in illa particula *quorum suum esse* in definitione Arist. postea, illud enim *suum* indicat nihil aliud in esse relatiuis, de quibus agitur, quæ respiciere terminum, & non illis alia specialè denominationem tribuere, quod est terminum vt purè terminum respicere, vt latius explicabo Contr. 10. Punct. 1. Itaque definiti possunt relatiua prout abstrahunt à relatiuis prædicamentibus, & transcendentalibus. *Quæ id quod sunt aliorum esse dicuntur*, seu, *quorum esse est ad aliud*, omnia enim relatiua, siue transcendentalia, siue prædicamentalia ad aliud sunt, nulla enim potest concipi relatio, quæ respectu alicuius, seu ad aliquem terminum non sit. Definientur autem relatiua prædicamentalia: *quorum totum suum esse est ad aliud*, quæ definitio desumitur ex illa, quam tradidit Aristoteles: *quibus hoc ipsum esse est ad aliud quod quodammodo se habere*; multoque clariùs definiatur: *quorum suum esse est ad aliud tanquam ad primum terminum*: relatiua verò transcendentalia definiuntur, *quorum suum esse est ad aliud, & non vt primum terminum*. Quid sit autè esse purum terminum explicandum promisi Contr. 10. Punct. 1.

Conceptum relationis realem esse, & non ficticiu inter Doctores classicos citra controuersiam est, quibus tantum aduersatur insigne Pythagoræ delirium, quod relet Ammonius in hoc prædicamento, qui dicebat res omnes relatiuas esse, seu *ad aliquid*, quia nulli rei ex se determinata inerat naturalis, sed à nobis cuiusque hanc vel illam tribui, qui rem ita, vel aliter apprehendimus, atque ideo id omne, & non aliud verum esse, quod verum apparet, quia in rebus nulla inest veritas aut ceterudo. Referuntur aliqui ex vetustissimis, qui sentiebant relationes omnes creatas esse entia rationis, verumtamen hi tantum tenebant relationes prædicamentales creatas non esse accidentia physicè fundamento inherencia, seu accidentia producta speciali actione distincta ab illis, ex vi quarum fundamentum, & terminus producantur, quia existimabant esse simile, vel æquale, & alias huiusmodi relationes tantum esse denominationes quasdam extrinsecas, quorum sententiam vt veriore amplectar. Hanc fuisse illorum mentem doctè tradit Vallius in Prædic. ad aliquid q. 1. c. 2. n. 1. iuxta quorum sententiam sano sensu posset dici Relationes esse entia rationis, quia denominationes omnes extrinsecas multi entia rationis appellant. Tegendum est conceptu relationis esse realem, siue sit accidens intrinsecè inherens, siue extrinsecè denominatio desumpta à fundamento, & termino, de quo postea Ratio esto: nullo intellectu cognita conuenit Petro, qui Ioannē genuit esse Patrē Ioannis, & Ioanni genito à Petro esse filium Petri: ergo hoc, quod est esse Patrem est quid independens ab intellectu: ergo patetnitas ex vi cuius denominatur Pater Petrus, qui genit est independens ab intellectu: ergo est ens reale. Simile argumentum efficitur de similitudine inter duo alba, & æqualitate inter duas quantitates vlnares, & aliis huiusmodi relationibus. Deniq; in diuinis fide sanctū est dari relationes reales paternitatē, filiationem, spirationem actiui,

& spirationem passiuam, vt docent Theologi omnes i. p. q. 28. art. 1. & 2. ergo cum conceptu relationis increatae, neque abstrahentis à creatura, & increata non est oppositio cum ratione positiua entis realis, quia si de conceptu relationis abstrahentis à creatura, & increata esset hæc oppositio, non posset ratio illa communis contrahi per differentiam increatae ad rationem positiuam realem, quia nulla differentia contractiua potest determinare genus ad rationem oppositam illi, quam includit secundum rationem generis præcisam. Sed ratione specialis differentie creature, nullam habet oppositionem relatio creata cum ratione positiua realis: ergo datur relatio creata, quæ sit ens reale: ergo potest hoc speciale prædicamentum constitui ex relationibus realibus. Nonnihil ab his, quæ certa sunt recessere Caietanus & Canar. i. p. q. 28. art. 2. asserentes relationes secundum esse ad neque esse ens reale, neque rationis, sed præcindere, quia secundum esse ad non est ratio respiciendi fundamentum, sed terminum, hæc autem præcindit ab ente reali, & rationis. Reiciunt passim omnes Doctores hunc dicendi modum, quia ratio ad non potest præcindi à ratione in, quia quod est ad aliud necesse est concipi alicuius ad aliud, quod est concipi in aliquo ad aliud. Secundò etiam si ratio ad præcinderet ab ente reali, & rationis, ratio ad prædicamentalis non præcinderet, quia relationes prædicamentales sunt reales, & debent habere vltimum constitutum reale, quod est ratio ad. Vltimò, quia nihil datur commune enti reali, & rationis, neque ab utroque præcisum. Quod autem duntur plures relationes rationis nemo negat, neque ideo dicendum est conceptum relationis non esse realem, quia eo ipso, quod duntur relationes reales, & relationes rationis, absolute nomine relationis, relatio realis debet intelligi, semper enim in analogis nomen absolute prolatur stat pro famosiori, sic quando dicimus hominem, non hominem pictum, sed viuum intelligimus.

PUNCTUM II.

Diuisiones Relationum.

Primò diuiditur relatio in relationem realem, & relationem rationis. Relatio realis est illa, quæ habet aliud esse præter esse obiectum in intellectu; Relatio rationis est illa, quæ tantum habet esse obiecti in intellectu. Sic relationes reales, & rationis definitio propter aliquos qui relationes omnes, quæ fundantur in cognitione effectiue ab intellectu procedente, vel in aliqua sensatione, seu intentionali operatione, relationes rationis immerito appellant, quia sicuti cognitiones etiam ab intellectu efficienter dependeant, non dicuntur entia rationis; sed realia, quia aliud habent esse præter hoc, quod est cognosci, seu esse obiecti in intellectu, sic huiusmodi relationes fundantur in operationibus efficienter ab intellectu, seu ab alia potentia sensitiua seu rationali dependentibus non relationes rationis, sed reales dici debent.

Secundò diuiditur relatio in relationem intrinsecam & extrinsecam. Relationem intrinsecam appellant, qui specialia accidentia distincta à fundamento, & termino pro relationibus constituunt, illam quæ intrinsecè inhæret. & informat subiectum, quod relatiuum constituit, sicuti relatio similitudinis, aut paternitatis. Relationem extrinsecam iidem appellant, quæ non importat accidens physicè & intrinsecè inhærens fundamentum: sed tantum extrinsecè, sicuti relatio domini, aut serui. Qui tenent relationes prædicamentales non esse speciale accidens distinctum à fundamento, & termino difficile possunt relationem intrinsecam assignare, quia omnis relatio includit aliquid intrinsecum subiecto relatio, fundamentum videlicet ab ipso indistinctum, & aliquid extrinsecum, nempe terminum, qui à subiecto distinguitur, & in ratione termini, nulla ratione debet intrinsecè fundamentum afficere. Nihilominus adhuc in hac sententia potest distingui duplex relatio prædicamentalis, quædam cuius ratio fundandi à termino distincta intrinsecè est fundamentum, sicuti in relatione similitudinis ratio fundandi, quæ distinguitur à termino intrinsecè est subiecto relatio, & hæc dici potest intrinsecè relatio. Alia est relatio cuius ratio fundandi adhuc à termino distincta extrinsecè est fundamentum, sicuti in relatione paternitatis ratio fundandi est actio generatiua distincta realiter à termino, & extrinsecè subiecto relatio relatione paternitatis.

Tertiò diuiditur relatio in relationem mutuum, & non mutuum. Relatio mutua est illa, cuius terminus iterum illius fundamentum tanquam terminum respicit eadem, aliāve distincta relatione, sicuti relatio inter duo alba, quorum vtrumque relatione similitudinis ad alterum refertur, & inter Patrem, & Filium. Relatio non mutua est illa, cuius terminus nulla relatione ferit fundamentum, sed tantum adducitur inter Creatorem, & creaturam, quia ista refertur ad Creatorem, & Creator ad creaturam non refertur. Exemplum rem modò explicet, illius verò veritatem postea discutiam.

Quartò, Relatio mutua subdiuiditur in relationem equiparantiam, & disquiparantiam. Relatio equiparantia dicitur, quando vtrumque extremum eodem modo constituitur relatum, sicuti duo alba, quorum vtrumque simile dicitur. Relatio disquiparantia est quando diuerso modo referuntur extrema, in quibus est mutua relatio, sicuti substantia generans, & substantia genita, quarum hæc filiatione refertur, & illa paternitate.

Quintò, Relatio diuiditur in relationem secundum esse, & secundum dici. Sentiant multi relationem secundum dici, coincidere cum relatione rationis, quia illa dicimus, quæ cognoscimus, & ita idem est relatio secundum dici, ac secundum cognosci, relatio autem secundum cognosci erit, quæ nullum aliud habet esse præter cognosci. Hæc congruè dicta sunt, nihilominus communis sententia aliter relationem secundum dici explicat. Sentiant multi relationem secundum dici esse relationem transcendentalem, & relationem secundum esse, esse relationem prædicamentalem, sed plures alij reuocant rem ita componi, quia relatio transcendentalis non tantum dicitur relatio, sed propriè, & strictè relatio est. Non multum premit ratio, quia relatio transcendentalis, quæ verè est relatio transcendentalis, quatenus eodem modo significatur, ac prædicamentalis poterit appellari, prædicamentalis secundum dici. Alij relationem secundum esse appellant illam, ex vi cuius fundamentum verè est relatum, & relationem secundum dici eam, ex vi cuius fundamentum non est relatum, sed apprehenditur per ordinem ad aliud, seu instat aliud rei distinctæ ab ipso. Sic Angelum, quatenus instat iuuenis apprehenditur, relatum appellamus secundum dici, non quia ex vi huius apprehensionis relationem aliquam fingamus tenentem se ex parte obiecti directi, neque Angelum relatum esse apprehendamus, hoc enim esset relationem rationis effingere; sed quia Angelum ex modo concipiendi apprehendimus, ac si esset relatiuus, quæ relatio tota consistit in nostra cognitione, & nimis est fundamento extrinsecè, differtque à relatione rationis, quia relatio rationis est obiectum cognitionis ex vi cuius fit, & non formaliter in ipsa cognitione consistit, relatio autem secundum dici non se tenet ex parte obiecti cogniti; sed est formaliter ipsa cognitio, quæ obiectum cognitum extrinsecè relatum denominat. Sic relationem secundum dici explicat P. Soar. disp. 4. sect. 3. n. 8. & alij quam plures. Ego in hac re nihil inuenio definiendum, quæstio enim est, quid auctores intelligant nomine relationis secundum dici, quia certum est relationem quocumque modo ex supra dictis potuisse non sine aliquo fundamento appellari secundum dici. In quæstione de mente authorum, illorum scripta consulenda sunt, apud quæ varias reperio sententias, neque aliquam inuenio cui stare teneamur. Arist. enim cui in hac materia subscribendum erat nullibi suam nobis mentem aperuit, quapropter liberum cuique erit sic, vel aliter relationem secundum dici explicare, cum quilibet dicendi modus Doctores non paucos pro se habeat.

Sextò, Scotus diuisit relationem in relationem extrinsecus aduenientem, & relationem intrinsecus aduenientem. Relatio intrinsecus adueniens est illa, quæ posito fundamento, & termino illico necessariò confurgit, talis est relatio similitudinis, & hæc relatio intrinsecus adueniens prædicamentum ad aliquid constituit iuxta Scoti mentem. Relatio extrinsecus adueniens est illa, quæ posito fundamento, & termino non necessariò confurgit, sed quidquam aliud desiderat vt pullulet, talis est actio, quæ non eo ipso, quod sit principium effectiui, & passiuum, necessariò affurgit, sed necessaria est applicatio inter vtrumque, & hæc relatio extrinsecus adueniens non hoc speciale prædicamentum constituit, sed ad sex vltima prædicamenta attinet. Diuisionem hanc solidè impugnatur P. Soar. disp. 48. Metaphysic.

phyfic. sect. i. vnum, vel alterum argumentum in illam attingam. In primis, vt bene notat Soar. malè has relationes, quas extrinsecus aduenientes appellat Scotus ad sex vltimi prædicamenta reducit, quia vno inter materiã, & formã substantiã non ad aliquid ex sex vltimis prædicamentis, sed ad prædicamentũ substantiã pertinet, & eodẽ iure dicenda est relatio extrinsecus adueniens, quo secundũ sententiã Scoti actio dicitur relatio extrinsecus adueniens, sicut enim posito principio actiuo, & passiuo expectanda est actio, sic posita materiã, & forma expectanda est vno: ergo neutra necessariò resultat ex fundamento, & termino secundũ sententiã Scoti: ergo vtraque est extrinsecus adueniens. Secundò impugnatur eadem diuisio: Præsentia, & duratio necessariò confluntur posito fundamento, quia implicat dari entitatem in rerum natura non respondentem tempori imaginario, seu reali actũ, vel potentia existentem, quomodo cumque duratione connotetur, & saltem naturaliter, in multorumque sententiã, etiã supernaturaliter nequit existere creatum sine præsentia, ex vi cuius cõstituitur in spatio determinato: ergo si duratio, & præsentia sunt relationes, non dicendæ sunt extrinsecus aduenientes secundũ Scoti sententiã, sed extrinsecus aduenientes, si quidem necessariò resultant ex fundamento, & illa dicenda est relatio intrinsecus adueniens, quæ posito fundamento necessariò resultat. Tertio contra eandem sententiã sic arguo: Relatio intrinsecus adueniens, vel oritur necessariò ex fundamento, & termino, & seclusa ratione fundandi, vel ex fundamento, & termino ratione fundandi posita. Primum dici nequit, quia posito Petro, & Ioanne, qui sunt fundamentum, & terminus relationis paternitatis, non oritur talis relatio quovisq; intercedat actio generatiua. Secundum commune est omnibus relationibus, nulla enim est, quæ posito fundamento, termino, & ratione fundandi, necessariò non oriatur: ergo ex hoc capite non rectè diuidit Scotus relationem in relationem quandam intrinsecus aduenientem, & aliam aduenientem extrinsecus. Commune esse omnibus relationibus oriri necessariò posito fundamento, termino, & ratione fundandi, & nullam sine his omnibus assurgere probat exemplum iam datum, quia sicut ex duobus hominibus non resultat necessariò relatio paternitatis, quovisq; intercedat generatio, sic ex duobus ignibus non resultat relatio causæ, & effectus, quovisq; intercedat actio, quia hic ab illo procedat, & hac interueniente non potest non oriri. Ratio à priori est, quia sicut in viuientibus generatio est ratio formalis fundandi relationem paternitatis, & filiationis inter vtrumque viuens, sic in non viuientibus actio, quæ vnum ab alio procedit, est ratio formalis fundandi relationem, ex vi cuius producens refertur relatione causæ, & productum relatione effectus. Vltimò inquiri, cui sit extrinsecus adueniens relatio actionis, an principio effectiuo, an ipsi subiecto: si principio effectiuo quod est relationis subiectum, etiam relatio similitudinis extrinsecus est parietis, & etiam albedini, quia posito pariete cum albedine inherente adhuc dependet relationis ortus ab aliquo extrinsecus, videlicet ab alio albo, quod sit terminus relationis. Si dicat Scotus relationem esse extrinsecus aduenientem ipsi actioni, efficitur in illum arguitur, qui actio per se ipsam refertur ad terminum, ad quem non potest non referri, & in hoc sensu potius relationes prædicamentales dicendæ essent extrinsecus aduenientes. Docet P. Soar. n. 5. non esse multum cum Scoto contendendum si per relationes extrinsecus aduenientes intelligat relationes transcendentales, sicut ab hoc loquendi modo cauendum sit. P. Arriaga ait disp. 12. sect. 2. n. 7. sustineri posse Scoti diuisionem, si per relationes intrinsecus aduenientes explicaret illas, quæ adæquatè sunt essentielles fundamento, quas transcendentales vocamus, & per relationes extrinsecus aduenientes illas, quæ fundamento essentielles non sunt. Sed quam longè absit ab vtraque explicatione Scoti mens, rectè infertur ex eo, quod in oppositas sententiã ab authoribus trahatur.

7 Celebris est alia diuisio relationis in relationem prædicamentalem, & transcendentalem, de qua latè dicã Contr. ro. punct. i. vbi postquam naturam relationis prædicamentalis explicuero, illam à relatione transcendentali diuidã.

8 Vltimò relationes prædicamentales in tria genera Aristoteles partitus est. Primum genus relationis prædicamentalis fundatur in vnitate, quæ vnitas non est talis formaliter, neque realiter, neque per rationem, sed tantũ fundamentaliter, sicuti intercedit inter principia operatio-

num similis: nullo enim intellectu cogitante inter Petrum, & Ioannem nulla intercedit vnitas formalis, neque realis, neque rationis, sed tantum fundamentalis, ratione cuius fundamentalis vnitas potest esse in substantiis, quæ sunt principium similium operationum, & fundat relationem identitatis, talis est, quæ intercedit inter Petrum, & Ioannem eisdem speciei, qualis est inter duo subiecta habentia albedinem, & hanc vnitatem sequitur relatio similitudinis. Tertio potest esse hæc vnitas secundum mensuram extensionis quantitatis, & ex hac vnitate assurgit relatio æqualitatis. Vnde ex Arist. ea, quorum relatio assurgit relatio æqualitatis relationem habent, illa verò quorum qualitas est vnitas habent relationem similitudinis. Vltimò illa, quorum quantitas est vna secundum mensuram extensionis æqualitatis relatione gaudent. Sub eodem genere collocantur relationes his oppositæ videlicet relatio diuersitatis in his, quæ natura differunt vt homo, & leo, relatio diuersitatis in his, quæ quæ qualitate differunt, sicut album, & nigrum, & relatio inæqualitatis in his, quæ differunt in mensura extensionis quantitatis, sicut palmus, & vlna.

Secundum genus relationis ab Arist. assignatum, fundatur in actione, vt relatio causæ ad effectum, & effectus ad causam, Patris ad Filium, & Filij ad Patrem, ignis producentis ad ignem productum. His adiunxit Arist. alias relationes, quæ verè relationes non sunt, neque in vera actione fundantur, sed quasi in actione vt relatio domini ad seruum, magistri ad discipulum.

Tertium genus ab Arist. assignatum relationes non mutuas continet, sub his constituit Arist. relationem mensuræ ad mensurabile, scientiæ ad obiectum, visus ad visibile, in quibus actus sciendi, & videndi relationem dicunt ad propria obiecta, hæc verò minimè ad hos actus referuntur, quia color, & cuiuscumque obiecto, quod cognoscitur nimis extrinsecus est videri, & cognosci. Annumerat hoc genus relationis Philosophus inter relationes prædicamentales, quia de illo, & de aliis promiscuè egit, & passim relationes prædicamentales, & transcendentales permiscuit, non quia relationes in hoc genere contentæ prædicamentales sint, ostendam enim Punct. 6. n. 2. inter transcendentales annumerandas esse.

PUNCTUM III.

De fundamento, termino, & ratione fundandi.

1 IN omni relatione reperiuntur fundamentum, terminus, & ratio fundandi. Fundamentum dicitur illud, quod relatum denominatur, & dicitur respiciens aliud terminus appellatur illud, quod respicitur, seu in quod relatio tendit. Ratio fundandi est illud, ratione cuius immediatè fundamentum relationem sortitur, vt illud quod vltimò requiritur ex parte fundamenti, vt relationem subeat. Fundamentum, & terminum necessariò esse distinguenda, non solum per rationem, sed etiam realiter, omnium consensu stabilitum est de distinctione rationis fundandi à fundamento nonnulla potest esse dubitandi ratio.

In relationibus primi generis fert communis sententiã non distinguere rationem fundandi à fundamento, quia absque illa ratione fundandi distincta duæ substantiæ subiectæ relationem identitatis, & duæ albedines relationem similitudinis, & duæ quantitates relationem æqualitatis, ita P. Soar. disp. 47. sect. 7. ad finem. In relationibus secundi generis dari rationem fundandi distinctam à fundamento sentiunt omnes, qui actionem à principio effectiuo distinguunt, quia in huiusmodi relationibus ratio fundandi est actio, & principium actiuum est fundamentum. In relationibus tertij generis nulla est difficultas, quia huiusmodi relationes, non solum secundum fundandi rationem, sed etiam secundum se ipsas adæquatè identificantur cum fundamento, & relationes prædicamentales non sunt, sed transcendentales.

2 Circa relationes secundi, & tertij generis, & secundum relationes primi generis, quæ fundantur in vnitate substantiæ, seu essentia assentior cõmuni sententiæ, quæ supra circa hanc rem modò exposui. Circa relationes, quæ fundantur in vnitate qualitatis, & in vnitate quantitatis, seu circa relationes similitudinis, & æqualitatis mihi difficile est nõ esse philosophandum eodem modo, sic de relationibus secundi

secundi generis, existimo enim in his etiam reperiri rationem fundandi à fundamento distinctam, quod sic suadeo. Dux albedines immediatè inter se referuntur relatione identitatis, sicuti referuntur Petrus, & Ioannes, quia sicuti Petrus, & Ioannes specie conveniunt, sic conveniunt dux albedines, quibus competit unitas specificè fundamentalis, quæ est fundamentum relationis identitatis. Quod si Arist. dixit relationem identitatis fundari in substantia, nomine substantiæ non substantiam specialiter pertinentem ad primum prædicamentum intellexit; sed essentiam cuiuscumque rei, in quo sensu substantiam desumpsit, cum definiuit vnica in verbis illis: *Ratio verò substantiæ omnino eadem*, quæ vertunt omnes *ratio verò essentia omnino eadem*. Referuntur ergo relatione similitudinis illa, quibus inhæret qualitates eiusdem speciei, quod Arist. tradidit dum dixit *similia sunt, quorum qualitas est una*; ergo non qualitates ipsæ inter se, sed illarum subiecta ratione qualitatum similia dicuntur: ergo in his, quæ similia sunt, possumus distinguere subiectum qualitatis, quod simile denominatur, & est fundamentum relationis, & qualitatem subiecto inhærentem, quæ est ratio fundandi relationem; & sicuti substantia, quæ genuit est fundamentum relationis paternitatis, & actio generatiua ratio fundandi talem relationem, sic subiectum, quod est album erit fundamentum relationis similitudinis, & albedo, ut eidem subiecto inhærens erit ratio fundandi hanc relationem, quia posita albedine in subiecto, quod simile denominatur, & in termino sita confurgit relatio similitudinis inter vtrumque, sicuti posita actione generatiua statim confurgit relatio paternitatis, & filiationis inter animal, quod genuit, & animal, quod fuit genitum. Eadem ratione de quantitate iudico: dux quantitates immediatè, & per se non fundant relationem æqualitatis, sed identitatis specificæ, quia seclusa extensione superaddita quantitatibus nulla est æqualitas, aut inæqualitas, & independentes ab omni extensione dux quantitates, etsi una sit digitalis, & alia vlnaris referuntur relatione identitatis, quia habent unitatem specificam fundamentalem. Referuntur ergo quantitates relatione æqualitatis, & inæqualitatis quatenus subiacent extensioni, ratione cuius confurgit relatio æqualitatis, & inæqualitatis, quia ex maiori, minorve extensione, æqualitatem, & inæqualitatem colligimus, non præcisè ex quantitatibus nudis, quia dux quantitates ad indivisibile redactæ inæquales dici nequeunt, etiam si una contineret totam quantitatem, quam mons ingens includit, & alia tantum vnus formicæ quantitatem, quia ex quantitatibus commensuratis inter se, quarum nulla excedit aliam, cum inæqualitas ex excessu quantitatis secundum commensurationem desumatur, non possunt quantitates inter se commensurari seclusa extensione, seu præsentia, si ab illa non distinguitur, & in communi sententia, quæ rarefactionem, & condensationem sine intro-missione corpusculorum admittit sine accretione novæ quantitatis, dux quantitates, quæ modo sunt æquales, possunt fieri inæquales sine aduentu alicuius partis quantitatis, ex eo præcisè quod una permaneat cum eadem extensione, & altera maiorem, seu minorem extensionem ex vi rarefactionis, seu condensationis acquirat. Secundum hanc doctrinam ratio fundandi relationem æqualitatis, & inæqualitatis erit extensio quantitatum, quæ æquales dicuntur, & quantitas secundum se erit fundamentum relationis, quæ æqualis dicitur, & altera quantitas cui hæc est æqualis, terminus erit huius relationis. Hanc relationem æqualitatis, & inæqualitatis existimo communem esse omnibus entitatibus extensis, non solum mediatè quatenus subiacent quantitatibus æqualibus; sed quatenus subiaceret propriis extensionibus, si enim daretur duplex corpus vtrumque vlnare quocumque quantitate seclusa esset æquale, dum illa retine-ret extensionem, quia tamen nulla entitas ratione suis sed tantum ratione quantitatis exigit extensionem, quantitati tantum tribuitur ratio æqualitatis, & inæqualitatis; non verò aliis entitatibus, etsi in se omnia entia, quæ habent extensionem propriam, & strictè æqualia, & inæqualia dici possent.

Supere est sciendum an extensiones ipsæ inter se referantur tantum relatione identitatis, an etiam relatione æqualitatis, & inæqualitatis. Respondeo extensiones duplicis quantitatis secundum se sumptas referri relatione identitatis, quia ratione referri non possunt relationes æqualitatis, aut inæqualitatis, quia per ablationem, seu additionem partium vnus extensio variatur necessarîo relatio æqualitatis, & inæqualitatis, si in extensionibus reperitur & non varia-

tur relatio identitatis. extensio enim vlnaris æquæ refertur relatione identitatis ad extensionem semiulnarem, & ad vlnarem, & biulnarem, cum omnes sint eiusdem speciei, & non potest relatione eiusdem rationis, æqualitatis videlicet, seu inæqualitatis ad extensionem vlnarem, & semiulnarem referri; sed necessarîo respiciet extensionem semiulnarem relatione inæqualitatis, & extensionem vlnarem relatione æqualitatis si harum relationum est capax. Censeo parum referre hac vel illa ratione loqui, & in re levis momenti congruè dici ipsas extensiones esse æquales, & inæquales ut quo respectu subiecti, & ut quod respectu ipsarum; sed adhuc in his relationibus æqualitatis, & inæqualitatis, quas inter se habent diverso modo desumitur ratio fundandi, ac sumitur in relationibus identitatis, quæ in ipsis reperuntur, quia relationes identitatis fundantur in unitate essentiali independentes ab unitate integrali, relationes verò æqualitatis, & inæqualitatis immediatè fundantur in unitate integrali ipsarum, seu in unitate integrali spatii, in ordine ad quod dicunt ordinem. A posteriori rem probat doctrina suprà tradita: si ponas duplicem extensionem, vtramque vlnarem, referuntur relatione identitatis, & æqualitatis, si ab altera demas vnus palmi extensionem, permanebit relatio identitatis, & peribit relatio æqualitatis, succedetque relatio inæqualitatis: ergo relatio identitatis sumitur independentes ab unitate integrali, si quidem hac variata permanet illa omnino eadem, & relatio æqualitatis sumitur dependenter ab unitate integrali, si quidem variata unitate integrali, & permanente unitate essentiali variatur relatio æqualitatis, & inæqualitatis.

Dices eadem ratione posse philosophari in qualitatibus, v.g. in duplici albedine, quæ possunt referri inter se non solum relatione identitatis; sed etiam relatione similitudinis; sicuti dux extensiones referuntur relatione identitatis, & relatione æqualitatis. Respondeo similitudinem sumi posse in qualitate, vel in intensione eiusdem qualitatis, duo enim similia dicuntur, quia vtrumque est album, etsi vnum sit album, ut tria, & alterum, ut sex, quæ similitudo sumitur ab unitate essentiali qualitatum independentes ab unitate integrali extensiva, & intensiva earundem qualitatum, & ita respectu harum, neque fundamentum, neque ratio fundandi, neque terminus possunt reperiri, quæ formaliter non sunt idem cum fundamento, & ratione fundandi, & termino relationis identitatis, quia fundamentum, & terminus est vtraque albedo, & ratio fundandi unitas essentialis vtriusque independentes ab unitate integrali, ubi autem fundamentum, terminus, & ratio fundandi sunt omnino idem, relationem eandem omnino esse necesse est, quapropter non potest in duplici albedine reperiri relatio aliqua similitudinis independentes ab unitate integrali qualitatis, sicuti est inter duo subiecta alba vnum ut tria, & aliud ut sex, quia respectu albedinum tantum reperitur ut ratio fundandi relationum unitas essentialis ipsarum, quæ semper fundat relationem identitatis respectu extremorum, quibus est essentialis. Dico respectu extremorum, quibus unitas est essentialis, quia unitas essentialis albedinum fundat relationem identitatis inter ipsas albedines, & similitudinis inter se subiecta albedinum, & unitates essentielles oppositæ inter albedinem, & nigredinem fundant relationem diuersitatis inter has qualitates, dissimilitudinis inter subiectum album, & nigrum. Si similitudo sumatur, non solum inter duo alba, sed etiam inter duo obiecta æquæ alba, talis similitudo desumetur non solum ex unitate essentiali, sed etiam ex unitate integrali qualitatum, & hæc poterit ipsis qualitatibus concedi, sicuti conceditur extensionibus, habebit enim diuersam rationem fundandi, ac habet relatio identitatis, quia hæc tota desumitur ex unitate essentiali, & illa sumetur ex unitate integrali intensiois, quæ similitudo est quasi quædam æqualitas intensiois, & posset dici relatio æqualitatis; nihilominus relatio similitudinis vulgò appellatur, & ratione huius album ut octo, magis simile dicitur alij albo ut octo, quam albo ut duo.

Requiri ad relationem existentiam fundamenti perspicuum est, quia cum fundamentum dicatur relatum, simile, aut dissimile, æquale, & inæquale, & id, quod non existit non possit tale dici, illius existentiam ad relationem requiri per se notum est. Secundò, quia relatio, vel distinguitur adæquatè à fundamento, vel non distinguitur. Si distinguitur, est accidens illi inhærens, quod essentialiter supponit fundamentum tanquam proprium subiectum. Si non distingui-

distinguitur à fundamento necessaria erit fundamenti existentia, ut relatio cum illo identificata existens dicatur.

7 Docuit Gregor. in 1. dist. 38. q. 23. posse dari relationem prædicamentalem ad rem non existentem, sed tantum possibilem. Pro hac sententia non contemnenda ratio à priori peti potest in hunc modum. Terminare actum tantum est denominatio quædam extrinseca deriuata ex habitudine rei, quæ terminatur: ergo hæc denominatio potest cadere in rem actu non existentem præcisè quatenus est ex parte rei non existentis, sicuti denominatio cogniti, & amati cadit in obiecta non existentia, quæ adhuc non existentia terminant cognitionem, & amorem, quibus cognoscuntur, & amantur ut existentia. Rationi à priori suffragatur ratio paritatis desumpta à relatione transcendentali, quæ respicit terminum non existentem, sed tantum possibilem, ex quo argumentum desumitur: entitas non existens potest terminare relationem transcendentalem: ergo & prædicamentalem.

8 Fert omnium Doctorum sententia relationem prædicamentalem essentialiter exigere terminum realem realiter existentem: Ita P. Soar. in Metaph. disp. 47. sect. 8. n. 4. ubi D. Thom. & plures ex vetustis pro hac sententia refert. Conclusio facile suadebitur, si per singulas relationes fiat Discursus. Quomodo enim homo poterit dici Pater hominis, quem non genuit, sed quem potest gignere: & quomodo paries albus similis erit parieti non albo, seu non existenti, quia possibile est talem parietem album existere, & quomodo mons æqualis erit lapillo, quia potest in montem magnum excrecere: Hæc omnia nature lumini dissona valde sunt. Secundo hæc omnes relationes sunt mutue: ergo si Petrus est Pater Ioannis non existentis, Ioannes ipse non existens erit filius ipsius Petri: & si paries ille similis est parieti non existenti, paries non existens similis erit huic parieti, quod est absurdum, id enim quod non est, neque potest esse simile, neque dissimile, neque pater, aut filius, quia hæc omnia prædicata supponunt existentiam subiecti cui contingunt. Probat Hurtad. disp. 15. Metaph. sect. 6. prædictam conclusionem: relatio prædicamentalis est ad aliud: ergo debet esse ad aliud reale existens, id enim, quod non est reale existens, propriè non est aliud. Ratio hæc, ut bene vidit P. Soar. supra inefficax est, communis enim est pro relatione prædicamentali, & transcendentali, & certum est relationem transcendentalem referri ad terminum actu non existentem. Respondet Hurtad. supra §. 61. relationem transcendentalem, non propriè in rigore esse ad aliud, sed tantum translatiue, quia habet conceptum, qui non potest esse ad se. Similiter asserit ens rationis non esse terminum propriè, sed tantum obiectum extrinsecum in quod tendit relatio transcendentalis identificata cum actu intentionali. Non consentio Hurtado, quia relatio transcendentalis propriè, & longè propriè quàm prædicamentalis est relatio: ergo propriè habet terminum. Si dicas relationem transcendentalem propriè esse relationem, & tamen non habere propriè terminum: sed tantum translatiue, dicam ego relationem prædicamentalem esse propriè ad aliud, quod est esse propriè relationem, & illud aliud propriè non esse terminum, si enim semel admittitur relatio transcendentalis propriè esse relationem, & tamen non habere terminum, qui propriè sit terminus, cur non poterit dici relationem prædicamentalem propriè esse relationem, & tamen non habere terminum, qui propriè sit terminus?

9 P. Soar. supra num 7. asserit inferri terminum relationis transcendentalis debere realiter existere ex natura ipsius relationis, quam ipse putat non distinguere à fundamento, & tunc tantum illud denominare relatum quando existit terminus, & non habere alium producendi modum, neque alià ratione constituere hoc speciale prædicamentum, & posse dici accidens, nisi quia connotat termini existentiam. Vrget eandem rationem: relatio non est aliud, quàm ipsum fundamentum ut dans denominationem relatiuam: ergo non potest illam dare nisi coexistente termino, quia omnis alià denominatio quæ termino non existere subiecto accedit, est absoluta, vel ad summum transcendentaliter tantum respectiua. Modum hunc constituendi relationem latè impugnabo Punct. sequenti, & contra illum inferam fundamentum identificatum cum relatione actu esse referendū termino non existenti: quapropter neque rationi Patris Soar. fidendum est.

10 Optima desumitur ratio ex doctrina tradenda Punct. sequenti de natura, & constitutiuo relationis prædicamentalis, quam dicam identificari cum fundamento, & termino.

Ex quo inferitur termino non existente non posse relationem existere, quia deficiente termino deficit aliquid essentialiter requisitum ad constitutiuum relationis. Hanc rationem reddit Hurtad. supra qui eandem amplectitur opinionem de constitutiuo relationis, ex qua optimum redditur discernere, ratione cuius relatio transcendentalis possit existere termino non existente, & prædicamentalis non ita, quia transcendentalis adæquatè distinguitur à fundamento, & ita potest sine illo subsistere. Ex eadem doctrina similiter responderetur ad argumentum supra factum, quod intendebatur ad terminandum non requiri existentiam illius, quod terminat, quia etiam si concedatur præcisè ad terminandum non requiri existentiam termini, cum terminus relationis non tantum sit terminus, sed etiam constitutiuum relationis, necessario requiritur existentia termini, ut relatio constituta intelligatur.

Ratio fundandi relationem duplex est, quædam per modum actus, seu actionis, quæ ex se est transiens, huiusmodi est ratio fundandi secundum genus relationis, quædam per modum habitus, quæ ex se est durans, & perseverans, huiusmodi est ratio fundandi relationes primi generis, extensio enim, quæ est ratio fundandi æqualitatem, & qualitatem, quæ est ratio fundandi similitudinem ex se sunt entitates, quæ diu perseverant, & quiete, & quasi mortuo modo subiecta denominant. Ratio fundandi relationes secundum generis non requiritur actu existens, ut subiectum denominetur relatum, licet non sufficiat ut possibiles ad talem denominationem præstandam; sed requiritur ipsam existere, aut extitisse, quod sufficit, ut ex vi illius etiam præteritæ subiectum existens denominetur relatum dum illius terminus existens perseveret, quia non solum vocamus patrem Ioannem, qui genuit Petrum in instanti, in quo illum actu gignit; sed toto tempore, quo existit Ioannes, qui genuit, & Petrus, qui fuit generitus, in quo moraliter perseverat actio generatiua ratione alius actionis conservatiua, quæ succedit loco generationis, quod sufficit, ut virtualiter dicatur permanere actionem intellectus, sicuti dicuntur permanere actus voluntatis in effectibus, qui ab illis originem trahunt, & sicuti permanere virtualiter dicitur intentio in executione mediæ, etiam si actus intentionis physicè non perseveret. Rationes fundandi relationes primi generis necessario debent actu existere, ut possit ex illis relatio confluere, non enim subiectum album simile dicitur alteri subiecto, quod fuit album, & modo tale non est, sed necessario albo extitisse debet ex parte utriusque extremi, ut assergat relatio similitudinis: similiter non dicitur æqualis quantitas vlnaris quantitati, quæ fuit vlnaris, & modo palmaris est tantum, sed necessario debet esse vtraque vlnaris, vel palmaris vtraque, ut quantitates denominentur æquales. Ratio à priori esset, quia cum hæc rationes fundandi non sint natura sua transeuntes, sed permanentes, & per modum habitus quieto modo subiectum denominent, non dicuntur virtualiter, aut moraliter permanere, dum actu non existant, sicuti dicuntur permanere actiones terminis permanentibus. Hæc est enim natura transeuntium per modum actus, seu actionis viuo modo, & permanentium per modum habitus, quieto, & mortuo, ut hæc postquam existerit non dicantur moraliter permanere, illa vero, etiam si physicè non existant, ex eo quod extiterint dicantur moraliter permanere, ut patet in actu voluntatis, qui saltem habitualiter permanere dicitur, dum non retractatur, etiam si physicè non existat, ex eo præcisè quod extiterit, & in habitu eiusdem voluntatis, qui dum physicè actu non existit nullo modo permanere dicitur.

PUNCTUM IV.

De distinctione relationis à fundamento, termino, & ratione fundandi.

Explicui Puncto præcedenti quid sit fundamentum, quid terminus, quid ratio fundandi relationem, dicam in modo quâ ratione ab his differat, vel cum illis identificetur.

§. I.

Impugnatur prima sententia.

Affermat prima sententia, posito fundamento, termino, & ratione fundandi pullulare modum quemdam ab his

ab his omnibus distinctum inherenter fundamento, ex vi cuius hoc dicitur relatum, qui modus non resultat etiam si fundamentum existeret, quovisque existeret simul terminus, & fundandi ratio. Defendunt hanc sententiam Caiet. 1. p. quest. 28. art. 2. Ferr. 4. contra gent. 14. Capreol. 1. dist. 30. quest. 1. quos sequitur est P. Rub. in Prædic. cap. 7. quest. 2. Reicienda est hæc sententia ex dicendis §. 3. ubi probabo modum istum esse superadditum, & illo secluso intelligi subiectum relatum simile, & æquale, sed præcisè ex eo quod existant duo subiecta alba dici similia, & ex eo, quod existant duæ quantitates utraque palmaris, vel utraque vlnaris dici æqualia, & sic in aliis relationibus, pro quibus absque necessitate fingitur modus iste superadditus, nunc tamen hac ratione prætermittitur, quam in posterum referuo, à posteriori impugno prædictum dicendi modum.

3 Primò sequitur ex hac sententia ad leuissimum motum aristæ produci in omnibus entitatibus creatis modum quemdam superadditum, & celum empyreum imò beatorum animos physicè mutari per receptionem talis modi. Sequelam probò: motà aristæ producit præsentia quædam cum qua relationem habent identitatis reliquæ præsentie creatæ eiusdem speciei cum illa, & relationem diversitatis reliquæ omnes entitates, quæ non sunt eiusdem speciei cum ipsa ergo motà aristæ reliquis omnibus entitatibus creatis aduenit noua relatio identitatis, vel diversitatis, sed hæc relatio consistit in modo quodam superaddito intrinsecè inherente rei relate: ergo omnibus entitatibus aduenit modus realis intrinsecè inherens: ergo mutantur omnes entitates creatæ, ex eo præcisè, quod leuis aristæ moueatur. Consequentiam admittunt, & consequens deorant auctores huius sententie, quod mihi quidem absurdissimum est, ne tamen videamur absque ratione tradere illud, quod prima dictar apprehensio, ratione probò consequens nullatenus sustinendum esse. Producta præsentia aristæ existens Matrici (idem dico de quacunque alia entitate producta) nihil est quod determinet corpus existens Parisijs, vt producat modum illum relationis: quo refertur ad præsentiam, seu entitatem denuo producta: ergo corpus illud quod antequam produceretur illa entitas, modum relationis non producebat, non illum producit, postquam talis entitas sit producta. Respondetis nouum terminum Matrici productum determinare corpus existens Parisijs ad relationem producendam, quam antea ex defectu termini non producebat. Contra: terminus iste valdè distat à subiecto producturo talem relationem: ergo nihil potest influere in relationem neque aliquo modo determinare fundamentum, vt talem relationem producat. Vrgo: terminus iste nihil physicum, neque morale potest præstare, ratione cuius determinet corpus existens Parisijs ad relationem producendam: ergo nullo modo potest illud determinare ad productionem talis relationis. Nihil posse præstare physicum per se, patet, quia etiam si ad id præstandum virtutem haberet ratione distantia non posset talem virtutem exercere: non posse aliquid morale præstare, seu moraliter determinare productionem talis relationis sic probò. Si terminus productus determinaret moraliter relationem producendam à fundamento distanti, esset exigendo vt Deus præberet concursus ad talem relationem producendam, sed terminus iste non exigit illam, quia nulla entitas exigit aliquid, quo ipsa non indigeat, ergo. Terminum non indigere tali relatione probò ex eo, quod terminus ille referendus non sit per relationem inherenter in subiecto distanti, quam ipse est terminaturus, sed per relationem ipsi affixam respectu cuius non se habeat vt terminum, sed vt fundamentum. Instituisse ergo debuerat natura sollicitos quosdam tabellarios, qui ad productionem cuiusvis entitatis reliquis aliis nuncium deferrent, atque certiores facerent nouum terminum aduenisse, vt illico in nouas erumperent relationes, terminus enim longè distans nihil posset præstare ad tales relationes producendas.

4 Dices fundamentum semper esse in actu primo ad relationes omnes producendas, has tamen non producere quovisq; adueniat terminus, quia quilibet relatio essentialiter dependet à proprio termino, sine quo nequit existeret. Equè mihi difficilis est dependentia relationis à termino longè existenti, ac determinatio ad relationem producendam ab eodem termino, & ideo ratione suprà facta solutio impugnanda est. Terminus est valdè distans à relatione: ergo nullo modo potest in illam influere: ergo nulla ratione potest relatio à termino distanti dependere.

Franc. de Ouedo, Philosph. Tom. II.

Melius forsitan responderetur quamlibet entitatem per se ipsam exigere à Deo concursus ad producendam relationem respectu omnium entitatum existentium, quæcumque sint de facto existentes, & ad conseruandam eandem relationem dum illius terminus perseverat, ex vi cuius exigentiæ non debetur Petro existenti Matrici concursus ad relationem, ex vi cuius constituitur diuersus à Ioanne producendo Parisijs, quovisq; Ioannes sit productus, & in primo instanti, in quo Ioannes fuit productus incipit deberi, non propter exigentiæ noui termini aduenientis, sed ex vi antiquæ exigentiæ ratione nouæ circumstantiæ, productionis Ioannis, quā posita debitus est concursus exigentiæ, cui antea non debebatur, quia non erat purificata conditio, sub qua dari exigerat talem concursus, quem non petebat absolute dandum, sed dandum si existeret terminus, & pro illa mensura pro qua existeret talis terminus. Hic aptior modus, si aptus aliquis ad prædictam sententiam defendendam, verumtamen quantis subiaceat difficultatibus ex secunda impugnatione, quam conficio contra prædictam sententiam, quæque solutionem hanc euertet clarè constabit.

6 Infero secundo ex prædicta sententia posse Deum constituere simile corpus album, etiam si nullum album existat neque exiterit, aut exiturum sit in rerum natura, & æqualem quantitatem vniç existentem in rerum natura, & Patrem hominem, qui nunquam genuit, & sic de omnibus alijs relationibus, quæ poterunt subsistere sine termino. Sequelam probò: hominem esse Patrem, corpus simile, & quantitatem æqualem non est formaliter terminum existere, sed subiectum relatum habere talem modum distinctum à termino, sed poterit Deus supernaturaliter producere talem modum destructo termino, seu nunquā producto: ergo poterit Deus constituere fundamentum relatum relatione prædicamentali termino non existente. Minorem probò: in qua tota argumenti difficultas sita est. Modus ille relationis tantum dependere potest à termino, vt suprà dicebam, quatenus illius fundamentum tantum exigit illius productionem pro illa mensura, in qua terminus existit, sed Deus potest præstare concursus ad talem modum producendum, & illum producere ultra exigentiæ fundamenti: ergo poterit illum producere termino non existente: ergo poterit producere paternitatem in Petro, etiam si Petrus nullum genuerit filium, & sic de alijs relationibus. Dices relationem dependere à termino tanquam modum à re, quia non est tantum modus fundamenti, sed etiam termini, sicuti actio est modus non solum principij actiui, & passiui, sed etiam termini. Contra hanc solutionem procedit argumentum suprà factum, quod iterum breuissimè attingo. Relatio naturaliter existit, & conseruatur termino valdè distanti nulla facta applicatione mediata, neque immediata: ergo potest physicè dependere, neque tanquam modus, neque ratione aliqua à termino longè distanti: dependentia moralis potest suppleri à Deo, qui potest contra causarum exigentiæ operari: ergo relatio, neque vt modus, neque ratione alia potest habere dependentiam à termino, & adeò strictam connexionem inire cum illo, vt non possit Deus illam sine termino producere, & conseruare. Eadem ratione inferitur ex hac sententia posse Deum facere vt Petrus, qui genuit Ioannem non sit illius Pater adhuc in illo instanti, in quo illum gignit, & vt duo alba vtrumque vt octo non sint similia, & vt duplex quantitas utraque palmaris, & neutra aliam excedens non sint æquales quia cum paternitas similitudo, & æqualitas consistant in modo superaddito fundamento, & termino, & ratione fundandi, potest Deus his existentibus contra illorum exigentiæ non præbere concursus ad talem modum producendum, quo modo non producto deficiet formalis relatio, & extrema relata non erunt.

7 Contra eandem sententiam à posteriori iterum argumtor. Si relatio distingueretur à fundamento, & termino, vna relatio fundaret aliam, relatio enim identitatis inter Petrum & Ioannem esset diuersa à relatione similitudinis inter duo alba, ac proinde fundaret aliam relationem, & hæc aliam, & aliam, & sic in infinitum procederetur. Respondent aliqui relationem non indigere alia relatione superaddita vt referatur, sicuti præsentia non indiget alia superaddita præsentia vt fiat præsens, neque actio actione superaddita, vt dependeat à principio effectiui, sed per ipsam referri, sicuti per se ipsam fit præsens præsentia, & dependens, seu producta productio cuiuslibet termini: Contra præsentia tantum per se ipsam fit præsens spatio cui præsentat

E e subiectum,

subiectum, quod afficit, v.g. praesentia, qua ego praesentor Compluti, per se ipsam praesentatur Compluti, cui non potest non esse praesens: at vero si talis praesentia contingenter praesentanda esset Toleti, alia indigeret praesentia superaddita: idem dico de actione, quae per se ipsam dependet à principio activo, à quo constituit terminum dependentem, & à quo non potest non dependere: si vero talis actio inciperet dependere ab alio principio, à quo non constitueret suum terminum dependentem, & à quo posset non dependere, indigeret alia dependentia superaddita. Sed relatio identitatis inter Petrum, & Ioannem non tantum referretur ad Petrum, & Ioannem, sed referretur ad relationem similitudinis inter duo alba, ad quam posset non referri, & ad quam non constituit relatus Petrum, & Ioannem: ergo indiget alia relatione superaddita ut referatur ad illam relationem similitudinis, ad quam contingenter referretur, & diuerso modo, quo refert propria extrema, quia haec referuntur ex vi illius relatione identitatis, & relatio ipsa identitatis referretur ad relationem similitudinis relatione diuersitatis. Rem declarat vnio integralis quantitatis, quae non per se ipsam, sed per aliam vnionem diuersae rationis vnitur vnione integrali materiae, quam informat, licet per se ipsam vnatur partibus quantitatis, quas integraliter vnit.

8. Dices relationem identitatis inter Petrum, & Ioannem non posse non referri relatione diuersitatis, ad relationem similitudinis inter duo alba, & proinde per se ipsam referri. Contra: duo alba ex suppositione, quod vtrumque existat, non possunt non referri, & tamen inferi haec sententia ex eo, quod quodlibet seorsum existens possit non referri vtrique referri per relationem superadditam, & neutrum per se ipsum: ergo eadem ratione duae relationes quarum quaelibet existens sine alia potest non referri, non referuntur per se ipsas, sed per aliquid superadditum, etiam si vtraque existens non possit non referri. Vidi aliquos recentiores eximie laborantes in hoc processu in infinitum vitando, quorum laborem laudarem, si ad rem alicuius momenti defendenda esset susceptus, in hac tamen materia non possum non illum improbum censere, cum causam tantum cuiusdam opinionis iam exolere defendenda suscipiatur, & hoc adhuc non assequantur. Alij absque vlla formidine tunc processum in infinitum admittunt, asseruntque nihil absurdi contineri in effectibus qui ab vna determinata omnium causa descendunt, tantumque esse vitandum in causis à parte antea, ita ut prohibeat ad aliquam primam pervenire, à qua effectus omnes originem trahant, quod tantum intendit Arist. & cum illo Philosophi omnes qui vniam primam omnium causarum esse demonstrant, cui veritati non refragatur processus ad infinitum in effectibus, quibus vnum primum principium, ante quod non sit aliud, potest designari. Sic perdocti, & acutè satis rem tractabat sapientissimus quidam Magister meus, cuius instructus disciplina facile satis facerem omnibus rationibus, quae contra hanc doctrinam possent adduci. Verumtamen ad alia maioris momenti eam adseruare, nec tanti emo relationes superadditas defendere, quas hoc argumento sublato à Philosophia exterminarem.

§. II.

Impugnatur sententia de connotatis.

9. Pater Soar. disp. 47. Met. sect. 2. à n. 21. docet relationem non distingui realiter à fundamento, connotare tamen termini existentiam, ut tribuat denominationem relati, ita ut deficiente termino non aliquid relationis deficiat; sed tantum id, quod requiritur, ut ipsa relatio identificata cum fundamento fundamentum denominet relatum, quia denominationem hanc relatio non tribuit, nisi cum connotatione ad existentiam termini, qua deficiente deficit denominatio. Sententiam hanc multi sequuti sunt recentiores, illiusque doctrinam plerique tradunt auctores, ut defendant non dari modum vnionis superadditam inter materiam, & formam, neque praesentiam distinctam à subiecto, quod est praesens, neque actionem mediam inter principium effectuum, & terminum, sed vnionem, praesentiam, & actionem identificari cum subiectis, quae constituunt vnita praesentia, & efficientia, illisque non tribuere suam denominationem quovisq. supponatur connotatum, ratione cuius album non est formaliter relatum, etiam si habeat relationem identificatam secum, quovisq. adueniat aliud album, quod sit connotatum huius relationis: neque principium

effectuum, v.g. Deus, qui ab aeterno existit, habet hoc, quod est esse actu efficiens ab aeterno, sed tantum tempore, quod in tempore incipit esse connotatum huius actionis identificatae cum Deo, quod est terminus, qui ex vi illius producit denominationem principij actu efficientis. Sic in pluribus aliis materiis philosophantur sectatores huiusmodi, quos hodie vulgus connotatores appellat. Doctores ite praecipue disp. 12. Log. sect. 8. ille dispositione 6. Met. illam ego in hunc locum impugnam remissi, ne patitur intendam.

Argumentor primò contra hanc sententiam. Deficiente connotato non deficit aliquid intrinsecum relationi seu aliquid pertinens ad illius formale constitutum: ergo permanet totum id, quod formaliter est relatio efficiens formaliter subiectum omnino eodem modo: ergo deficiente termino subiectum permanet eodem modo relatum, & formaliter erit relatum eadem ratione, quae relatum erat existente termino. Probo consequentiam: subiectum non constituitur relatum per terminum, sed per relationem formaliter ut efficientem subiectum, siue per identitatem, siue vnionem superadditam: sed permanet cum eadem relatione eodem modo efficiente idem subiectum deficiente termino: ergo deficiente termino subiectum, seu fundamentum, manet cum toto illo, per quod constituebatur relatum, eodemque modo illo affectum: ergo permanet eodem modo relatum. Subiectum, seu fundamentum non constituit formaliter relatum adhuc inadèquatur per terminum fatentem auctores huius sententiae, & probat P. Soar. quia ratio formalis referendi debet distinguere à termino, quem illa ratio respicit, aliis id se ipsum respiceret. Fundamentum manere cum eadem ratione formali, ex vi cuius constituitur relatum, & eodem modo illa affectum, etiam si terminus deficiat, fundatur facile. Ratio formalis referendi est relatio relati identificata cum fundamento: fundamentum permanet idem deficiente termino: ergo ratio formalis referendi identificata cum fundamento eadem permanebit. Modum, quo ratio formalis referendi subiectum afficit, semper esse eundem eadem ratione euincitur. Ratio formalis referendi non informat subiectum, seu fundamentum relatum per informationem superadditam, sed per identitatem: ergo dum ratio formalis seu relatio est eadem, permanet eadem identitas cum fundamento, & eadem informatio. Permanente eadem ratione formali referendi, seu eadem relatione, cum eadem informatione respectu eiusdem subiecti, permansum idem relatum formaliter ut relatum, sic euinco. Relatum, formaliter ut relatum, & ut formaliter dicens denominationem relati est totum quoddam includens subiectum, relationem, & modum, quo relatio subiectum afficit, siue haec realiter distinguantur, vel identificentur. Sed haec omnia manent omnino eadem: ergo totum manet omnino idem, quia totum non distinguitur à partibus, & vnione.

Respondent nonnulli deficiente termino permanere totum id, quod relatio dicit in recto, & deficere, quod relatio dicit in obliquo ex cuius defectu subiectum non denominatur formaliter relatum. Contra: id, quod deficit, & relatio dicit, non in recto, sed obliquo, vel formaliter per se ipsum denominat saltem inadèquatur subiectum relatum, vel non. Si denominat formaliter saltem inadèquatur, etiam in obliquo importetur subiectum relatum, iam ratio formalis relationis non est identificata, adèquatur cum subiecto, sed includit terminum, etsi in obliquo importatur: ergo relatio formaliter ut relatio dicit fundamentum, & terminum, quod negat P. Soar. & cum illo connotatores, qui totam rationem formalem relationis à termino distinguunt. Si terminus in obliquo importatus, neque inadèquatur denominat subiectum relatum: ergo remanet tota forma adèquata, à qua subiectum denominatur, etiam si terminus deficiat: ergo eodem modo denominabit subiectum. Recurre ad rationem supra confectam. Adhuc distinguunt nonnulli, qui dicunt terminum importatum à relatione denominare subiectum in obliquo. Inania verba. Terminum denominare in obliquo subiectum relatum, vel dicit terminum importatum in obliquo denominare fundamentum, ita ut ratio obliqui tantum se teneat ex parte termini, & non ex parte denominationis, vel dicit terminum importatum in obliquo denominare subiectum obliquè, seu denominatione obliqua. Hoc secundum frustra diceretur quia fundamentum

fundamentum tantum habet unam simplicem denominationem relati, quæ eadem est, & omnino simplex: ergo omnia, quæ tribuunt denominationem relati, eandem omnino tribuunt, siue rectam, siue obliquam: ergo non potest fundamentum habere à se, seu à relatione secum identificatam rectam denominationem relati, & à termino denominationem obliquam. Si dicatur primum inferri necessarium denominationem simplicem relati provenire à fundamento, quod est in recto, & à termino, qui est in obliquo, & relationem formaliter dicere fundamentum, & terminum, quod tenuit concedere huius dicendi modi sectatores.

12 Respondent alij terminum non esse rationem formalem denominandi subiectum relatum, esse tamen conditionem, sine qua non potest subiectum tale denominari. Euationem hanc efficaciter impugno. Condicio debet distingui ab illo, ad quod est conditio: sed posito termino nihil ponitur distinctum ab illo: ergo terminus non se habet vt conditionem. Negabis minorem, & dices posito termino poni denominationem. Contrà: denominatio vel sumitur pro ipsa nominis impositione, quæ est valde extrinseca subiecto, seu pro re significata nomine imposito. Si sumatur pro nominis impositione ad hanc tantum potest esse conditio id, quod est conditio ad rem significatam per nomen, & ad formam, per quam formaliter subiectum est relatum: ergo vt terminus sit conditio ad hanc nominis impositionem debet esse conditio ad id, quod significatur per hoc nomen relatum, vel debet esse id, quod formaliter constituit illius obiectum significatum, videlicet hoc concretum *relatum*, quod est formaliter esse relationem: Terminum non posse esse conditionem ad rem significatam per nominis impositionem sic probo. Posito termino nihil reale ponitur distinctum ab illo: ergo non potest esse conditio respectu alicuius, quod ponatur. Probo antecedens: fundamentum existeret antequam existeret terminus: ergo terminus non est conditio ad fundamentum: ergo non est conditio ad aliquid, quod cum fundamento sit identificatum, quia nequit terminus esse conditio ad positionem alicuius identificati cum fundamento ad quod non est conditio, aliàs esset, & non esset conditio respectu eiusdem, quia non esset conditio fundamenti, vt supponimus, & aliàs esset conditio alicuius identificati cum fundamento, ex quo inferretur esse conditionem ipsius fundamenti, quia quicquid conuenit entitati respectu alicuius, conuenit respectu totius, quod cum illo est identificatum, sed posito termino nihil datur distinctum à fundamento, & termino: ergo nihil datur respectu cuius terminus possit esse conditio. Nihil dari distinctum à fundamento, & termino, posito termino statuit sententia, quam impugno, quæ asserit posito termino fundamentum per se ipsum absque alio superaddito referri.

13 Obcurioribus terminis rem alij confundere intendunt, & vim argumenti effugere, asserentes deficienti termino permanere fundamentum, & permanere relationem identificatam cum illo, quoad entitatem, non vero permanere relationem quoad formalitatem, ita non tribuere effectum formalem, neque denominare subiectum relatum. Contra hunc dicendi modum sic impugno. Relatio quoad formalitatem, vel est identificata cum fundamento realiter, & physice; vel ab illo distinguitur realiter & physice: Hoc secundum non potes admittere, ne concedas rationem formalem relationis superadditam fundamento, quod tua sententia negat: ergo debes dicere relationem quoad formalitatem non distingui à fundamento. Tunc sic: relatio, quoad formalitatem, est identificata cum fundamento: ergo permanente fundamento permanet relatio quoad formalitatem, implicat enim ex duobus identificatis vnum deficere, & aliud permanere. Sed deficiente termino relationis permanet fundamentum: ergo permanet relatio quoad formalitatem, quæ est identificata cum fundamento. Confirmatur: Relatio quoad entitatem, & quoad formalitatem non distinguuntur realiter, & physice: ergo permanente relatione quoad entitatem permanet relatio quoad formalitatem: Antecedens probo: relatio quoad entitatem, & quoad formalitatem identificatur vni tertio, videlicet fundamento: ergo identificantur inter se. Rursus relatio quoad formalitatem realiter est entitas: ergo relatio quoad formalitatem, & relatio quoad entitatem realiter non distinguuntur: ergo implicat deficere relationem quoad formalitatem, quin deficiat relatio quoad entitatem, & implicat permanere relationem quoad entitatem, quin permaneat relatio quoad formalitatem. Subdistingunt

Francisc. de Quiedo, Philosoph. Tom. I. I.

iterum recentiores: relatio quoad entitatem, & relatio quoad formalitatem sunt idem: quoad entitatem concedo, quoad formalitatem nego; Attendas obsecro, quomodo in ipsa distinctione membra distinctionis confundunt, distinguere relationem tanquam in membra opposita in relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem, & rursus cum illis obijciatur, relatio quoad entitatem identificatur cum relatione quoad formalitatem subdistingunt: identificatur quoad entitatem, concedo; quoad formalitatem, nego, quæ distinctio supra quodcumque ex duobus extremis cadat, secundum vnum membrum illud replicat, & secundum aliud per oppositum contrahit. Hoc notato solutionem euerto: Relatio quoad entitatem, & quoad formalitatem, vt ineptè traditur distinctione prædicta, non distinguitur realiter sumpta quoad entitatem, & quoad formalitatem, & idem dico de relatione quoad formalitatem eodem modo diuisa: ergo implicat relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem identificari quoad entitatem, & non identificari quoad formalitatem.

14 Dicunt alij relationem quoad entitatem, & quoad formalitatem distingui in obliquo, & per connotata. Contra hos redit discursus supra factus contra illos, qui absolute dicebant relationem distingui à fundamento ratione connotati extrinsecè, & in obliquo, & non in recto.

15 Efficacissime arguo contra hos connotatores. Implicat esse albedinem in subiecto apto ad componendum hoc concretum album, & illud de facto non componere, cum concretum formaliter nihil aliud sit, quam subiectum, forma, & informatio: ergo implicat esse relationem in subiecto cum omni informatione requisita, quæ non distinguitur ab ipsa relatione, & subiecto, quod informat per identitatem, quin subiectum constituatur. Concedunt antecedens aduersarij, & negant consequentiam, quia albedo est forma absoluta nullum habens connotatum, neque illo indigens, vt præstet suum effectum formalem, ac proinde ex defectu connotati non potest illum non præstare. Relatio autem est forma respectiua respiciens connotatum, & illo indigens, vt præstet suum effectum formalem, ex defectu cuius potest illum non præstare. Contra hanc solutionem instauratur ratio supra facta. Adhuc in concretis respectiuis effectus formalis non distinguitur à toto composito, toto videlicet relato, quod tantum dicit subiectum, relationem, & informationem: ergo his præcisè positis erit constitutum hoc concretum relatum, siue terminus ponatur, siue non ponatur. Exemplum desume in hoc concreto *cognoscens*, quod est respectiuum, & connotat obiectum cognitum, quia tamen intrinsecè, & formaliter tantum dicit viuens vt subiectum, & cognitionem, vt formam, & informationem cognitionis ad subiectum, siue identificatam, siue distinctam à cognitione, posito viuente cum cognitione illud informantem, ponitur hoc concretum *cognoscens*, siue ponatur, siue non ponatur obiectum.

16 Ne tamen iterum vanè repetas inanem illam distinctionem recti, & obliqui, ex his, quæ prædicta solutio admittit conclusionem impugno. Forma relatiua potest esse quoad entitatem, & non quoad formalitatem ex defectu connotati, & hoc incipiente incipere præstare effectum formalem, quem antea eadem existens quoad entitatem non præstabat: ergo omnes actus vitales intentionales, visio v.g. auditio, sensatio interna, intellectio, & volitio, possunt esse identificati cum anima, cui non præstabant suum effectum formalem, quovisque vnicuique proprium adueniat connotatum, quo adueniente anima cognoscere incipiet, non quia noua producat cognitio, neque quia hæc incipit quoad entitatem, sed quia nouum aduenit connotatum, & cognitio, quæ antea erat quoad entitatem identificata cum anima, incipit modò esse quoad formalitatem, & præstare formalem effectum, quem antea non præstabat. Dices ad hos intentionales actus requiri has, vel illas dispositiones, seu compingencia potentie respectu illarum v.g. speciem impressam ad visionem producendam, quod signum est visionem non solum quoad formalitatem denuo assurgere, sed quoad entitatem incipere. Non satisfacis, quia medijs dispositionem, & deorganizationem potentie, & specierum impressarum productionem dicam ego requiri tanquam connotatum, vt visio, quæ antea erat quoad entitatem, incipiat modò quoad formalitatem. Imò secundum hanc doctrinam de medio tollerem species impressas, quia has

Et 2 tantum

tantum opponimus, ut loco obiecti efficienter producantur actum intentionalem, qui non potest produci ab obiecto distant, in hoc autem philosophandi modo necesse non est actum intentionalem denuo produci, quando anima ex vi illius incipit sentire, ut cognoscere, sed tantum tunc incipere quoad formalitatem, ad quod sufficit presentia obiecti, medio, vel distantia non impediante, quia etsi hoc nimis extrinsecum fit actui, etiam productio albi Romae exercita, est nimis extrinseca albi existentis Compluti, & relationi cum illo identificata, & tamen sufficiens est, ut hæc, quæ antea tantum existeret quoad entitatem, iam existeret incipiat quoad formalitatem.

- 17 Ultimo confuto doctrinam istam de connotatis exemplo, quo eam explicant, & probant illius sectatores petendo ex actibus liberi Dei. Afferunt in Deo de facto dari actus liberos voluntatis, & scientia visionis, qui potuerunt non esse Deo omnino intrinsecè inuariati, & de facto sunt ratione connotati, quod si deficeret, actus liberi Dei deficeret, non secundum entitatem quia nihil intrinsecum Deo potest deficere secundum entitatem, sed tantum secundum formalitatem, hoc est existeret illorum entitas, & tamen non Deum constituerent formaliter volentem tale obiectum, illudque cognoscitum scientia visionis. Hoc inquam exemplo doctrinam hanc confuto, quia difficultas hæc de constituitio actuum liberorum Dei est omnium maxima, quas tota continet Theologia, & nullus ingenus Theologus reperitur, qui non fateatur nostro intellectui esse insuperabilem, & qui non confugiat ad infinitam, & incomprehensibilem Dei perfectionem, ratione cuius illi absque ulla repugnantia conueniat illa, quæ nosse intellectus vix potest sine repugnantia apprehendere, & ne indecorè vi forme in hac materia opprimerentur, quam plures Theologi, qui distinctionem virtuale in Deo sunt meditati, qua in materia de Trinitate, & in actibus liberi Dei difficultatem formæ nonnihil declinant: ergo hac ratione in rebus Philosophicis, & purè naturalibus, nonque grauioris momenti discutere, in quibus faciles alij dicendi modi superant. est omnia æquè difficilia reddere cum mysterio Trinitatis, abstrusioribus proprietatibus Dei optimi maximi, cuius omnia intrinseca vt potè per essentiam infinitam longè superant intellectu captum, qui superari non debet natura tenuis valdeque imperfectæ relationi- culæ, aliarumque entitatum, ad quas explicandas eandem viam inièrè connotatores, quæ aliqui Theologi intendunt efugere illa, quæ ad intrinsecam Dei per essentiam infiniti spectant, quos plures alij adhuc in hac materia non tutè illam fuisse aggressos existimant.

18 Eadem sententiam sic impugnat Arriaga. In sententia aduerſariorum non potest incipere noua denominatio ſine noua entitate: ergo non potest incipere noua denominatio intrinſeca ſine noua intrinſeca entitate, quia intrinſeca denominatio non potest niſi à noua intrinſeca entitate procedere. Hanc rationem laſe inſequitur Arriaga, cui reſpōdebunt Connotatores incipere nouam denominationem, quia incipit noua entitas intrinſeca quoad formalitatem, etiamſi non incipiat quoad entitatem, quæ inceptio quoad formalitatem intrinſecam poteſt procedere tanquam à conditione extrinſeca à connotato extrinſece poſito. Difficultates alias quibus ſe implicant connotatores ex hac doctrina negantes modos vnionis ſuperadditos, actiones diſtinctas à principio actiui, præſentias diſtinctas à re præſenti propriis locis expendo, vbi de his modis diſputationem inſtituo.

§. III.

Propria sententia.

- 19 SEntio relationem predicamentalem non distingui à fundamento, & termino, & ratione fundandi: sententiam hanc defendunt communiter Nominales, Ockhamus in 1. dist. 30. q. 1. & dist. 32. quæst. 1. Gregor. in 1. dist. 28. q. 2. Marf. q. 32. art. 1. Heruſin 1. dist. 3. art. 1. & quodlib. 7. quæst. 15. & quodlib. 10. q. 1. Alenf. 5. Metaph. text. 20. Lau. 5. Metaph. quæst. 22. Soncin. quæst. 28. qui licet affirment oppositam posse defendi, asserit tamen hanc fieri magis placere. Stant pro eadem sententia quàm plures auctores asserentes relationem non distingui à fundamento, qui tandem intendunt non dicere aliquid intrinsecè fundamento superadditum, sed tantum ex fundamento & termino resultare denominationem relati, ideòque asserunt relationem à fundamen-

to non distingui, quia hoc in recto, & illud in obliquo significatum importat. Tenent eandem sententiam Hurta. disp. 15. Metaph. sect. 2. & Arriag. disp. 18. Logica sect. 3. & omnes politiores recentes huius temporis Anglicani Doctores nobis eandem tradidisse sententiam clarissimum Demonstioniis aperte conuincit Hurt. quæ nullam non violentiam in alium sensum explanationem pati possint, illi non refero, quia nimis longa, & faciliè legi possunt apud, & licum Præceptorem quest. 7. de potentia art. 8. & opusc. 4. tract. 5. de prædicamento ad aliquod, c. 1. & c. 3. Pro eadem sententia referunt etiam Arist. qui dixit ad relationem non dari per se motum, hoc est non dari specialem affectionem, quod signum est non esse specialem entitatem distinctam à fundamento, & termino: huiusmodi tamen testimonio laxè nimis solent interpretari; ideo non his malum fido ad rationem deuengo.

Delumo primam rationem ex vulgari, solidoque princi-
pio. Vbi nulla est separatio, nullum signum est distinctio-
nis. Sed post hoc fundamentum, & termino cum ratione fun-
dandi, si hæc ab illis distinguitur, nulla inuenitur, neque
inueniri potest separatio relationis ab illis: ergo relatio ab
eisdem non distinguitur. Dices separari à singulis seorsim
sumptis, licet non separatur ab omnibus simul existentibus.
Bonè est, hæc separatio arguit distinctionem à singulis
seorsim, & non ab omnibus simul sumptis, quia ab illo est
distinctio, à quo potest esse separatio, sed separatio est à
singulis, & non ab omnibus simul sumptis: ergo distinctio
est à singulis, & non ab omnibus simul sumptis. Vergepos-
sito Petro, & Paulo in rerum natura, seclusa quolibet alia
entitate distincta Petrus, & Paulus manent eiusdem na-
ture, & eiusdem essentie, & postis duobus aliois vt
quatuor, seclusa quacunque alia entitate, sunt similes, & po-
sitis duabus quantitatibus vnariis, nulla alia interue-
niente entitate, sunt æquales, & eo ipso, quod vtræque
vnariis percipitur intelliguntur æquales nulla alia forma,
ad hoc per intellectum, percepta: ergo relatio identitatis,
similitudinis, & æqualitatis, separari non possunt à funda-
mento, & termino, neque aliquid addunt ab illis distin-
ctum. Idem dico de relationibus secundi generis. Da mihi
Petrum genitum fuisse à Ioanne seculo quocunque alio
modo Ioanni inhærente, quem Deus non produxit, vel
quem ego mente præscindo, ex eo præcisè, quod Petrus
fuerit à Ioanne genitus, Ioannes dicitur Pater, & Petrus
filius: ergo frustra novos alios modos inhærentes Petro,
& Ioanni, vel prædicatum aliquod interinsecum in Petro &
Ioanne meditaris, vt vnus dicatur Pater, & alter filius: ergo
relatio paternitatis nihil aliud est quàm ab hoc homine
illum processisse.

Respondent aduersarij duo alba, ac reliqua prædictæ. Item trema seculo modo superaddito, & formaliter intrinseca, esse familia; & relata fundamentaliter, & non formaliter. Contrā: vtraque quantitas assignata esset palmaris, seculo quocumque modo superaddito, & quocumque praticato intrinseco, & illarum neutra alteram excederet: ergo formaliter essent æquales. Probo consequentiam, illa æqualia dicuntur quæ commensurari possunt, & quorum neutrum excedit alterum: sed dux quantitates vlnares quocumque alio seculo possent commensurari, & neutra aliam excederet: ergo essent æquales. Si dicas hanc commensurationem quantitatum absque alicuius excessu, seculo modo alio positio arguere æqualitatem fundamentalem, & non formalem, inquiri, ex quo principio inferas illam æqualitatem formalem, quam agnoscis supra æqualitatem, quam ego assigno, & tu fundamentalem appellas? Virgo: esset Deus æqualitatem quam appellas formalem, vel illam mente præscindamus, & remaneat tantum illa, quam ego assigno, & tu fundamentalem appellas: Tunc rogo, ex quo capite desiderabimus modum illum in quantitate, vel qua disticta ratione de illis agemus, ac nunc agimus? Certè talis modi defectum nusquam experiemur figurate, quod illum præsentem nunquam experti fuimus, sed eodem modo quantitates illas æquales vocabimus ex eo, quod neutra alteram excedat: ergo modus ille neque ab hac denominatione æqualitatis quantitatibus conueniens, neque ab alio aliquo principio à priori, vel à posteriori nobis innotescit: ergo sine fundamento fingitur. Idem argumentum fit in relationibus secundi generis, præcise enim ex eo, quod Ioannes Petrum genuerit nullo habito effectu ad modum alium, absolute vocamus Ioannem Patrem Petri, & non modum illum inquirimus, vel plene eo Ioannem

Ioannem Petri patrem appellemus; sed tantum rogamus an ab illo fuerit genitus, ex qua generatione præcisè quocumque alio seculo fundamentum desumimus ad denominationem patris Ioanni tribuendā, quam tribuunt docti, & indocti, qui nunquam modum superadditum, neque prædicatum intrinsicè paternitatis excogitant. Ex quo infertur denominationem hanc à posteriori non arguere modum intrinsicè paternitatis, neque prædicatum aliquod adæquatè identificatū cum fundamēto ac proinde utrumque esse relegandū, cum neque à priori, neque à posteriori aliquid illorum extet fundamentum. Clariùs res cernitur in relationibus oppositis illis, quæ fundantur in unitate superaddita: eo ipso quod quātitas vlnatis sit, si cōmensuratur cum quātitate palmari illā excedet in extensione: ergo erit illi inæqualis, non enim aliam inæqualitatem agnoscimus præter excessum, quē habet hęc entitas respectu alterius.

Argumentor iterum pro eadem sententia: Deus est diuersus à Petro, qui modo existit non præcisè per suam entitatem, non per aliquod accidens illi intrinsicè inhærens: ergo per coexistentiam ipsius Dei cum Petro: ergo eodē modo poterit Petrus constitui diuersus, ab equo, non per suā entitatē, neque per aliquod accidens illi intrinsicè superadditum, sed per coexistentiam suæ entitatis cum equo. Offendunt multi in maiori, qui existimant Deo competere non posse relationē aliquam prædicamentale, adhuc diuersitatis à creatura: horum copiam refert P. Soar. disp. citatā, sect. 15. n. 17. Verumtamen hanc relationem Deo conuenire defendunt Ocham, Greg. Gabr. Marf. & Durand. quod eleganter docuit Anselm. in Monologio c. 24. vbi cum dixisset Deo nihil accidere posse, quia est inuariabilis, postea sibi obicit: *Quomodo non est particeps accidentis, cum & hoc ipsum quod maior est omnibus creaturis, & quo ille dissimilis est videatur accidere.* Cui obiectioni respondet: *sed quid repugnat quorundā, quæ accidentia dicuntur, susceptibilitas, & naturalis immutabilitas, si ex eorum assumptione nulla substantia consequitur variabilitas?* & addit inferius huiusmodi esse relationes, & ne quis iudicaret ipsū loqui de relationibus rationis, exemplū in creaturis adhibet: *Nam ego (verba sunt Anselmi) nec maior, nec minor, nec aequalis, vel similis sum homini post annum nascituros: omnes autem relationes has illo nato habere potero sine omni mei mutatione.* Quibus verbis expressè docet Magnus Anselm. Deo has relationes inæquales, & dissimiles sine aliqua sui mutatione in tēpore aduenire, tantūq; Doctoris auctoritate, Nominaliū sententia, quam amplector, ab omni censura manet vindicata. Et P. Soar. suprà. n. 20. rem doctè contemplariū asseruit satis consequenter concessuros Deo has relationes, qui putant has denominationes relatiuas, quæ possunt de nouo aduenire per solam mutationem eius rei, quæ refertur dicitur, esse tantum denominationes extrinsecas ex coexistentia extremorum, quia nullum est inconueniens Deum ex tēpore denominari ab aliqua forma reali existente in creatura, ut patet in actione creatiua, & in aliis, quæ Deus ad extra operatur. Additq; D. Anselm. in hunc modū dicendi multum propendere, licet illum in fine capitis, ut incertū prætermittat. Hęc dixerim ne videatur alicui sine maturo consilio has relationes prædicamentales iuxta principia quæ amplector Deo concedi, quas illi tribuit Hurr. sup. sect. 2. §. 19. & Arriag. iam citat. sect. 6. n. 8.

Ratione probō, eadem proprietate conuenire Deo relationem diuersitatis respectu creaturæ, & relationē causæ respectu cuiusvis effectus, quā huiusmodi relationes creaturæ cōpetunt. Non alio fundamento dicimus Petrum esse diuersum ab hoc equo, nisi, quia ab illo specie differt, & habet proprietates, & operationes longè ab illo differentes. Sed Deus summè differt à creatura, & habet operationes summè differentes à creatura: ergo est diuersus ab illa. Secundò: relatio diuersitatis semper est mutua, lumine enim naturæ constat hanc esse legitimā consequentiā: hoc est diuersum ab illo: ergo illud est diuersum ab hoc, sed creatura est diuersa à Deo: ergo Deus est diuersus à creatura. Sic discuro in relationibus secundi generis: hoc principium productiuum refertur relatione causæ ad illū effectum sumitur ex eo, quod ab hoc principio processerit actio, ex vi cuius talis effectus fuit productus: sed à Deo processit actio ex vi cuius fuit producta, quælibet creatura: ergo Deus habet relationē causæ respectu cuiusvis creaturæ. Dices relationē diuersitatis non sumi formaliter ex naturarum differentia, neque relationem causæ ex actione intercedente inter principium productiuum, & effectum productum, sed ex modo quodam, qui ex his resultat, in entitatibus, quæ

Franc. de Ouedo, Philosph. Tom. 11.

sunt capacia illum recipiendi, & cum omnes creaturæ, sine capaces recipiendi talem modum, sit omnes creaturas specie ab illis differentes recipere modum hunc diuersitatis respectu aliarum, à quibus specie differunt; Deus autem cum incapax sit recipiendi modum superadditum incapax est habendi relationem diuersitatis, & quamcumque aliam. Contrā: possunt Deus, & creatura existere, & infinitè differre secundum essentiam, quin Deus sit diuersus à creatura: ergo similiter poterunt existere, quin creatura sit diuersa à Deo, & poterunt existere homo, & equus absque vlla relatione diuersitatis, ad quid enim indiget creatura relatione diuersitatis respectu Dei sine qua existit Deus respectu creaturæ, & cur debet esse magis diuersus equus ab homine, quā Deus à creatura? Dices iterum creaturam habere hanc relationem, quia illius est incapax, & Deum illam non habere, quia illius est incapax: Contrā: ego non arguo modū: creatura habet relationem: ergo Deus; sed in hunc modum: Deus non habet relationem diuersitatis cuius tu dicis esse incapacem, respectu creaturæ, etiam si summè ab illa differat, & nihil in illo desideratur, ut concipiatur longè alius, & infinitè differens à creatura: ergo licet ex prædicato entis creati non repugnet creaturæ relatio diuersitatis, illam non habebit, quia omnino illi erit superflua, poterit enim existere sine illa eodem modo differens à Deo sine diuersitate respectu illius, sicuti Deus differt à creatura sine diuersitate respectu huius. Quod si communi apprehensione dicimus creaturam esse diuersam à Deo eadem dicimus Deum esse diuersum à creatura: ergo concedenda est mutua relatio diuersitatis inter Deum, & creaturam, vel à Deo & à creatura releganda: sed omnes asserunt creaturam dicere diuersitatis relationem respectu Dei: ergo debent concedere Deum dicere relationem diuersitatis respectu creaturæ.

Si dicas Deū refertur relatione diuersitatis fundamētaliter & per rationē, non vero reali, & formali relatione: Idē dicā ego de creatura respectu Dei, non enim maiore diuersitate desiderat creatura respectu Dei, quā Deus respectu creaturæ. Rursus relationē hanc respectu Dei nullam dicere imperfectionē cōiunct manifestē Anselm. ratio. Hęc relatio aduenit Deo absque vlla sui mutatione ex positione termini extrinseci, sicut illi in tēpore extrinsecè aduenit relatio Creatoris, & Domini: ergo nullā imperfectionem dicit in Deo. Relationes has non competere Deo per suam entitatē sic probō. Quidquid competit Deo per suam entitatem conuenit Deo per aliquid intrinsicum, & etiam si illi liberè conueniat, & dependenter à connotato extrinsecō conuenit ab æterno; sed relationes hæ non conueniunt Deo ab æterno: ergo non illi conueniunt per aliquid intrinsicum. Maior est inconcussa apud omnes Theologos, qui constanter defendunt actum liberum diuinæ voluntatis, & actum scientiæ visionis circa illius obiectum, qui antecederent potuerunt non esse in Deo; eo ipso quod sint, esse ab æterno, & Deum non posse in tēpore cessare à decreto libero, quod habet, neque in tempore incipere habere aliquod decretum, quod ab æterno non habuit, licet antecederent potuerit ab æterno non habuisse decretum liberum, quod modò habet, & habuisse, quod modò non habet quia actus diuinæ voluntatis conuenit Deo per suā intrinsicā entitatem, & non per aliquid extrinsecum, per quod formaliter constituatur volens, sicut constituitur efficiens per extrinsecam actionem. Eadem ratione inferunt Theologi scientiam visionis non posse in tempore incipere in Deo, etiam si connotet obiectum liberè productū, quia Deus cognoscit, non formaliter per extrinsecum obiectum; sed per actum internum intellectus diuini, & nullus actus internus diuini intellectus, aut voluntatis, seu nihil, quod Deo per suam entitatem conuenit, potest illi in tēpore, & non ab æterno competere. Relationes has non posse cōpetere Deo ab æterno certum est, quia Deus non potest esse diuersus ab eo, quod non est, ut rectè docuit Anselm. prædictis verbis: *Nam ego nec maior, nec minor, &c.* sed creaturæ nō sunt ab æterno: ergo non potest Deus ab æterno ab illis esse diuersus. Consequentia prioris enthymematis facti in hoc argumēto efficax est, quā sic confirmo. Non minùs capax est creatura, quā Deus denominationis extrinsecæ ab aliqua forma extrinsecæ procedentis: sed Deus potest denominari diuersus, & inæqualis, & relatus relatione causæ à coexistentia ipsius cum termino relationis extrinsecō Deo: ergo creatura poterit huiusmodi denominationes accipere ab eodem extrinsecō termino, seu à coexistentia ipsius

tia ipsius cum illo, quod dicitur relationis terminus, & hac coexistentia dici relata seclusa quacumque alia relatione adequatè intrinsecà fundamento, siue huic superaddita, siue cum ipso adequatè identificata.

25 Ex his infero omnem relationem, partim esse intrinsecam, partim extrinsecam fundamento, relatio enim, vt constat ex doctrina tradita, dicit fundamentum, & terminum, & ita ratione fundamenti, quod dicit, ipsi fundamento intrinseca est, nihil enim magis intrinsecum entitati, quam illius propria entitas; ratione verò termini fundamento est extrinseca, quia terminus semper distinguitur à fundamento, & illi est extrinsecus. Fundandi ratio aliquando fundamento extrinseca est, sicut actio generatiua principio generanti, quod est fundamentum relationis paternitatis, aliquando est intrinseca, sicut in relatione identitatis ratio fundandi non distinguitur ab ipso fundamento relationis.

26 Infero secundò in creatis rationem Patris prædicamentali relati distingui inadquatè à ratione generantis, quia Petrus formaliter vt generans constituitur formaliter adequatè per generationem, quæ respicit terminum genitum, & ratione illius eundem terminum respicit hoc concretum generans præcisè vt terminum, non vt pertinentem formaliter aliquo modo ad intrinsecum constitutum huius concreti generans, Pater verò, vt pater prædicamentali relatus, non solum dicit actionem generatiuam, sed etiam terminum genitum formaliter, vt constitutum huius concreti Patris, respectu cuius terminus genitus duo dicit esse realiter constitutum huius concreti Patris, & concipi vt terminum paternitatis, per quem formaliter concretum constituitur. Hæc dixerim in creatis, in diuinis autem aliter res se habent, quia Pater æternus formaliter constituitur Pater per generationem actiuam distinctam à termino genito, quia in Patre æterno relatio paternitatis est quasi transcendentalis adequatè identificata cum fundamento, & vt fert communis sententia ipsa paternitas formaliter vt talis est constitutiua formaliter personæ generantis, & cum dicimus Pater æternus generat, illud generat constituitur intelligitur, quia formaliter per generationem constituitur in creatis Pater generat, illud generat intelligitur elicitiuè, quia generatio non constituit principium generans in ratione suppositi, sed illud supponit, & ab illo tanquam à supposito procedit generatio, & non tanquam à Patre, quia potius per actionem elicitam à supposito, quod prius illa supponitur, & per terminum illius actionis constituitur suppositum creatum Pater formaliter. Addit Arriag. disp. 12. Logica, sect. 9. n. 42. probabile esse in Patre æterno dari duplicem relationem, quandam transcendentalem adequatè identificatam cum generatione actiuâ, per quam constituitur formaliter; & aliam prædicamentalem partim intrinsecam, & partim extrinsecam desumptam ab ipso Patre generante, & relatio transcendentaliter, & à termino genito.

27 Infero tertio, per eandem relationem referri relatiua prædicamentalia, quæ mutuo referuntur, v.g. duo similia, quia relatio cuiusvis dicit vtrumque extremum, & nihil aliud alicui inhaerens: ergo nulla est entitas ratione cuius distinguatur relatio, quam dicit hoc album ad illud album à relatione, quam dicit illud album ad illud. Similiter paternitas dicit substantiam, quæ generat, substantiam, quæ est genita, & generationem procedentem ab vna substantia, & ad aliam terminatam, sed hoc, & nihil aliud dicit filiatio: ergo in nihilo differunt paternitas, & filiatio: ergo per eandem relationem, per quam constituitur Pater substantia, quæ generat, constituitur filius substantia, quæ est genita. In modo tamen significandi valde distinguuntur relationes, quibus distincta extrema inter se referuntur, relatio enim, quæ refertur Petrus ad Ioannem, dicit entitatem Petri in recto, & in obliquo entitatem Ioannis, relatio verò, quæ refertur Ioannes ad Petrum, dicit Ioannem in recto, & Petrum in obliquo, & ita ex modo significandi distinguuntur illa, quæ in re sunt idem, in re enim idem est hoc album esse simile illi albo, & illud esse simile huic, in modo autem significandi distinguuntur. Eadem ratione in re idem est Petrum esse Patrem Ioannis, & Ioannem esse filium Petri, licet in modo significandi distinguantur.

28 Obiter etiam nota rationem, propter quam eadem numero relatio aliquando constituat extrema relata relatione æquiparantia, aliquando relatione disquiparantia, quod-

ties enim ratio fundandi eodem modo afficit vtrumque extremum, hæc non solum eadem relatione physica, sed relatione eiusdem rationis formaliter attingit extrema, sicut in relatione similitudinis inter duo alba, cum verò ratio similitudinis non distinguitur ab vtroque extremo, extrema sunt quantitates, & ita relatio æqualitatis ad quantitates spectabit: ergo nulla dabitur relatio, quæ speciale prædicamentum constituit. Respondeo relationem nunquam esse substantiam, aut quantitatem, aliamve entitatem, quæ tantum ad vnum prædicamentum pertineat, quia relatio identitatis inter Petrum, & Ioannem non tantum importat vtrumque substantiam, sed etiam durationem, ratione cuius inter se coexistunt, duratio autem distinctum prædicamentum constituit à prædicamento substantiæ. Relatio æqualitatis inter duo quanta præter duas quantitates, & durationes earumdem quantitarum, ratione quarum coexistunt, dicit extensiones quantitarum, quas aliqui ad qualitatis prædicamentum attinere dicunt, & alij probabilis, qui extensionem à præsentia non distinguunt ad prædicamentum ubi. Omnes ergo relationes dicunt diuersas entitates ad diuersa prædicamenta spectantia, quæ formaliter considerantur per modum vnius ordinis, & respectus, sub qua consideratione, & diuerso modo, quæ respiciuntur, constituunt vnum tertium prædicamentum distinctum ab illis, ad quæ entitates, ex quibus constituitur relatio, spectant. Neque speciale est in hoc prædicamento constitui ratione diuersi modi concipiendi easdem entitates sub diuersis prædicamentis, quia actio, & passio sunt eadem impartibilis entitas physice loquendo, & tamen ex diuerso modo quo considerantur sub diuersis collocantur prædicamentis. Similiter duratio supra entitates vagantes per omnia prædicamenta, tantum addit connotationem quandam ad motum realem, vel possibilem, per quem tempus constituitur, ratione cuius connotationis, prædicamentum speciale constituit: ergo ratione similis connotationis, quam dicit entitas relata, & ratione vnitatis, & ordinis, quæ consideratur in rebus distinctis ad diuersa prædicamenta, potest constituere speciale prædicamentum, etiam si ex se connotatione seclusa ad vnum, vel plura, ex reliquis prædicamentis spectet.

Instat Noster Albertinus in prædic. ad aliquid quest. 6. conclus. 1. Si relatio nihil dicit præter fundamentum, & terminum, sequitur nihil esse respectuum in hoc prædicamento, quia fundamentum ex se, album, v.g. antequam adueniat terminus, absolutum est, terminus adueniens, aliud videlicet album, eiusdem rationis est cum fundamento præexistente: ergo similiter est absolutum: ergo si nulla alia affurgit entitas aliquo modo distincta à fundamento, & termino, nihil datur in relatione similitudinis præter duas entitates omnino absolutas: ergo nihil respectuum inuenitur in hoc prædicamento, & quod verè sit ad aliquid. Respondeo verum esse in relatione prædicamentali nihil reperiri, quod realiter, & intrinsecè sit respectuum prædicamentali secundum se, sed ad summum transcendentaliter, sed tantum dicere aggregatū quoddam entitatum absolutarum, quod reale est, & quatenus per modum vnius significatur, concipitur à nobis vt respectui, & ideo dicimus relationes prædicamentales esse reales, licet realiter non dentur eodem modo, quo concipiuntur, per modum vnius respectus inter vtrumque terminum.

Obiicit secundò, Sequi ex hac doctrina relationem non esse vnum per se, sed vnum per accidens, & ita non posse speciale prædicamentum constituere Resp. relationem esse

S. IV. Argumenta soluta.

Primò obicitur, secundum hanc sententiam de medio tolli prædicamentum relationis, quia si relatio identitatis identificatur cum fundamento, & termino, cum fundamentum, & terminus sint substantia, relatio identitatis ad substantiam prædicamentū pertinebit: similiter si relatio æqualitatis non distinguitur ab vtroque extremo, extrema sunt quantitates, & ita relatio æqualitatis ad quantitates spectabit: ergo nulla dabitur relatio, quæ speciale prædicamentum constituit. Respondeo relationem nunquam esse substantiam, aut quantitatem, aliamve entitatem, quæ tantum ad vnum prædicamentum pertineat, quia relatio identitatis inter Petrum, & Ioannem non tantum importat vtrumque substantiam, sed etiam durationem, ratione cuius inter se coexistunt, duratio autem distinctum prædicamentum constituit à prædicamento substantiæ. Relatio æqualitatis inter duo quanta præter duas quantitates, & durationes earumdem quantitarum, ratione quarum coexistunt, dicit extensiones quantitarum, quas aliqui ad qualitatis prædicamentum attinere dicunt, & alij probabilis, qui extensionem à præsentia non distinguunt ad prædicamentum ubi. Omnes ergo relationes dicunt diuersas entitates ad diuersa prædicamenta spectantia, quæ formaliter considerantur per modum vnius ordinis, & respectus, sub qua consideratione, & diuerso modo, quæ respiciuntur, constituunt vnum tertium prædicamentum distinctum ab illis, ad quæ entitates, ex quibus constituitur relatio, spectant. Neque speciale est in hoc prædicamento constitui ratione diuersi modi concipiendi easdem entitates sub diuersis prædicamentis, quia actio, & passio sunt eadem impartibilis entitas physice loquendo, & tamen ex diuerso modo quo considerantur sub diuersis collocantur prædicamentis. Similiter duratio supra entitates vagantes per omnia prædicamenta, tantum addit connotationem quandam ad motum realem, vel possibilem, per quem tempus constituitur, ratione cuius connotationis, prædicamentum speciale constituit: ergo ratione similis connotationis, quam dicit entitas relata, & ratione vnitatis, & ordinis, quæ consideratur in rebus distinctis ad diuersa prædicamenta, potest constituere speciale prædicamentum, etiam si ex se connotatione seclusa ad vnum, vel plura, ex reliquis prædicamentis spectet.

Instat Noster Albertinus in prædic. ad aliquid quest. 6. conclus. 1. Si relatio nihil dicit præter fundamentum, & terminum, sequitur nihil esse respectuum in hoc prædicamento, quia fundamentum ex se, album, v.g. antequam adueniat terminus, absolutum est, terminus adueniens, aliud videlicet album, eiusdem rationis est cum fundamento præexistente: ergo similiter est absolutum: ergo si nulla alia affurgit entitas aliquo modo distincta à fundamento, & termino, nihil datur in relatione similitudinis præter duas entitates omnino absolutas: ergo nihil respectuum inuenitur in hoc prædicamento, & quod verè sit ad aliquid. Respondeo verum esse in relatione prædicamentali nihil reperiri, quod realiter, & intrinsecè sit respectuum prædicamentali secundum se, sed ad summum transcendentaliter, sed tantum dicere aggregatū quoddam entitatum absolutarum, quod reale est, & quatenus per modum vnius significatur, concipitur à nobis vt respectui, & ideo dicimus relationes prædicamentales esse reales, licet realiter non dentur eodem modo, quo concipiuntur, per modum vnius respectus inter vtrumque terminum.

Obiicit secundò, Sequi ex hac doctrina relationem non esse vnum per se, sed vnum per accidens, & ita non posse speciale prædicamentum constituere Resp. relationem esse

esse vnum per accidens unitate physica, non tamen unitate logica, quia etsi physice relatio plures entitates importet, logicè hæc omnes entitates considerantur per modum vnius simplicis entitatis, & hæc ratione consideratæ possunt constituere prædicamentum distinctum à reliquis ad quæ pertinent entitates, ex quibus relatio confurgit. In istis similè unitatem posse considerari in pluribus aliis aggregatis, in musica, vel exercitu, quæ ratione talis unitatis possent alia prædicamenta constituere. Resp. non esse tantum fundamentum, quantum est in aggregato, cui tribuitur relationis unitas, in aliis aggregatis, vt unitas logica illis concedatur, ratione cuius specialia instituant prædicamenta, quia in relatione plures iudicantur reperiiri unitatem quædam physicam, quod etsi verum non sit in mea sententia, arguit maximum fundamentum ad unitatem logicam concipiendam. Adde omnes unitates, quas in aliis aggregatis possumus considerare ad relationem reduci, unitas enim exercitus consistit in certa approximatione, & distantia, & ordine rerum, ex quibus exercitus componitur. Similiter unitas musica consistit in quadam consonantia, & proportionem vocum, quæ omnia ad relationem reducuntur, vel formaliter consistunt in relatione equalitatis, & inæqualitatis, similitudinis, & dissimilitudinis, approximationis, & distantie. Vltimò dico idem argumentum fieri posse contra prædicamentum habere, quod consistit in quadam rerum aggregato, quarum extrinseca, seu logica unitate voluit Aristoteles speciale prædicamentum constitui, non metaphysicè aliqua ratione ductus, sed prudenter quadam conuenientia, quæ mensuram habet nimis latam, iuxta quam plura, vel pauciora potuerunt ab Aristotele assignari, vt saepe monui.

32 Obiicies tertio: Relatio dicit fundamentum, & terminum, & rationem fundandi: ergo deficiente quolibet horum deficit relatio: ergo transactio primo instanti generationis non manet relatio, siquidem non manet ratio fundandi illam, cum qua inadquarè identificatur. Idem argumentum fieri potest, etiam si admittatur relatio superaddita, quia relatio durat toto tempore, quo durat substantia genita, & substantia generans: ergo durat relatio sine ratione fundandi, à qua necessariò dependere debet. Resp. in primo instanti generationis paternitatem physicè, & realiter existere secundum se totam, in reliquis autem isto transactio paternitatem esse denominationem quamdam moralem moraliter existentem, ex vi cuius substantia, quæ genuit dicitur pater, sicuti dicitur peccator homo, qui peccauit transacta iam actione peccaminosa, & dicitur fur, qui furatus est etiam transactio furto, præcipuè cum loco actionis generatur, Deus alia substituit, quæ terminu genitum conseruet, & quæ vices gerat generationis iam transactæ, loco cuius subrogatur. Laxius etiã transacta substantia, quæ genuit solemus substantiam genitam dicere esse filium. Sic Petrum appellamus filium Ioannis iam emortui, & contra solemus vocare Francisc. Patrè Ioannis, qui non est, sed fuit sed loquutiones hæc non sunt Philosophicæ, homo enim, qui non est simpliciter, non potest esse talis, neque Pater, aut Filius dici, ubi autem non est filius, non est cuius sit pater, & ita, neque pater potest esse, aut è contra.

PUNCTUM V.

An relatio terminetur ad absolutum, vel ad respectum.

1 IN nostra sententia, quæ relationes prædicamentales constituit in aggregato entitatum, quæ in se sunt absolutæ, quæstio terminis euolutis locum non habet, quia cum in re nihil detur intrinsecè respectuum, neque ex parte obiecti cogniti detur aliqua formalitas, quæ in se intrinsecè sit respectus, non potest secundum hanc sententiam dari terminus respectus, qui non est. Secundo relatio in hac sententia formaliter inuoluit, id quod fundamentum, & quod relationis dicimus esse terminum: ergo nihil habet ad quod referatur, si terminus, qui se tenet ex parte constitutui relationis ad se ipsum referendus non est. Sit ergo ratum secundum nostram sententiam propriè non dari terminum, neque terminationem relationis, quam non constituit in respectu aliquo adæquatè distincto à termino respiciendo. Ex modo nostro concipiendi, quo per modum respectus apprehendimus aggregatum rerum absolutum

terminum apprehendimus actu terminantem non vt respectum, sed vt absolutum, quia ex parte termini relationis quam dicit hoc album ad illud, non apprehendimus vtrūque album, sed illud cui dicimus hoc esse simile, sicuti ex parte fundamenti nudam entitatem absolutam apprehendimus, cui relationem superuenire concipimus. In sententia aliorum, qui relationes superadditas concedunt, quid alij senserint, & quid sentiendum sit meum explicare non erat, cui sat est iuxta propria principia propriamque sententiam rem componere, verumtamen ad pleniorum huius rei notitiam rem breuiter tractabo.

3 Mens fuit Caietani 1. p. q. 13. a. 7. omne relatum, etiam non mutuum ad relatum terminari, cumque in non mutuis, ex parte termini nullam relationem inueniat, ratione cuius terminus aliis extremi relationem excipiat, asserit ipsam relationem tenentem se ex parte fundamenti, & quæ in se terminatur, esse rationem tenentem se ex parte termini, ratione cuius eademmet relatio terminatur. Sententiam hanc facili negatio ferè omnes reiciunt, quia nihil potest ad se ipsum referri, neque esse rationem terminandi se ipsum: ergo relatio tenens se ex parte fundamenti non potest se ipsam respicere, vt tenentem se ex parte termini, neque esse rationem se ipsam terminandi. Secundo: Fundamentum, & terminus supponatur ad relationem, & ex illis confurgit in opinione, in qua procedit quæstio: ergo relatio non se tenet ex parte termini, aliàs eadem ad se ipsam supponeretur, & esset se ipsa prior, quia in illo priori, in quo terminus præcedit relationem intelligeretur ipsa relatio, quæ est posterior termino: ergo relatio esset seipsa prior & posterior.

3 Afferunt aliqui terminum formalem relationis non mutuum esse relationem rationis tenentem se ex parte termini qui relationem non fundat. Subsistere nequit hic dicendi modus, quia relatio realis non mutua independentè à fictione nostra habet suum esse: ergo independentè à fictione nostra terminum respicit: ergo etiam si nulla intercedat fictio terminatur, & est id, per quod terminatur: ergo non terminatur per ens rationis tenens se ex parte termini realis materialis, cum ens rationis, fictione seclusa existere nequeat.

4 P. Fonseca lib. 3. Metaph. c. 15. q. 5. sect. 4. non nihil præcedentem sententiam attemperauit, & docuit terminum relationis non mutuum esse relationem rationis, non secundum existentiam actualem obiecti, quæ tunc est quando ab intellectu concipitur, sed secundum conuenientiam, eo modo, quo homo est animal rationale, etiam si non existat. Sententiã hanc solidè impugnatur N. Soar. sect. 17. n. 11. Quia quod hoc modo alicui conuenit, non conuenit actu, sed tantum in potentia, cum enim de homine non existente dicimus esse animal, illud esse non est actuale physicum, sed tantum obiectiuum, & possibile, importans necessariã connexionem prædicati cum subiecto, quæ connexio tantum dicit hominem non posse non esse animal, ex suppositione quod existat, seu futurum esse animal si existat. Rursus modus ille conueniendi per connexionem necessariam reperiri nequit inter prædicata accidentalitè, sed tantum inter essentialitè identificata cum physica rei entitate, quam existere repugnat sine prædicatis, quæ hac illi ratione conueniunt. Sed vt bene arguit Soar. ex ipso Fonseca. relatio rationis accidentalitè conuenit Deo, & cuiusque termino, quæ relatione non mutua tangitur: ergo relatio rationis non potest tali termino prædicta ratione conuenire.

5 Noster Albert. supra q. 9. n. 6. aliter Fonseca sententiam interpretatur, quam ipse amplectitur. Afferit mentem huius Doctoris esse terminum in se absolutum terminare relationem immediatè quatenus capax est fundandi relationem rationis à nostro intellectu fictam, cui fundamentum tribuit ad talem relationem fingendam. Hunc dicendi modum non ex Fonseca, sed ex aliorum mente refert Soar. supra, n. 10. quem sic refellit. Entitas, vt proximè potens fundare relationem, & vt præbens fundamentum intellectui, vt illam fingat, antequam illi contingat relatio, adhuc est omnino absoluta: ergo terminum tangi relatione reali quatenus immediatè potest fundare relationem rationis est illam terminare vt in se est absolutus, & non vt respectus. Concluditur ex his relationes non mutuas necessariò referri ad absolutum, quia nihil respectuum reperitur ex parte termini, quod possit relatione tangi, quod possit esse formalis ratio illam terminandi.

6 Venio iam ad relationes mutuas, in quibus Thomistæ, Ec 4 qui

qui defendunt relationes non mutuas terminari ad respectum, idem potiori ratione affirmant de mutuis relationibus. His adde Ferrar. Nymph. Hilsal. apud P. Soar. supra sect. 16. n. 4. qui affirmant relationes mutuas ad respectum terminari, etiam si non mutue ad absolutum terminentur. His consentit Rub. c. 7. ad aliquid q. 7. n. 64. Arriag. supra sect. 11. n. 58. asserit relationem similitudinis huius albi ad respectum, quia non tantum refert parietem, ut similem quia una similitudo alij similis est. De hoc non contendo cum Arriagá, quia non ad rem, certum enim est relationem referri ad respectum, quatenus relatio comparatur cum alia relatione quæstio est an subiectum media hac relatione respectuum respiciat, an absolutum, seu an hæc relatio præcisè, ut hoc album alteri albo simile constituat, debet attingere terminum respectuum independentem ab hoc, quod ipsa similis constituatur.

7 Scotus cum suis Capr. ac Soncin. apud Soar. supra n. 5. asserunt omnes relationes prædicamentales, etiam mutuas referri ad absolutum. Consentunt Soar. ibid. n. 14. & Hurt. disp. 15. Metaph. sect. 7. Vall. in prædic. ad aliquid, q. 11. c. 9. quibus subscribo: verumtamen, antequam sententiam hanc probem, placet subtilem quandam opinionem nostri Albertini expendere.

8 Docuit Albertinus in Prædic. ad aliquid, quæst. 8. relationem posse tripliciter considerari. Primò, ut est aliquis effectus, qui producitur a sua causa, & ut sic, dicit relationem transcendentem ad suam causam, sicut reliqui. Secundò ait Albertinus posse considerari, ut est ratio, quæ refertur fundamentum absolutum, & specificatiue relatiuum ad suum terminum, v. g. quatenus paternitas refert generantem ut generantem formaliter ad esse genitum, in quo casu generans, quamvis sit affectum paternitate non tamen refertur formaliter ut Pater, sed ut generans, stat autem sub paternitate specificatiue, sicut vnio vnit materiã cum forma, quatenus materia stat sub vnione specificatiue, non autem reduplicatiue, quia materia est, quæ ut potentia facit vnum per se cum forma, & non ut vnio, non autem faceret vnum per se nisi esset vnita. Tertiò potest concipi relatio paternitatis, quatenus refert generans, ut ut patrem, formaliter, & reduplicatiue, in quo casu generans potius se habet quasi materialiter. Concludit ex his relationem consideratam primo, & secundo modo referri ad absolutum, & tertio modo consideratam ad respectum referri. Ne subtili sententiæ propriis verbis quidquam detraherem, illam authoris verbis retuli.

9 Mitto relationem primo modo consideratam, quia sub illo respectu ad hanc quæstionem non spectat, & sub illa consideratione ut bene docet Albertinus eadem est ratio de illa, ac de quocumque alio effectus. Secundum, & tertium modum in relatione præcendere mihi difficile est. Asserit Albertinus secundo modo relationem esse rationem referendi fundamentum absolutum, & specificatiue relatiuum ad suum terminum, in quo casu refert formaliter generans, ut generans, & non ut patrem ad esse genitum, licet stet sub paternitate specificatiue. Rem examino: Relatio hoc secundo modo ideo potest dici referre fundamentum formaliter, ut patrem, quia non illud afficit, ut præsuppositiue patrem, ita ut cadat ipsa supra fundamentum constitutum in esse patris. In quo sensu nunquã paternitas refert patrem, ut patrem, quia nunquam cadit supra subiectum constitutum in esse patris, vel dicitur non referre fundamentum ut patrem, sed ut generans, quia non solum non supponit constitutum in esse patris, sed neque fundamentum, ut affectum relatione hoc secundo modo intelligitur in esse patris formaliter constitutum, & hoc implicat, quia paternitas eo ipso, quod fundamentum afficiat, & illud referat, illud constituit in esse patris, & ut tali ratione relatum est formaliter pater absque vlllo alio respectu superaddito, nõ enim potest paternitas non constituere patrem subiectum quod afficit, neque potest illud generans constituere, sed illud, quod inuenit generans, & cui ut generanti accidit constituit formaliter patrem, & illud ut patrem formaliter refert, non præsuppositiue, sed constitutiue, quia idem est formaliter paternitatem referre subiectum, quod supponit generans ad substantiam genitam, ac illud formaliter patrem constituere.

10 Ex hoc infero præcendi non posse duplicem illum modum posteriorem assignatum ab Albertino, quo asserit relationem referre suum effectum, quia quod ait de tertio modo paternitatem referre generantem, ut patrem for-

maliter reduplicatiue in quo casu generans potius se habet quasi materialiter, semper conuenit paternitati, quæ refert necessariò fundamentum, quod pro materiali supponitur, quia paternitas semper in esse patris constituitur, & non in esse generantis, alias paternitas esset generatio, neque in alio sensu dici potest paternitatem referre fundamentum, ut patrem formaliter reduplicatiue, quia paternitas nunquam supponit fundamentum, ut partem formaliter, alias paternitas, paternitati accederet, & ante illam partem formaliter intelligeretur; sed illud tantum supponit ut generans, & constituit per se ipsam formaliter, & reduplicatiue ut patrem. Exemplum, quod adducit Albertinus de vnione, nõ suam doctrinam, sed meam impugnationem stabilit, vnio enim nunquam supponit materiam formaliter vnitam, & semper illam formaliter ut vnitam constituit, & non habet alium modum repiciendi materiã, neque illam ad formam ordinandi: ergo paternitas nunquam supponit fundamentum ut patrem, sed semper illud formaliter ut patrem constituit, & non habet alium modum repiciendi subiectum, neque illud ordinandi ad terminum.

Sto sententiæ, quæ asserit relationem omnem, etiam mutuas, terminari ad absolutum, cuius rationem à priori doctè reddit Soar. supra sect. 19. num. 18. Id quod in vno principio est ratio fundandi propriam relationem, est ratio eandem in altero terminandi. Sed principium propriæ relationis illam fundat secundum esse absolutum: ergo terminus illam terminat secundum esse absolutum. Probatur maior. Ratio fundandi est illa, per quam redditur ratio cur hoc fundamentum referatur ad illud terminum, & ratio terminandi est illa, per quam redditur ratio cur terminus terminet hæc relationem respectu illius termini, sed eadem ratio redditur propter quam vnum extremum referatur ad alterum, & propter quam alterum terminet eandem relationem: ergo ratio propter quam vnum extremum fundat relationem, & est eadem cum illa, propter quam extremum alterum eandem terminet. Minor probatur inquirenti cur hic paries referatur ad illum relatione similitudinis, dicimus, quia est albus: & in inquirenti cur paries, ille terminet relationem huius, nõ respondemus, quia in se relationem habet, seu quia hic habet relationem ad illum, sed quia ille in se est albus: ergo eadem ratio redditur ex parte vtriusque extremi, propter quam hoc relationem habeat, & alterum terminet, eandem: ergo in se est eadem ratio fundandi, & ratio terminandi: sed ratio fundandi est absoluta: ergo & ratio terminandi absoluta est. Idẽ continet in relationibus secundi generis, in quibus si rogemus cur Petrus fundet relationem paternitatis ad Ioannem, dicemus, quia Petrus Ioannem genuit, & si inquiremus cur Ioannes terminet relationem paternitatis in Petro, dicemus, quia Ioannes fuit à Petro genitus: ergo eadem ratio, quæ in vno est ratio fundandi, in altero est ratio terminandi.

Secundò probatur eadem conclusio. Relatiua sunt simul natura, & vnum relatiuum non est prius alio, ut docuit Aristot. ergo relationes, ex vi quarum constituuntur mutua relatiua non habent ordinem prioris, & posterioris: si enim relationes talem ordinem haberent, eundem seruarent relata per illas constituta formaliter ut relata: ergo vna relatio non confurgit ex alia: ergo vna relatio non se habet per modum termini formalis respectu alterius, quia relatio necessariò confurgit ex fundamento, & termino. Confirmatur: Omnis relatio supponit terminum formalem quæ respicit: ergo si paternitas respicit ut terminum formalem filiationem, paternitas supponit filiationem, & est illa posterior, & filiatio prior. Rursus filiatio supponeret paternitatem, & paternitas esset prior filiatione & filiatio posterior: ergo paternitas esset prior, & posterior respectu filiationis, & filiatio prior & posterior respectu paternitatis.

Tertiò in relatiuis non mutuis terminus absolutus est capax terminandi relationem: ergo in mutuis non requiritur ex parte termini relatio ad terminandam relationem aliis extremis. Communis solutio est disparere esse rationem in relatiuis mutuis, & non mutuis, quia in his nulla inuenitur relatio ex parte termini, ex vi cuius possit terminare, in aliis verò, cum vtrumque sit relatiuum, vtrumque potest ratione propriæ relationis, relationem aliam terminare. Si argumentum attentè inspicatur modò me propositò collabitur hac solutio illi satisfieri nõ posse. Quia nõ immediatè intèdo probare ex eo quod nõ deest relatio ex parte termini relationis nõ mutue nõ posse dari

ex parte extremi relationis mutue, sed tantum infero: terminus non relatus valet terminare relationem non mutuatam: ergo etiam si terminus relationis mutue non mutuo referretur, posset eandem relationem terminare: ergo non requiritur relatio ex parte extremi mutuo relati ad terminandam relationem: ergo hæc non se tenet ex parte termini: quod enim non requiritur superfluum est ad terminandum, & independenter ab illo fit relationis terminatio.

14 Obiicitur primò, ex Caietano: Paternitas Ioannis non terminatur ad Petrum, ut filius est formaliter, sed ut est genitus: ergo prius natura est Ioannis pater, quam habeat filium, quod nemo non ridebit. Consequentia probatur: Petrus prius natura est homo, & est genitus, quam sit filius: ergo Ioannes prius natura est pater, quam Petrus sit filius. Respondeo negando quod in primo antecedenti sumitur, & hanc ultimam consequentiam, quæ sebat in illius confirmationem. Paternitas enim Ioannis relata ad Petrum ut genitum, est posterior Petro ut genito, & Petrus ut genitus est prior paternitate Ioannis à quo genitus est. Si tamen comparatur Ioannes ut pater cum Petro, ut filio, seu paternitas Ioannis cum filiatione Petri, nulla inuenitur prioritas, aut posterioritas inter hæc extrema, quia ex eisdem principiis & fundamentis oritur paternitas Ioannis, & filio Petri absque ulla dependentia paternitatis à filiatione, seu filiationis à paternitate. Ex hac doctrina solum manet aliud argumentum, quod pro opposita sententia peti solet ex similitudine relatiuorum, quorum vnum non est prius altero, quæ optimè componitur si respectu terminetur ad absolutum, & componi non posset, si ad respectum terminaretur, ut pro nostra sententia supra arguebam.

15 Secundo obiicitur ex P. Rub. n. 65. Oppositio relatiua inuenitur inter relatiua formaliter ut relatiua sunt: ergo mutua relatio includit essentialiter mutua oppositionem relatiuam: sed mutua oppositio relatiua essentialiter includit utramque rationem referendi, & terminandi: ergo utrumque officium exercent relatiua per relationes, & non per fundamenta absoluta. Resp. distinguendo primum antecedens: quodlibet relatiuum formaliter ut relatiuum opponitur cum alio secundum id, quod dicit absolute tanquam rationem terminandi, & fundandi propriam relatione concedo: Quodlibet relatiuum opponitur cum alio formaliter ut relatiuum subdistinguo: opponitur immediatè cum illo ut relatiuum, quia opponitur cum fundamento, ex quo oritur relatio, concedo: quia immediatè opponitur cum relatione termini formaliter sumpta in se ipsa, nego. Deinde distinguo consequens: ergo mutua relatio includit essentialiter mutua oppositionem, includit oppositionem utriusque extremi ad aliud modo explicato in antecedentis distinctione, concedo: includit oppositionem utriusque extremi ad alterum immediatè formaliter ut relatiuum, nego. Postea in minori illa, sed mutua oppositio includit utramque rationem referendi, & terminandi, distinguenda est dictio terminandi: terminandi secundum esse absolutum, concedo: secundum esse respectuum, nego: & ultimò neganda est ultima consequentia, quia inferitur: ergo utrumque officium exercent relatiua per relationes, & non per fundamenta.

16 Instat P. Rub. relationes essentialiter sunt rationes referendi: ergo mutua relationes mutuo se respiciunt: ergo mutuo se terminant. Concedo primum antecedens, & nego priorem, & posteriorem consequentiam, quia relationes non dicuntur mutue, quia mutuo respiciantur, neque quia hæc aliam respiciat, sed quia inueniuntur in utroque extremo, & quid extrinsecum est cuiuslibet relationi esse mutua quia illi est extrinsecum dari in termino relationem aliam, quæ huius fundamentum respiciat.

17 Arguitur rursus: Relationes diuine referuntur ad respectum: ergo relationes creatæ ad respectum etiam referuntur. Nego consequentiam, & disparitatem reddo. Relationes diuine non distinguuntur realiter à fundamento relati, potius pater, & filius, qui referuntur formaliter constituntur per ipsas relationes, in creatis autem relatio est superaddita fundamento, & filius creatus, qui producit, non producit à substantia generante formaliter ut filius est, sed postquam est productus à suo principio, resultat relatio superueniens genito iam in esse geniti constituto. Pater autem æternus producit Verbum formaliter ut filiū, cui Verbo non accedit relatio filiationis postquam est genitum, sed potius per ipsam generationem passiuam consti-

tuitur in esse filij, & non est prius esse genitum, quam esse filium aliqua prioritate reali originis, imo in multorum sententia adhuc formaliter per intellectum distinguere non possunt in Verbo passiuam generationem, & filiationem eiusdem Verbi.

18 Ultimò obiicitur Arist. c. 7. de relatione ubi asserit, quod si à seruo auferantur omnia alia, relicto autem quod seruus sit, ad illum domini relationem esse terminandam, & hanc relationem non posse subsistere, etiam si reliqua omnia remaneant, si à seruo auferatur hoc, quod est esse seruū. Ex quo inferunt authores oppositæ sententiæ totam rationem terminandi relationem quam dicit dominus ad seruum esse seruitutem. Resp. hoc non inferri ex Aristotelis doctrina, quia cum dixit relicto in seruo hoc, quod est esse seruū, reliquis omnibus circumscriptis ad illum esse relationem terminandam, non dixit relinquendam esse solam seruitutem, sed seruum in concreto, quod dicit seruitutem, & subiectum absolutum talis seruitutis, quod sufficiens est ad relationem terminandam, dixit autem Aristoteles seruum esse relinquendum, quod dicit subiectum, & seruitutem, etiam si hæc non terminet relationem domini, quia illum infert eo modo, quo vnum relatiuum inferitur ex alio, & valet consequentia, est dominus: ergo est seruus, & è contra. Similiter cum dixit reliquis omnibus circumscriptis ex eo, quod maneat hoc, quod est esse seruum, manere terminum relationis, non dixit solam seruitutem esse permanentem, sed seruitutem, & subiectum, hoc ut terminum relationis, illam tanquam quid, ex quo hæc inferitur.

PUNCTUM VI.

Nonnulla expediuntur de relatione.

1 PRIMò inquiri potest quot sunt species relationis: videtur enim in nostra sententia tot esse quot sunt res, quia si relatio identitatis, nihil aliud est præter extrema, relatio identitatis inter duos homines erit diuersa in specie à relatione identitatis inter duos equos, & relatio diuersitatis inter hominem, & leonem erit specie diuersa à relatione diuersitatis inter equum, & canem. Respondeo absque ulla inconuenienti posse totum hoc admitti, nihilominus distinctione esse vtendum, si enim sermo sit de relationibus materialiter sumptis rectè probatur facta: si verò de specie logica, prædictæ relationes specie non differunt, quia etiam sint res materialiter differentes considerantur omnes sub eadem ratione, ut patet in numero, qui non distinguitur ab unitatibus, neque hæ ab entitatibus, & tamen eiusdem speciei est quaternarius numerus hominum, & numerus quaternarius equorum.

2 Secundo inquiritur, an tertium genus relationis ab Aristotele assignatum pertineat ad hoc prædicamentum. Resp. negatiue, quia scientia, & alia relatiua, quæ ad hoc genus spectant per se ipsa referuntur, ac proinde relatio est illis intrinseca, & cum ipsis fundamentis identificata, quod proprium est relationis transcendentalis distinctæ à prædicamentali. Neque potest dici ex scientia, & obiecto resultare aliam relationem prædicamentalem, quia nullum est fundamentum, quod moueat ad talem relationem admittendam, & quia scientia non exigit obiecti existentiam, sed potest circa illud tendere ut existens etiam si sit purè possibile, vel chimericum, ex obiecto autem non existente, & actu scientiæ nulla potest prædicamentalis relatio assurgere. Posset dici relationem hanc confurgere ex scientia, & obiecto, quando hoc est existens, secus quando non est existens, sed hoc fundamento caret, quia nihil apparet in scientia, ratione cuius possit constituere relationem cum obiecto quando est existens, quam non constituat cum illo non existente, cum ipsa ex se non illud exigat existens, & eodem modo se habeat respectu illius existentis, & non existentis.

3 Tertiò inquiritur, quid sibi velit illud axioma *Ad relationem non datur per se motus*. Respondeo in nostra sententia apertam habere explicationem, quia cum dicamus relationem non esse aliquid distinctum à fundamento, & termino, nulla est ratio peculiaris, per quam ipsa producatur, ac proinde non datur motus ad illam, quia omnis motus includit intrinsecè actionem. In opinione, quæ relationes superadditas admittit, solet explicari de motu sensibilis, qui per sensus percipi possit qualis est motus progressiuus, motus alterationis secundum primas qualitates, & motus

motus accretionis quantitativæ. Posset etiam dici non dari per se motum ad relationem, quia etsi relatio realiter producat, non primario, & per se intenditur à natura: Pater enim, qui producit filium non intendit prouidere paternitatem, au filiationem, sed substantiam genitam, quæ producta resultat relatio paternitatis in substantia generante, & filiationis in substantia genita.

4. Quarto inquiritur, an relationes suscipiant magis & minus. Respondeo relationes identitatis, & diuersitatis, æqualitatis, & omnes relationes secundi generis non suscipere magis, & minus, quia esse eiusdem speciei, vel diuersæ, esse æquale, & esse partem huius, & filium illius in indiuisibili consistunt. De relatione inæqualitatis mihi certum est posse suscipere magis & minus, quia magis inæqualis est palmus vlnæ, quàm semivlnæ: inæqualitas enim consistit in excessu secundum extensionem, & maior est excessus vlnæ, quàm semivlnæ respectu palmi. De relatione similitudinis poterat esse nonnulla difficultas, nihilominus faciliè potest tota componi. Qui tantum censent esse similia illa, quæ eodem indiuisibili gradu qualitatis gaudent verbi gratia, duo alba vt quatuor, vel duo nigra vt tria, tenentur dicere similitudinem, non suscipere magis & minus, eadem enim ratione de similitudine, ac de æqualitate philosophari tenentur. Dissimilitudo, quæ huic opponitur magis, & minus suscipit, in hunc sensum, magis enim dissimile est album vt duo, albo vt octo, quàm albo vt quatuor. Qui ad similitudinem tantum requirunt conuenientiam qualitatum secundum speciem, possunt dicere maiorem, vel minorem conuenientiam in gradu, ad similitudinem non spectare, sed tantum dicere, æqualitatem in qualitate, vel possunt dicere augeri similitudinem, quo magis accedunt ad eandem intensiorem qualitatis, & hic est modus vulgaris loquendi, quo magis similia vocamus duo alba vt sex, quàm album vt duo, & album vt sex. Iuxta hunc dicendi modum dissimilitudo magis, & minus non recipit, quia tantum reperitur inter extrema, quæ habent qualitates specie distinctas.

5. Vltimò inquiritur, an possit dari conceptus communis omnibus relationibus. Respondeo affirmatiue, quod probò ex huius prædicamenti constitutione, & definitione relationis, & diuersitate specierum, quæ in ipsis relationibus reperitur. Ratio dubitandi, quæ in oppositum adducitur, hæc est. Relatiua definiuntur cuius esse est aliud: ergo ex parte relatiui intelliguntur omnia relatiua: ergo vt terminentur ad aliud, debent tantum terminari ad ea, quæ relatiua non sunt, si enim terminentur ad relatiua non erit terminatio ad aliud, sed ad idem. Multa communiter congerunt auctores, vt huic argumento satisfaciatur, à quibus abstineo, quia doctrinæ nihil, & falsidij plurimum afferrent. Respondeo breuiter ly *ad aliud* intelligendum esse per distributionem accommodatam, non enim omnia relatiua collectiue sumpta terminanda sunt ad aliud adæquatè ab illis distinctum collectiue sumptis; sed omnia distributiue sumpta ad aliud distinctum à quolibet illorum seorsim sumpto, seu distincto à proprio correlatiuo, eodem enim modo, quo in particulari relata ad aliud terminantur, eodem modo de relatiuo in communi intelligendum est illud ad aliud. Neque necessum est relatiuum terminari ad aliud materialiter adæquatè distinctum à ratione communi relatiui, sed formaliter, quia hoc modo nunquam idem respicit se ipsum secundum eandem rationem, quapropter cum dicimus relatiuum esse ad aliud, relatiua mutua bis in illo complexo collocamus, semel in recto ex parte huius concreti relatiuum, & iterum in obliquo ex parte extremi *ad aliud* quatenus sunt termini non ipsorum secundum eandem rationem, sed quodlibet sui correlatiui. Sic causa definitur à pluribus, *principium influens in aliud*, in qua definitione ex parte principij in recto omnes cause constituuntur, & tamen illud aliud includit causas creatas, in quas causam aliquam influere necessum est. Vltimò aduerto in nostra sententia adhuc non indigeri his solutionibus, quia cum relatio prædicamentalis in particulari non sit propriè ad aliud, sed quædam collectio entitatum, relatio in communi ad aliud non erit, sed tantum dicet ratio illa communis omnes entitatum collectiones confusè cognitas, vt tamen definitionem communem relatiuorum vt cuiusque teneamus oportet solutionem prædictam tradidisse,

CONTROVERSIA X.

De quarto membro diuidente quatenus dicit relationem transcendentalem.

RELATIO transcendentalis affinis est valde relationi prædicamentali, ideo ad hunc locum explicandam remissi naturam relationis transcendentalis, de qua agere proprium est Metaphysici, est enim affectio entis vniuersalissimè sumpti. Explicabo in hac Controversia naturam huius relationis, & quibus entitatibus conueniat definiri, ubi multa de connexionem, & relatione causarum cum effectibus, & effectuum cum causis.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit relatio transcendentalis, & quomodo differat à prædicamentali.

Explicata natura relationis in communi, si modo differentiam explicemus relationis transcendentalis vt distinctæ à prædicamentali, facile erit relationem transcendentalem definire.

Nonnulli apud P. Soar. disp. 47. Metaph. sect. 4. existimant relationem transcendentalem à prædicamentali differere ex eo; quod prædicamentalis petat necessariò terminum realiter existentem, & transcendentalis ferri possit in terminum purè possibilem. Differentiam efficaciter impugnat P. Soar. & cum eo Hurt. Arriag. & plerique recentiores. Actus intentionales intuitui in communi sententia, vniuersi extremorum, actio, ex vi cuius terminus producitur, in omnium sententia non possunt existere non existente actu termino, ad quem transcendentaliter referuntur seu cuius sunt relationes transcendentales: ergo de ratione relationis transcendentalis non est posse existere sine termino. Dices has relationes transcendentales non exigere terminum præcisè, quia sunt relationes transcendentales, sed quia sunt tales relationes. Contrà: eo ipso quod de relatione transcendentali in communi fit non exigere terminum, debet hæc ratio reperiri in qualibet relatione specialiter sumpta, quia quicquid est de essentia generis, est de essentia speciei, & differentia contrahens genus, & constituens speciem non potest genus destruere: ergo si de conceptu relationis transcendentalis in communi est non existere terminum non poterit dari relatio transcendentalis, quæ terminum actu existentem exigit. Sed dantur plures relationes transcendentales, quæ possunt existere illorum terminis actu non existentibus: ergo de conceptu relationis transcendentalis in communi non est non exigere terminum realiter existentem.

Respondebis de conceptu relationis transcendentalis esse non exigere terminum actu existentem ex vi illius conceptus communis, sed esse indifferentem vt ex vi propriæ differentie illum exigit, vel non exigit & ita different relatio transcendentalis, & prædicamentalis, quod relationi prædicamentali repugnet præcisè ex eo, quod fit prædicamentalis existere sine termino actu existente, & relationi transcendentali ex hoc conceptu vniuersali relationis transcendentalis non repugnet existere sine termino existente, licet ratione peculiaris differentie possit esse relatio transcendentalis, quæ sine termino actu existente existere non valeat. Admitto huiusmodi esse relationem prædicamentalem, & transcendentalem, verumtamen ex hoc capite, si aliunde differentiam non assignemus inter relationem transcendentalem, & prædicamentalem non poterimus vtrumque relationis genus adæquatè distinguere, quia secundum doctrinam traditam valebit consequentia: hæc relatio existit sine termino: ergo est transcendentalis, & non prædicamentalis, non tamen poterit inferri: hæc relatio non potest existere sine termino: ergo est prædicamentalis, quia relatio transcendentalis

transcendentalis ex conceptu communi relationis transcendentalis indifferens est, ut contrahatur per differentiam, quæ non exigit termini existentiam, vel per differentiam, cui repugnet existere sine termino, & datur relationis transcendentalis, quæ de facto non possunt existere sine termino, in quibus, si aliunde non cognoscatur differentia rationalis transcendentalis in communi à prædicamentali, non poterit cognosci, an illa connexio, quæ habent cum termino oriatur ex prædicato speciali talis relationis transcendentalis, vel ex prædicato constitutivo talis relationis prædicamentalis, & ita secundum hanc differentiam non posset impugnari, qui assereret actionem prædicamentalem terminum respicere, & connexionem inter actionem, & terminum oriri ex prædicato constitutivo relationis prædicamentalis, non vero ex constitutivo talis relationis transcendentalis.

3 Sentiant alij relationem transcendentalis, & prædicamentalem distinguere ex eo, quod subiectum prædicamentalem relatum secundum se sumptum possit existere sine prædicamentali relatione, & subiectum relationis transcendentalis non possit existere sine relatione transcendentali. Non acquiesco: quia creatura prædicamentalem refertur ad Creatorem relatione diversitatis, sine qua repugnat existere, quia relatio diversitatis, tantum dicitur extrema diversæ nature, quæ necessario existunt eo ipso, quod existat creatura, quia Deus ad illam supponit essentialiter existens: ergo datur relatio prædicamentalis, sine qua non potest existere subiectum prædicamentalem relatum. Si recules admittere relationem diversitatis creaturæ ad creatorem idem argumentum conficiam in relatione diversitatis, quam dicit actio ad principium actuum sine quo neque de potentia Dei absoluta nequit existere, & consequenter neque sine eo, quod refertur ad illud relatione diversitatis; quæ tantum consistit in coexistentia productionis, & principij productivi, quibus distincta essentialiter prædicata correspondunt.

4 Melius distinguitur relatio prædicamentalis à transcendentali ex eo, quod relatio transcendentalis adæquatè identificetur cum subiecto, quod dicitur relatum, & relatio prædicamentalis ab illo saltem inadæquatè distinguitur. Differentia hanc inter utramque relationem in re assignat Hurt. disp. 15. sect. 8. §. 9. vbi dicit differentiam esse clarum inter utramque relationem, quia relatio prædicamentalis est accidentaria immediato fundamento, quod potest à parte rei sine illa existere: si quod autem non potest, oritur aliunde. Impugnaui nuper hunc modum distinguendi relationem prædicamentalem à transcendentali, quia dantur fundamenta relationum prædicamentalem, quæ non possunt existere sine relatione: quod addit, videlicet quod si datur aliquod fundamentum, quod non possit existere sine relatione prædicamentali, hoc aliunde oriri, difficultatem non evadit, quia sicuti supra dicebam de connexionem relationis cum existentia termini, ad hoc ut cognoscamus hanc connexionem fundamenti cum relatione prædicamentali non oriri ex natura relationis prædicamentalis, debemus aliunde naturam huius relationis agnoscere, ac proinde ex hoc capite non poterit nobis innotescere differentia relationis prædicamentalis à transcendentali. Hæc contra modum loquendi Hurtadi: in re autem ab illo non dissentio, expresse enim ait Hurtad. relationem prædicamentalem, & transcendentalis in eo differre, quod relatio transcendentalis verè à parte rei est idem cum essentia fundamenti, & relatio prædicamentalis est extra essentiam fundamenti. Eandem distinctionem tradit disp. 12. sect. 2. & 3. quam diserte explicuit n. 10. vbi dixit relationem diversitatis creaturæ à creatore prædicamentalem esse, quia etiam si non possit à creatura separari præter ipsius entitatem dicitur Dei entitatem, ac proinde adæquata est essentialis creaturæ. Verumtamen non sibi constans videtur Arriaga, dum solutionem statim referendam subdit argumento quod iam subiectionis.

5 Obicit sibi Arriag. Relatio paternitatis, etiam si distinguatur à fundamento, & termino esset transcendentalis, & nihilominus esset essentialis fundamento proximo, nempe generationi à qua non posset separari: ergo non est de ratione relationis prædicamentalis non esse essentialis subiecto. Respondent Arriaga, relationem paternitatis in illo casu, vel posse comparari cum parte, vel cum ipsa generatione: Si comparatur cum homine, qui est pater, talis relatio prædicamentalis erit, quia ab illo potest separari: Si comparatur cum generatione, est transcendentalis, quia ab illa non potest abesse. Idem dicit esse de actione

quæ si comparatur cum causa est relatio prædicamentalis, quia ab illa potest abesse: si verò comparatur cum ipsa actione, est relatio transcendentalis. Contra hanc solutionem ad hominem contra Arriagam efficaciter arguo. Relatio similitudinis, quam habet creatura cum Deo prædicamentalis, etiam si non possit separari à creatura, quia distinguitur saltem inadæquatè ab ipsa creatura, ut expresse tradit Arriaga: ergo relatio paternitatis comparata cum generatione, casu quo esset modus superadditus inseparabilis à generatione esset relatio prædicamentalis, quia talis modus, seu talis relatio adæquatè distingueretur à generatione. Malè ergo, & parum consequenter affirmat Arriaga relationem similitudinis cum Deo inseparabilem à creatura esse prædicamentalem, quia inadæquatè distinguitur à creatura, & relationem paternitatis casu quo esset accidens superadditum non futuram relationem prædicamentalem respectu generationis, à qua adæquatè distingueretur, quia esset inseparabilis à creatura. Debebat ergo respondisse Arriaga consequenter ad sua principia, casu quo relatio esset accidens superadditum, paternitatem futuram relationem prædicamentalem, etiam respectu fundamenti proximi, principij videlicet generativi, & generationis, quia licet esset inseparabilis à generatione, ab illa distingueretur, opinio enim quæ asserit paternitatem esse accidens distinctum à fundamento, & termino, hoc accidens in quo consistit ratio formalis paternitatis, etiam ab ipsa generatione distinguitur, & asserit transacta generatione physice inherere principio, quod genuit, & denominatur Pater dum superstes est substantia genita. Illud etiam quod de actione tradit videlicet esse relationem prædicamentalem respectu principij actui iuxta omnes sententias falsum est, quia sententia, quæ constituit relationem prædicamentalem in accidenti superaddito tale accidens à principio actui, actione, & termino distinguitur: Qui asserunt relationem involuere fundamentum, & terminum nullam prædicamentalem relationem adæquatè identificatam cum simplici entitate, qualis est actio, possunt agnoscere. Qui verò defendunt relationem adæquatè esse identificatam cum fundamento tantum requirunt actionem, ut connotatum, ad hoc ut relatio, quæ erat quoad entitatem identificatam cum principio actui, incipiat esse quoad formalitatem: ergo in principijs nullius sententiæ dici potest actionem esse relationem prædicamentalem respectu principij actui. Concludo standum esse prædictæ differentie, & dicendum relationem transcendentalis à prædicamentali differre ex eo, quod transcendentalis adæquatè identificetur cum fundamento, & prædicamentalis adæquatè, vel inadæquatè ab illo distinguitur. In opinione verò connotantium, qui defendunt relationem prædicamentalem adæquatè cum fundamento identificari, & tantum indigere connotato extrinseco, ut sit quoad formalitatem, & formaliter relatum constituat, distinguere debent hæc relationes ex eo, quod prædicamentalis, quæ quoad entitatem est identificata cum fundamento, indigeat connotato extrinseco, ut sit quoad formalitatem; transcendentalis verò eo ipso, quod existat illius subiectum existit necessario, non solum quoad entitatem, sed etiam quoad formalitatem.

6 Contra hanc differentiam sic obiciunt nonnulli: sicut paternitas, quæ est prædicamentalis relatio accidit subiecto, & ab illo distinguitur, sic actus scientiæ, qui est relatio transcendentalis est subiecto accidentalis & ab illo distinguitur, & sicut relatio transcendentalis non distinguitur ab actu scientiæ, ita prædicamentalis non distinguitur ab ipsa paternitate: ergo siue respectus hi considerentur respectu entitatis, quas metaphysice constituit, siue respectu subiectorum, quæ afficiunt eodem modo se habent: ergo non possunt distinguere hi respectus ex eo, quod transcendentalis identificetur cum subiecto, & prædicamentalis ab illo distinguitur. Resp. duplex posse considerari subiectum relationis, unum, cui relatio physice inheret: aliud quod formaliter constituit relatum, seu quod relatum denominatur, quæ etsi in relationibus prædicamentaliibus non distinguantur, si relatio prædicamentalis accidens est superadditum, quia paternitas idem subiectum, quod afficit partem constituit, vel non reperiantur, si relatio à fundamento, & termino, quæ nullum habent commune subiectum, non distinguatur, in relatione transcendentali sæpe vtrumque subiectum reperitur, & vtrumque distinctum. Actus enim scientiæ, qui est prædicamentalis relatio intellectu inheret tanquam subiecto receptivo, relatio verò eum

illo

illo identificata non constituit intellectum relatum, sed ipsum actum scientiæ, qui per se ipsum ad obiectum refertur. Hac distinctione præmissa dicendum est relationes has distinguere ex diverso modo, quo se habent respectu subiecti, quod ex vi relationis dicitur relatum, cum quo semper identificatur transcendentalis relatio, & in quo prædicamentalis semper distinguitur, non verò per ordinem ad subiectum inhesionis, quod non constituitur relatum per relationem transcendentalem, in ordine ad quod recte probat obiectio utramque relationem eodem modo distinguere, non verò comparatione facta ad subiecta, quæ formaliter relata dicuntur.

7 Discrimen aliud inter utramque relationem tradit P. Soar. disp. 47. sect. 4. n. 9. ex Caiet. quod etiam adducit & probat N. Albert. de prædicamentis ad aliquid q. 5. videlicet relationem prædicamentalem referri ad terminum, ut purè terminum, & relationem transcendentalem non referri ad terminum, ut purè terminum, sed illum respicere sub aliqua determinata ratione vel subiecti, vel obiecti, vel efficientis, aut finis, quod convenit omnibus relationibus transcendentalibus: actio enim transcendentaliter ad terminum relata illum denominat productum, cognitio suum terminum formaliter cognitum constituit, & unio unitum, quæ omnes denominationes, & relationibus transcendentalibus tribuuntur ex eo præcisè quod illarum subiecta terminent relationes. Relationes verò prædicamentales nullam denominationem tribuunt propriis terminis, paries enim non præcisè ex eo, quod similitudinem terminet dicitur similis, sed ex eo quod illum fundet, neque substantia genita ex eo præcisè quod terminet relationem paternitatis, dicitur filius, neque aliam denominationem trahit ex hac terminatione præter denominationem puri termini.

8 Differentiam hanc impugnatur Hurt. disp. 15. sect. 8. n. 90. Cognitio respicit suum obiectum, ut purè terminum, & unio hypostatica attingit Verbum, ut purè terminum, & tamen sunt relationes transcendentes, ergo relatio transcendentalis, sicuti prædicamentalis, terminum ut purè terminum respicit. Respondet satis bene P. Soar. cognitionem denominare terminum cognitum, & unionem suum terminum constituere unitum, & hac ratione relationes has non respicere terminos, ut purè terminos. Instat Hurt. cognitionem respicere terminum, quem cognitum constituit, & unionem attingere terminum, quem formaliter reddit unitum esse genera respiciendi terminum, ut purè terminum, quia sicuti cognitio constituit terminum cognitum, ita similitudo constituit suum terminum similem, & sicuti prædicamentalis relatio similitudo physica, ita cognitio, quæ est transcendentalis relatio, & intentionalis similitudo. Resp. ex dictis, similitudinem physicam, quæ est prædicamentalis relatio non respicere terminum illum assimilando ex eo præcisè, quod relationem terminet, quia terminus similitudinis ex eo formaliter dicitur similis, quod eandem quam terminat, vel aliam eiusdem rationis similitudinem fundet, terminus autem cognitionis ex eo præcisè, quod terminet cognitionem, dicitur cognitus, sicuti unionis terminus, ex eo quod illius terminus sit dicitur unitus, & sic de omnibus aliis terminis relationum transcendentalium.

9 Contra eandem distinctionem, quam affirmat nunquam potuisse intelligere, obiicit Arriaga disp. 12. Logica sect. 4. n. 15. Relatio patris est relatio prædicamentalis, & tamen pater efficit aliquid circa filium, ergo relatio prædicamentalis non respicit terminum, ut purè terminum. Respond. concedendo maiorem, & distinguo minorem. Pater, ut pater est, efficit aliquid circa filium, nego minorem, ut principium productivum, concedo minorem, quia nec paternitas, neque pater, ut pater, aliquid efficiunt circa filium, potius paternitas, & consequenter pater, ut pater supponunt iam filium productum, qui tamen supponit principium productivum à quo formaliter procedit. Arguit insuper idem Arriaga. Creatura respicit Deum, ut purè terminum relatione transcendentali, ergo respicere terminum, ut purè terminum quid commune est relationibus prædicamentalis, & transcendentalibus. Resp. creaturam relatione transcendentali respicere Deum, non ut purè terminum, sed ut principium productivum à quo habet esse, & à quo essentialiter dependet. Verum est creaturam posse referri ad Deum, ut purè terminum relatione diversitatis, vel alia relatione distincta à transcendentali, quæ per se ipsam refertur, quæ fundetur in ipsa actuali productione, & in ipsa

entitate iam producta, sicuti fundatur relatio filiationis in substantia genita, sed huiusmodi relationes non sunt transcendentes, sed prædicamentales.

Levis quæstioncula suboritur, quam definire necesse est, ad prædictam differentiam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem defendendam. Ea est, an si relatio prædicamentalis est modus superadditus à fundamento, & termino distinctus, sit relatio transcendentalis sui ipsius, respectu termini, necne? Negat Hurt. supra 90. quia est accidentaliter fundamētum immediatum. Non eadem ratio, quia non est quæstio an sit transcendentalis respectu subiecti, cui inhaeret, iam enim supponimus prædicamentalem esse, sed an ipsa per se ipsam referatur transcendentaliter ad terminum, quem respicit, sicuti cognitio transcendentaliter refertur ad obiectum. Arriaga supra citatus numero decimo septimo asserit certum omnino esse relationes prædicamentales ex suppositione, quod sine accidentia superaddita, per se ipsas transcendentaliter referri ad proprium subiectum, & terminum, quia æque, in se, essentialiter, & per suam entitatem respicit relatio superaddita subiectum, & terminum, quàm cognitio suam obiectum, ergo sicuti cognitio transcendentaliter refertur ad obiectum, ita relatio transcendentaliter refertur ad obiectum, & ad terminum.

Assentior modo dicendi Arriagæ ex quo hæc oritur difficultas contra differentiam supra assignatam inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Relatio superaddita paternitatis si datur per se ipsam referatur ad terminum, cui nullam tribuit denominationem, ergo relatio transcendentalis refertur ad terminum ut purè terminum, ergo non potest stare differentia supra assignata inter relationem prædicamentalem, & transcendentalem. Posset dicere Paternitatem, ut est relatio transcendentalis non respicere terminum, ut purè terminum, quia illum respicit ut quid præsuppositum, & prærequiritum in ratione termini ad hoc ut existat subiectum transcendentaliter relatum per paternitatem ut relationem transcendentalem, videlicet ut existat ipsa prædicamentalis relatio quæ dicitur transcendentaliter relata. Eandem verò paternitatem, ut prædicamentalem relationem terminum respicere ut purè terminum, quia non illum respicit tanquam quid prærequiritum, ut terminus est, ut existat subiectum, quod prædicamentali denominatur relatum, nempe principium genitum, quod existit deficiente termino relationis prædicamentalis & deficiente ipsa prædicamentali relatione. Secundo posset responderi differentiam supra assignatam tantum intercedere inter relationes purè transcendentes, & prædicamentales ut prædicamentales sunt; illam verò relationem superadditam prædicamentalem respectu obiecti, quod formaliter refert, & transcendentalem respectu sui non esse purè transcendentelem, sed mixtam, & ita habere ex prædicamentali respicere terminum ut purè terminum, & ex transcendentali identificari adæquatè cum subiecto, quod dicitur transcendentaliter relatum. Cui enim sunt diversa subiecta, quæ constituit prædicamentali, & transcendentaliter relata, potest identificari cum subiecto transcendentaliter relato, & distinguere à subiecto relato prædicamentali: at verò eum eundem terminum prædicamentali, & transcendentaliter respiciat, non potest illum ut purè terminum, & non purè terminum respicere. Si prædictæ solutiones non placent facilius liberiusque responde de has relationes prædicamentales esse fictitias, & prædictam differentiam rectè assignari inter relationes transcendentes & prædicamentales, quas tua fert opinio, illorum enim erit, qui tales relationes prædicamentales, admittunt iuxta sua principia relationem prædicamentalem à transcendentali distinguere, non tuum, qui oppositam defendis sententiam.

Ex his differentiis aliæ minoris notæ oriuntur, videlicet relationem prædicamentalem non esse intentam per se à natura, sed quasi per accidens resultare transcendentelem verò esse per se intentam, cuius differentia in meis principis optima ratio redditur, cum enim prædicamentalis relatio consistat in rerum aggregato ad quod nulla actio immediatè terminatur, sed ad singulas entitates, quas in se continet, sic non per se fieri dicitur aut intendi, sed ratione entitatum, quas includit. Alia differentia est quod relatio transcendentalis per omnia prædicamenta vagatur, idè transcendentalis dicitur, quia transcendit.

transcendit formalitates aliorum predicamentorum; relatio vero transcendentalis vnum specie predicamentum constituit.

- 13 Ex his facile erit definire relationes transcendentales, seu relatiua transcendentaliter, quæ à relationibus non distinguuntur. *Relatum transcendentaliter est illud, quod respicit aliud non ut purè terminum, quod importat modum positum respiciendi aliud tanquam effectum, vel tanquam causam, vel tanquam subiectum aliis denominationis distinctæ à ratione termini seu terminantis.* Alio modo poterunt relatiua transcendentalia definiri: Relatiuum transcendentale est illud, quod per suam simplicem entitatem, & essentiam respicit aliud. Ex primo in definitione entitatem, & essentiam, quia sæpè essentialia vocamus illa, quæ indispensabiliter entitatem comitantur, etiam si ab illa distinguantur, sic dicere solemus dependentiam actualè creaturæ à Creatore esse essentialè creaturæ, etsi importet actionè superadditam distinctam ab effectu, qui essentialiter dependere dicitur. Alio modo relatio, seu relatum transcendentaliter est illud cuius simplex essentia nequit concipi sine alio. Quæ definitio sumitur ex differètiis suprà assignatis, eo enim ipso, quod respectus transcendentalis sit intrinsecus, & essentialis subiecto, v.g. visioni, aut unioni, quæ transcendentaliter refertur, nequit sine hoc respectu subiectum illud agnosci, cum verò respectus sine termino nequeat intelligi, sit subiectum relatum transcendentaliter cognosci non posse sine termino, ad què refertur. Neque id competit relationi predicamentali, quia illi nulla simplex essentia convenit, cum consistat in aggregato fundamèti, & termini, quod dicit essentiam fundamèti, & essentiam termini à fundamèto distincti. Desumitur etiam hæc definitio ex doctrina, quam tradit Caiet. l. p. q. 77. art. 3. vbi dicit terminum relatiui transcendentalis duo habiturum esse. Primum ut non sit intrinsecus rei, hoc est, ut distinguatur à relatione; secundum, ut sit internus definitioni, hoc est ut ingrediatur illius definitionem, ita ut hæc non possit dari, nec entitas quidditatiuè cognosci sine illo.

- 14 Vltimò aduerto hæc relationes transcendentales à pluribus non vocari absolute relationes, sed respectus, quia existimant nomen relationis tantum relationibus predicamentali-
bus, vel quasi predicamentali-
bus, sicuti sunt diuine relationes, cõpetere. Ob hæc forsitan ratione vulgò dicitur relatiua transcendentalia esse simpliciter entia absoluta, & ob eandem relatiua transcendentalia relatiua secundum dici forsitan non pauci appellat, quia quod nõ est predicamentali relatiu non dicitur habere relationem, sed respectu, quia tantum predicamentalis relationis absolute gaudet. Huc loquendi modum obseruat P. Vall. in paraphrasi tertiæ partis c. ad aliquid, cõnotat. 3. *Secundum diuisione.* vbi asserit relatiua secundum dici non esse relatiua, sed poni in aliis predicamentis, habere tamè habitudinè quandam ad aliud, & postea subdit relatiua secundum dici esse illa, quæ dicunt aliquid absolute cum relatione adiuncta. Exèplum adducit in scientia, quæ dicit qualitatè quandam, quæ sibi habet adiunctam relationem ad obiectu scibile. Quibus clarè docet relatiua transcendentalia, quæ vocat relatiua secundum dici non dicere propriè relationem ad terminu, sed habitudinè quandam, vbi distinguit habitudè seu respectu à relatione, quia non quicunque respectus, sed tantum predicamentalis absolute relatio dicitur. Desumpsit Vallius huc, loquendi modum ab Scoto, & Antonio Andrea quos ipse refert asserentes diuisionem in relatiua secundum esse hoc est predicamentalia, & secundum dici quibus transcendentalia cõprehenduntur quæ per alia predicamenta vagantur, non esse diuisionem relatiui, sed entis, quia cū alterum à mēbris diuidentibus, videlicet relatiua secundum dici, seu transcendentalia, relatiua non dicuntur, quia non ponuntur in speciali hoc predicamēto, ratio ab illis abstracta relatiua dici nequit. Eandem doctrinam expressè tradit P. Didac. Ruiz tom. de scientia Dei disp. 5. sect. 2. n. 5. vbi docet tantum relationes predicamentales, & quasi predicamentales, quales sunt diuine relationes simpliciter dici relationes; ibidemq; grauius Doctoru auctoritate intendit probare scientiā Dei dicere habitudinè seu respectu ad obiectu primariu, & non dicere relationem ad illud, & tom. de volunt. disp. 5. sect. 4. n. 4. asserit solum relationem predicamentale esse absolute relationem. Ab hac mēte non alienus videtur fuisse P. Soar. disp. 7. Met. sect. 4. vbi differētiā assignat inter relationem predicamentalem, & raro habitudinem transcendentalē relationem, & frequentissimè respectu transcendentalē appellat. Questio hæc tantum

Fr anc. de Ouedo, Philosoph. Tom. II.

est de modo loquendi, explicui naturam relationis predicamentalis, & transcendentalis respectus, seu habitudinis: an verò hæc transcendentalis habitudo dicenda sit relatio transcendentalis, vel tantum transcendentalis respectus, de nomine tantum est quæstio, in qua standum est loquendi modo, quem ex antiquis recepi, in quo multum defero Nostro Ruisio propter illius eruditionem, & in euoluendis scriptis antiquorum Patrum, & Scholasticorum supra omnes, quos nostra pertulit ætas, diligentiam.

PUNCTUM II.

An respectus transcendentalis possit esse ad ens non possibile.

Fert communis sententia respectum transcendentalem requirere terminum saltem possibilem, ita P. Valq. & alij plurimi, qui hanc tradunt differentiam inter relationem predicamentalem, & transcendentalem respectum: quod illa termino existenti gaudeat, hic verò possibilitate termini, quam necessarid exigit sit contenta.

Oppositam sententiam videlicet respectum realem transcendentalem posse ferri in terminum non possibilem, seu repugnantem defendunt Doctores non pauci Sconcin. 5. Metaph. q. 29. quam tradidit Philosophus 5. Met. text. 20. vbi asserit scientiam ad scibile referri, constat autem scibile sæpè esse ens rationis. Expressè sententiam hanc amplectuntur Greg. in 1. dist. 28. q. 2. Sconcin. 5. Metaph. q. 29. P. Soar. disp. 47. Metaph. sect. 4. n. 5. licet tantum id tradat de relatione, quæ ad aliud refertur per modum obiecti, P. Didac. Ruiz de scientia disp. 5. sect. 2. n. 13. & sæpè alibi P. Vallius de prædic. relationis c. 3. q. 6. Eam sententiam vt veram supponit P. Albertinus de prædic. ad aliquid q. 5. n. 10. P. Hurt. disp. 14. Physicæ sect. 2. n. 17. vbi hæc habet. *Respondet primo ad puram chimæram posse esse relationem realis entis transcendentalis.*

Ab hac sententia, quam verbis relatis tradiderat Hurt. verbis dilcedere voluit disp. 15. Met. sect. 9. § 101. vbi docet ex P. Valq. omnem relationem transcendentalem requirere terminum possibilem ea ratione quæ est terminus, addit § 103. *Prudens addidi in conclusione, nisi terminus sit possibilis ea ratione quæ est terminus,* præuidit enim cognitionem chimære transcendentaliter referri ad suum obiectum, quod possibile non est, quam obiectionem sic præoccupat dicendo cognitionem referri ad chimæram vt obiectum, non verò ad illam vt possibilem, ac proinde asserit terminum relationis, quam dicit cognitio possibile esse ea ratione, quæ est terminus non verò possibile esse in ordine ad existendum. Hurtadum in sua sententia promouit, & ad meam vel inuitum traho. Cognitio refertur ad chimæram secundum id quod ex parte Chimære terminat cognitionem, sed id quod ex parte Chimære terminat cognitionem est possibilitas, & existentia ipsius chimære, quia ego apprehendo chimæram possibilem esse, & actu existere: ergo refertur ad illam vt possibilem, & vt existentem. Possibilitas, & existentia chimære, est purum figmentum: ergo relatio transcendentalis, quam dicit cognitio respicit tanquam terminum formalitatè quandam, quæ est purum figmentum. Si dicas cognitionem referri ad possibilitatem, & existentiam chimære, quæ in ordine ad se repugnant, & sunt posibles in ordine ad terminandam relationem transcendentalè solutionem admittam, quia non est dicere chimæram esse possibilem sub aliqua ratione, quæ se teneat ex parte ipsius, neque possibilem esse formalitatem ad quam terminetur relatio transcendentalis, quam dicit cognitio, sed tantum dicitur formalitatem, quæ in se possibilis non est, posse terminare relationem realem transcendentalem, quod tantum intendunt authores asserentes respectum realem transcendentalem posse terminari ad obiectum in se repugnans.

Secundò contra Hurtadum arguo, & probo respectum realem transcendentalem posse respicere terminum, qui in se repugnet. Chimæra, quæ est impossibilis in ordine ad se, possibilis est in ratione obiecti, & in ratione termini relationis, quam dicit cognitio ad suum obiectum: ergo etiam si entitas sit impossibilis in ordine ad se, poterit esse possibilis in ordine ad terminandum quemcumque transcendentalē respectum. Si neges cognitionem referri ad obiectum, dicito, quidnam sit in cognitione esse cognitionem huius obiecti, & non illius, non posse

F f posse

posse ipsam cognitionem intuitivè, & expressè cognosci non cognito illius obiecto: repræsentare formaliter hoc obiectum, & non illud: hoc tantum est intrinsecum cognitioni; & est ad aliud: ergo est respectus transcendentalis. Similis huic respectus est, qui reperitur in virtute productiva ad effectum, quem potest producere, quia illum in se continet, & diverso modo se habet respectu illius, ac respectu alijs entitatibus, ignis enim antecederet ad omnem productionem est focus ad producendum calorem, & non producendam frigiditatem. Ex quo rectè infertur diverso modo se habere respectu caloris, quàm respectu frigiditatis, qui diversus modus se habendi est habitudo quædam, & certus ordo ad calorem, quem non habet ignis ad frigiditatem, cumque ordo iste intrinsecus sit, & identificetur cū igne, seu virtute productiva cuiusvis causæ, transcendentalis respectus dicitur. Eodem ergo modo dicitur cognitio hircocerui intrinsecum respectum dicere ad hircocerum, quia speciali modo se habet respectu hircocerui, quo non se habet respectu Hippocentauri, cū sit representatio hircocerui & non Hippocentauri. Urgeat: Siue cognitio dicat relationem transcendentalem, siue illam non dicat ad chimæram cuius est representatio, chimæra non existens, & repugnans terminat cognitionem: ergo sicut id quod in se non existit, & repugnat, potest esse terminus cognitionis, potest etiam esse terminus relationis. Vnde ergo existentiam, & possibilitatem ad terminandam relationem desideras, quam non exposcis ad terminandam cognitionem? fortius eadem conclusio probanda esset, ex eo quod quælibet virtus productiva creata existit independentem ab existentia, & possibilitate effectus, quem potest producere, & nihilominus retinet ordinem transcendentalem ad talem effectum, ex quo infertur ordinem transcendentalem existere independentem à possibilitate, existentia, seu repugnantia effectus, & consequenter talem ordinem exiturum etiam si effectus repugnet. Supersedeo tamen modò ab hac ratione, quia antecedit illud, videlicet virtutem productivam creatam existere independentem ab existentia, possibilitate, & repugnantia effectus, & adhuc retinere relationem transcendentalem ad illum, longa indiget probatione, quàm vberem, efficacemque præstabo Punct. 4. & præcedens conclusio fortius stabilietur. Secundo probabo eodem Punct. 4. quod si virtus productiva esset connexa cum possibilitate effectus eamdem connexionem habituram cum existentia eiusdem effectus, inferamque ex eo, quod virtus productiva non sit connexa cum effectu existente, connexionem non habere cum effectu possibili, quæ ratio eamdem vim habet respectu relationis, si enim hæc consequentia est legitima: Virtus productiva non est connexa cum effectu existente: ergo neque cum possibili, eodem modo hæc erit legitima illatio: Relatio transcendentalis non est connexa cum existentia effectus: ergo neque cum possibilitate eiusdem, cū virtus productiva, & relatio transcendentalis, quam dicit talis virtus eūdem terminum respiciant, & formaliter non distinguantur, relatio enim ideo transcendentalis dicitur, quia est imbuta in ipsis prædicatis, per quæ constituitur entitas, quæ dicitur transcendentaliter relata, quod est transcendere rei essentiam. Vim illationis ostendam Puncto citato, ex qua firmius stabilietur nostra conclusio, quam placuit in hoc Puncto præmittere gravium Doctorum auctoritate firmatam, ne quis existimaret absurdam esse sententiam, quæ cogeret nos asserere, posse dari respectum transcendentalem ad terminum non existentem, neque possibilem, & hoc consequens vi illationis extortum admitti, quod tradendum esset independentem ab omni alia conclusione, propter rationes, quibus efficaciter probatur, quibus suffragatur auctoritas Doctorum, quos pro hac re tuli sententia, quibus non totidem oppones, qui oppositam sententiam propugnent.

5 Dixi sæpè respectum transcendentalem posse ferri in terminum, qui in se repugnet, seu qui possibilis non sit, quod si aliquando dixi ferri in ens rationis intelligendum est specificativè, non reduplicativè, & formaliter, hoc est, respectum posse ferri, in formalitatem illam, quæ denominatur ens rationis, independentem ab eo quod sit ens rationis, seu ens non repugnans. Rem explicio: cognosco modò Hircocerum, hæc cognitio fertur in prædicata Hircocerui, quæ modo repugnat, in quæ eodem modo ferretur, si talia prædicata non repugnarent, ex eo enim, quod Hircocerius,

qui modo est impossibilis, possibilis fieret, non sequebatur per locum intrinsecum repugnare cognitionem, quam modo habeo de Hircoceruo: ergo hæc cognitio independentem est ab eo quod prædicata Hircocerui repugnet, seu sit cognitio eamdem independentem habet: ergo non petit ferri in ens rationis formaliter, sed tantum petit, & intrinsecè habet ferri in hæc prædicata Hircocerui, siue ipsa repugnent, siue sint possibilis, quod est extrinsecum cognitioni, & respectui cum illa identificato, quibus tantum intrinsecè cõpetit ferri in prædicata Hircocerui, quæ modo repugnant, in quæ ferrentur eodem modo, etiam si talia prædicata non repugnarent. Eodem modo de transcendentalibus respectibus, qui modo terminos non repugnantes respiciunt, qui eodem respectu etiam tales termini repugnarent. Rem explicio eodem cognitionis exemplo. Cognosco modo equum cognitione abstractiva, hæc cognitio intrinsecè habet ferri in hoc obiectum, quod modo non repugnat, non tamen intrinsecè habet, neque petit tale obiectum non repugnare, quia si equus, qui modo possibilis est repugnans esset, eamdem possem cognitionem habere, quam modo de illo habeo, sic de omnibus respectibus transcendentibus iudicium fero terminorum, à quibus respectus non alio modo depèdent in aliquo genere causæ, quia si deficit terminus à quo relatio essentialiter dependet in genere causæ efficietis, deficit necessariò respectus, non præcisè, quia deficit terminus relationis, sed quia deficit principium effectivum talis respectus, sic deficeret respectus, quæ dicit actio ad principium effectivum principio effectivo deficiente, non quia actio refertur ad principium actuum, tanquam ad terminum, quia hac relatione seclusa eodem modo deficeret, sed quia actio essentialiter depèdet à principio activo. Sic dicerem de quacunque creatura, quæ repugnaret si per impossibile repugnaret Deus, à quo tanquam à causâ prima essentialiter omnis creatura dependet.

Obiicies repugnante termino relationis transcendentalis, v.g. repugnante calore, non est calor: ergo non est aliquid, quod possit terminare respectum transcendentalem, quæ dicit virtus productiva ad calorem, tanquam ad terminum: ergo ex eo præcisè quod repugnet calor repugnat respectus transcendentalis ad calorem. Resp. calore non existente, & positivè repugnante non esse aliquid physicè existens, aut possibile, quod possit terminare respectum virtutis productivæ, nihilominus ad hunc posse talè virtutem terminari calore non existente, & repugnante, quia id quod non existit, & quod repugnat potest terminare respectum virtutis productivæ, sicuti illud quod non existit, & repugnat potest terminare cognitionem actu existentem, ad terminandum enim non requiritur possibilitas, aut existentia. Ex hac doctrina ad formam argumenti potest responderi distinguendo illud antecedens: repugnante calore non existit calor physicè, & in se, concedo, terminativè nego: sicut posita cognitione existentie chimære existentia chimære, quæ non est physicè, & in se terminativè respectu cognitionis: sic non existit effectus physicè, & in se posito respectu ad illum potest esse terminativè in ordine ad talè respectum. Si dicas chimæram, in quam fertur cognitio, esse in cognitione tanquam obiectum in potestate, & prototypus in imagine, & repræsentatione, eodè modo dicam ego effectum, qui repugnat, terminantè respectum, quem dicit ad illum virtus productiva esse in ipsa virtute productiva, tanquam effectus in causâ, & terminus in sua relatione. Si roges quidnam esset effectum repugnantem esse in causâ, interrogabo ego, quid sit obiectum cognitum esse in cognitione, sicut enim nihil est aliud quàm cognitio hanc esse repræsentationem talis obiecti, & non posse ipsam cognosci non cognito illo obiecto, sic effectum esse in causâ nihil aliud est, quam hanc causam habere ex se sufficientem virtutem ad ponendum talem effectum extra causas, & non posse cognosci tali effectu non cognito.

PUNCTUM III.

*An eadem entitas possit ad seipsam transcendentali-
ter referri.*

Nihil posse aliquo respectu reali, neque transcendentali, neque prædicamentali ad se ipsam referri, neque ad relationes, rationis distinctionem sufficere huiusque authorum

authorum consensu stabilitum est. Id expresse docuit P. Soar. in *Metaph. disp. 47. sect. 4. n. 4.* quod fere omnes auctores supponunt, non tamen olim defecere, qui aliter sentirent asserentes in eo differre relationem transcendentalem, & predicamentalem, quod transcendentalis possit versari inter extrema quæ per rationem tantum distinguantur. Hos suppresso nomine refert, & impugnât P. Soar. modo citatus, Eadem opinionem excinnavit modo P. Didac. Ruiz, illamque in lucem dedit. de scientia dei, disp. 5. sect. 2. ubi defendit cognitionem, & volitionem divinam transcendentem referri ad suum obiectum, etiam primum, & argumentum petito ex identitate actus cum obiecto respondet relationem transcendentalem non requirere termini distinctionem, sicuti non requirit illius existentiam. Refert pro hac sententia quam plures Scolasticos, in quibus P. Valq. apud quem nihil frequentius lego, quam Deum esse absolutum ab omni respectu, & relatione, ita non leui fundamento de respectu rationis possumus Ruiz interpretari, quod expressisse videtur n. 5. ubi affirmat esse meram denominationem extrinsecam, & relationem rationis, quidquid Deus habet relationis. Nihilominus huius auctoris mens mihi valde dubia est, quia tota illa sectio, & sæpe alibi respectum transcendentem tribuit actibus intellectus, & voluntatis Dei ad ipsum Deum ut obiectum, quem respectum negat aliis prædicatis, quibus relatio rationis facile posset concedi, & rationes quas Ruissius adducit de respectu reali videtur procedere, id autem quod modò retuli de relatione rationis forsan dictum est, quia relatio transcendentis ut ait ipse Ruiz ibid. relatio non est, sed respectus, & hac ratione respectus realis transcendentis, relatio rationis dici poterit, præstati illorum, qui conceptum illum realem, quem nos relationem transcendentem vocamus, omnino eundem admittunt, & illum non relationem, sed respectum volunt appellari.

2. Quidquid sit de mente Ruissii fundamentum, quod adducit nõ est probabiliter specie defuturum, ad affirmandum eandem entitatem posse ad seipsam transcendentem referri. Præcipuum, quod adducit hoc est. Relatio transcendentis in eo consistit ut res absoluta (intelligi ad relationem prædicamentalem) in genere substantiæ, vel alterius prædicamenti non possit intelligi, nisi rem aliam intelligendo in obliquo, cum qua habet quidditativam connexionem quocumque genere causalitatis, aut concatenationis. Quemadmodum materia non potest intelligi nisi in obliquo intelligendo formam, saltem ut possibilem, & potentia non potest intelligi nisi in obliquo intelligendo actum cuius est potestas. Sed cognitio Dei, qua seipsam cognoscit talis est, ut non possit intelligi nisi intelligendo simul in obliquo Deum, aut creaturas, tanquam obiectum, quod per illam cognoscitur: ergo cognitio Dei dicit respectum transcendentem ad ipsum Deum. Confirmatur, sicuti quælibet cognitio creata obiecti distincti est cognitio talis obiecti, sic cognitio reflexiva supra seipsam, siue increata, siue creata est cognitio sui ipsius: ergo sicuti cognitio transcendentem referitur ad obiectum distinctum, quia est cognitio talis obiecti, sic transcendentem referitur ad se ipsam, quia est sui ipsius cognitio, magis enim intrinsecè est cognita cognitio, quæ per se ipsam cognoscitur, quam obiectum quod extrinsecè denominatur cognitum à cognitione distincta. Urgeo: Identitas non obstat ut cognitio, saltem divina sit sui ipsius cognitio, & ut à se ipsa denominetur cognita, si-bique præbeat denominationem obiecti, & repræsentati: ergo identitas non obest ut eadem cognitio se ipsam respiciat, quod si dicitur cognitio se ipsam respicere ut obiectum, cum non se respiciat per aliquid superadditum, sed per se ipsam, ipsa cognitio erit respectus sui ipsius ad se ipsam. Discursum tradidisse videtur Angelicus Doctor 1. p. q. 19. art. 3. in corpore his verbis: *Voluntas enim divina necessariam habet habitudinem ad bonitatem suam, quæ est proprium eius obiectum.* quibus verbis Angelicus Doctor colligere videtur voluntatem divinam habere habitudinem ad bonitatem Dei, quia hæc est illius obiectum unde adhuc in extremis identificatis, quorum unum se habet ut actus, & aliud ut obiectum habitudinem infert Angelicus Doctor ex eo quod unum se habet ut actus, & aliud ut obiectum.

3. Iuxta doctrinam hanc respectus transcendentis concedendus esset omni actui intellectus & voluntatis increato, aut creato, qui supra seipsam reflecteret, & esset amor, seu cognitio sui ipsius. Admittendus etiam esset respectus iste in virtute productiva creata ad se ipsam in probabili

sententia multorum, qui asserunt posse eandem entitatem seipsam per secundam actionem producere, quia sicuti cognitio reflexiva supra seipsam est cognitio sui ipsius, ita talis virtus productiva esset virtus productiva sui ipsius, & virtualis continentia eiusdem in seipsa. Potiorque iure dicendum esset talem virtutem non posse intuitivè cognoscere, quin ipsa etiam in obliquo cognosceretur, quatenus in seipsa contenta, & potens produci à seipsa. Addo virtutem in actu secundo seipsam attingere, & producere per causalitatem superadditam respectu cuius eadem entitas minus obit principij, & termini strictè, & rigorosè, quia actio physice ab hac virtute erit tanquam à principio activo, & physice eam virtutem attingit tanquam proprium terminum, in cognitione verò reflexa cum non seipsam per aliquid superadditum attingat, neque possit attingere, non ita facile potest hic transcendentalis ordo reperiri. Dices sequi ex hac doctrina intellectum creatum dicere transcendentem ordinem ad se ipsam, quia sicuti potentia illa ad seipsam transcendentem referretur, quia se ipsam per actionem attingeret. Resp. virtutem productivam immediatè referri ad effectus, quos in se continet, potentiam autem intentionalem non referri immediatè ad obiecta, sed tantum ad actus, quorum est productiva, & qui in virtute illius continentur, sed tantum dicitur potentia ad obiecta referri, quia refertur ad actus, qui ad obiecta referuntur.

4. Arguit P. Soar. ut probet requiri distinctionem realem extremorum ad relationem transcendentem, quia si distinctio rationis sufficeret identitas posset dici respectus transcendentis. Resp. identitatem non esse speciale prædicatum in re identificata: neque adhuc posse dici prædicatum transcendens, quia cognoscere identitatem prædicatum nihil aliud est, quam cognoscere simplicem entitatem, in qua non sunt distincta, illa quæ ut distincta apprehenduntur, & idem est dicere animal, & rationale identificantur, ac dicere animal rationale, quæ ut duo apprehenduntur, duo non sunt, sed unus simplex homo. Neque ad huc respectum quælibet rationis distinctio sufficit, imò actualis rationis distinctio semper impertinet, quid enim potest præstare pura fictio respectui transcendentem reali? Sed requiritur quædam formalitas, quæ realiter omni figmento secluso supra seipsam reflectat, quod tantum ait Ruissius cõvenire intellectui, & volitioni divinæ, quæ subtiliter hunc modum reflectendi supra seipsas habent. Neque fundamento aliquo dici posset animal transcendentem referri ad rationale referri, quia hæc prædicta in se, ut absoluta apprehenduntur, & necessum non est ad hoc ut cognoscatur unum, alterum in obliquo cognosci, neque potest concipi aliquid reale, quod unum habeat respectu alterius: quod enim animal se habeat per modum potentie, & rationale per modum actus, & quod animal sit contrahibile, & rationale potens contrahere est totum opus intellectus, quo secluso animal contrahibile non est, neque rationale potens contrahere, neque reperitur animal, & rationale capacia harum denominationum, quæ tantum illis competunt in statu præcisionis, quæ habent ab intellectu. Cognitio verò secum identificata realiter est cognitio sui ipsius, & seipsam cognoscit, & realiter est cognita, & omni figmento secluso cognitio divina est cognoscens, est cognitio, & est cognita per suam eandem entitatem.

5. Nihilominus standum est communi sententiæ, quæ asserit nullum posse ordinem, neque respectum prædicamentalem, aut transcendentem, aliudve generis reperiri, qui sit respectus realis, & non purè rationis. Rationem desumo ex definitione respectus transcendentis, quam ipse Ruissius adducit. Illud dicitur transcendentem referri, quod non potest intelligi sine alio: ergo respectus transcendentis semper est respectu aliud. Sed demus sufficere ad relationem transcendentem rem non posse directè cognosci, quin ipsa etiam oblique cognoscatur, ac si esset alia eo modo, quo cognoscimus cognitionem reflectentem supra seipsam, cum dicimus: hæc cognitio est cognitio sui ipsius, in qua cognitione terminata ad cognitionem supra seipsam reflexivam hæc cognitio directè cognoscitur, & quasi iterum reflexivè, qui duo modi cognoscendi explicantur, cum dicimus *cognitio sui ipsius*. Primum enim verbum cognitio significat cognitionem illam reflectentem, ut obiectum directum, illud autem *sui ipsius* eandem cognitionem, ut obiectum obliquum significat. Adhuc admissio sufficere ad respectum transcendentem entitatem eandem oblique cognoscendam esse, ex eo quod

directe cognoscatur, probo neque ex hoc capite posse adhuc in entitatibus huiusmodi reflexivis hunc respectum inferri in cognitione ad seipsam terminatam, & cognita per se ipsa esse cognitionem, & esse cognita ex parte ipsius cognitionis formalissime est idem, quia per eandem entitatem omnino in se indivisibile, per quam cognitio dicitur talis, per eandem est cognita, neque minus intrinsece est huic cognitioni supra seipsam reflexiva esse cognitionem, quam esse cognitum: ergo qui huiusmodi entitatem, ut est in se, intuitivè cognosceret, non alia ratione in illa cognosceret rationem cognitionis, quam rationem cognitionis: ergo non in recto cognosceret ipsam, ut cognitionem, & in obliquo ipsam, ut cognitam, neque cognitio illa intuitiva cognitionis reflecteret supra seipsam hanc semel in recto, & quasi iterum in obliquo eandem attingeret, sicuti significatur his vocibus *cognitio sui ipsius*, sed tunc quod correspondet tanquam obiectum significatum per has voces *cognitio sui ipsius*, non sicut per illas significatur unum in recto, & aliud in obliquo; sed utrumque æquè in recto, & ut omnino indistinctum, & indivisibiliter id eodem omnino modo sicuti in re se habet, & indivisibiliter id eodem omnino modo sicuti in re se habet, ex vi intuitivæ cognitionis representaretur. Neque adhuc in hac cognitione reflectente supra se ipsam fundamentum reperiri potest quod in actione & passione reperitur, ut possit diverso modo capi cum diversis connotatis in recto, & in obliquo, quia entitas physica, quæ actio & passio dicitur connotat principia realiter distincta in ordine ad quæ dicitur actio, & passio, & ita, adhuc qui intuitivè cognosceret talem entitatem, cognosceret dici actionem per ordinem ad principium actuum, & dici passionem per ordinem ad principium passivum, in illa verò cognitione supra se ipsam reflectente intrinsece per se ipsam quolibet connotato secluso diceretur cognitio, & diceretur cognita absque ulla distinctione ex parte ipsius, ut cognitionis, & ut cognite. Adeo vera est doctrina tradita, ut si consideremus cognitionem divinam reflectentem non supra aliquod attributum distinctum formaliter à cognitione, aut supra essentiam, si hæc ab essentia formaliter distinguitur, sed formalissime supra ipsam rationem formalem cognitionis, neque per intellectum præcendere poterimus in ipsa cognitione rationem actus, & rationem obiecti, quia nulla formalitas est in ea cognitione formaliter ut cognitio est, quæ non sit cognita, & quæ non se teneat quasi ex parte obiecti, neque aliter cognoscitur quam est, quæ ratione asserit Henr. tract. 1. disp. 4. c. 1. n. 6. rationem formalem cognitionis diuinæ, ut cognite per se ipsam non habere rationem obiecti, quia in tali cognitione reflectente supra suam formalitatem, non potest, neque per intellectum reperiri duplex ratio, quarum una habeat formalitatem actus, & altera formalitatem obiecti.

Ex doctrina tradita solutio habet fundamentum quo intendebat P. Ruiz probare huiusmodi entitates supra se ipsas reflectentes dicere respectum transcendentalem ad seipsas, negandum enim est ex vi cognitionis quæ intuitivè cognoscerentur, cognoscendas esse oblique, ut possint directè cognosci, quod non ita euenturum iam probavi. Similiter dicendum est cognitione supra seipsam reflectente non distinguui à ratione formali talis cognitionis rationem reflexionis, seu illud quod significatur per illa verba *sui ipsius*, quia cum dicitur huiusmodi cognitionem esse cognitionem *sui ipsius* cognoscitur ex vi intuitivæ cognitionis per modum unius simplicissimæ, & impartibilis entitatis, quæ secundum se totam in recto cognoscitur, & nulla ratione in obliquo. Testimonium Angelici Doctoris rem non probat, & extra intentum Doctoris Angelici adducitur, quia sanctus Doctor loco citato tantum intendebat explicare Deum quædam obiecta amare necessitate antecedenti, alia necessitate ex suppositione, & verba supra citata dixit ad significandum Deum se ipsum amare necessitate necessitate antecedenti, neque legenti articulum D. Thomæ dubitare licebit hanc fuisse illius mentem, & nihil de transcendentalibus respectibus ex prædictis verbis posse deduci.

PUNCTUM IV.

De connexione causæ cum possibilitate effectus.

§. I.

Aliorum sententia.

Non disputo in præsentium, an causa transcendentaliter referatur ad effectum; sed an habeat connexio-

nem cum effectu saltem ut possibili, quæ duo realiter distinguntur ut probabo Punct. 6. ubi dicam causam creatam non connexam cum existentia, neque cum possibilitate effectus transcendentaliter referri ad existentiam effectus, quem in se virtualiter continet.

Causam creatam necessariam habere connexionem docet communis sententia. Idem de increata docent Grat. 1. in 1. p. lib. 3. contr. 1. tract. 6. disp. 1. sect. 5. n. 25. & cetera. tract. 2. disp. 3. P. Soar. c. 9. n. 13. ubi fatetur deficere qualibet creatura possibili Deum defecturum. P. Her. tract. de scientia disp. 5. c. 4. P. Salas 1. tract. 2. disp. 4. sect. 2. n. 13. P. Falol. q. 12. art. 18. n. 68. consentit P. Didac. Ruiz tom. de Trinitate disp. 5. sect. 2. concl. 4. ubi docet Verbum Dei futurum esse aliud quidditativè diversum à verbo, quod genitum est, si creature fuissent possibiles.

Omnipotentiam nullam habere connexionem cum creaturâ possibilitate defendunt P. Vasq. t. 1. in 1. p. disp. 6. c. 2. & disp. 50. c. 4. 5. & 6. & latè disp. 104. c. 6. Basil. Legion. in quodlib. q. 8. Scholastica c. 5. & relect. 5. P. Arub. t. 1. in 1. p. disp. 30. disp. 99. cap. 3. ubi docet oppositum probabiliter dici non posse, & contendit idem docuisse P. Soar. in Metaph. disp. 30. sect. 15. & 26. & disp. 47. sect. 15. 17. & 28. quod fundamentum non caret. Idem tenet P. Alarcon tract. de scientia disp. 2. c. 4. De causis creatis eadem ratione philosophantur, Basil. Legionens. supra & P. Font. Met. c. 1. sect. 4. ubi ait maximam Philosophiæ partem sentire scientiam non referri ad obiectum, neque sensus ad qualitates, neque materiam ad formam essentiali habitu, sed ad accidentali, possidere has entitates in alia vita ut in se sunt sine aliquo respectu cognosci, qui omnes consequenter dicunt materiam nullam habere connexionem cum forma, quæ ex illa potest educi, omnes enim entitates create relatione dicunt ad illas, cum quibus sunt connexæ, & nulla potest quidditativè, adhuc in alia vita, cognosci non cognita alia, cum quæ, saltem ut possibiles, connexionem habet necessariam. Consentunt plures ex polioribus recentibus, & P. Arriag. communis sententiæ propugnator fatetur disp. 6. c. 3. nulla experientia, neque ratione à priori, aut à posteriori posse impugnari sententiam, quæ huiusmodi connexionem, & relationem inter causam & effectum, ut possibilem negat: ex quo infero absque experientia, & sine ratione à priori, aut à posteriori connexionem istam inter causam, & effectum defendi, si enim aliqua esset ad hanc connexionem propugnandam, eadem impugnaretur sententia, quæ hanc negat connexionem.

Mediam aliam sententiam meditat est P. Ripald. t. 1. de supernat. disp. 32. sect. 2. ubi docet omnem creatam potentiam connexionem habere cum possibilitate effectuum, quos potest naturaliter producere, & respectu cuius potentia naturalis dicitur, nullam tamen connexionem habere cum effectibus, quos tantum supernaturaliter alio principio adiuta valere efficere, respectu quorum potentia obiectualis dicitur. Itaque asserit repugnante quacunque naturali cognitione, quam modo intellectus naturaliter potest producere repugnaturum intellectum, nulla tamen cognitione naturali repugnante, etiam omnes actus supernaturales fidei, & charitatis aliarumque virtutum infusarum repugnant, intellectum, potentiaque, quæ his actibus supernaturalibus modò se exercent eandem omnino absque ulla repugnantia permanens. Plures pro hac sententia refert, quos omnes abs re adducit.

§. II.

Propria sententia.

Conseo causam increatam, & creatas omnes nullam habere connexionem cum possibilitate alicuius effectus, quem naturaliter, aut supernaturaliter possit producere, sed quocumque effectu repugnante illius virtutè productivam eandem omnino permanens, etiam talis effectus non repugnet. Disponat animi ad assensum huius conclusionis nullam experientiam, aut rationem à priori, aut à posteriori reperiri, quæ oppositam suadeat, & probeat dari huiusmodi connexionem inter causam, & possibilitatem effectus, quem in sua virtute continet, quod fatetur Arriag. supra citatus. Deinde monco præcisam possibilitatem effectus, seu effectum, qui non existit, possibilem esse, nihil esse physicum in rerum natura actu existentis, & dū effectus possibilis non existit, æquè non esse ac chimæ, quæ intrinsece repugnat ut probavi Controv. 2. Punct. 1. hoc

hoc posito inquiri quo genere dependentia possit dependere meus animus rationalis ab intellectu pure possibili, quam nunquam eliciet, imò neque proximè poterit elicere ex defectu principij, speciei videlicet requisitæ ad talem intellectum, quam nunquam habebit? Dices, intellectum dependere à possibilitate cuiusvis intellectio- nis tanquam ab effectu, seu tanquam à termino relationis transcendentalis. Sed rursus inquiri, quæ dependentia pos- sit esse tanquam ab effectu, seu tanquā à termino à re neq; existente, neque exitura, quomodo virtus physica causæ possit physicè dependere à re, quæ non est, neque erit? Res- pondebis causam dependere à possibilitate effectus, quæ possibilitas actu est, etiam si effectus neque existat, neque sit exiturus. Contrā: possibilitas effectus, qui non existit, phy- sicè non est, sed tantum obiectivè, quia intrinseca possibi- litas, ut dicebam Controu. 2. Punct. 2. ab existentia non di- stinguitur, & quando existentia actu non est, neque phy- sicè est possibilitas, licet absolute dicamus ens esse possibi- le, & dari possibilitatem rei non existentis, quia hoc lo- quendi modo tantum intendimus significare obiectivam possibilitatem, seu quod nulla daretur repugnantia, si res existeret, seu quod existeret, si Deus vellet illam produ- cere, quæ omnia non dicunt aliquid, quod physicè sit, sed tan- tum quod esset, & modò æquè non est ac non est chi- mera: ergo concipi nequit nunc temporis causam depen- dere ab effectu, qui nunc non est ac non est chimera, & tantum differt obiectivè ab hac, quia esset si causæ ap- plicarentur ad illius productionem, seu si Deus vellet illum producere, quod non habet chimera: ergo sicuti non potest causa dependere à chimera, quæ non est, ita non potest de- pendere à re possibili, quæ non est, sed esset, illud enim quod esset si absolute non est omnino est impertinens ad hoc ut aliquid hic & nunc existat de facto. Malè ergo ab- que vrgenti fundamento dicitur causam habere connexionem cum possibilitate effectus, quod est dicere, habere connexionem cum illo, quod esset, & de facto per statum absolutum in nihilo differt à chimera.

6 Arguo secundò: Causa non dependet ab existentia effe- ctus: ergo neque à possibilitate effectus. Antecedens ad- mittunt omnes: Consequentiam probò. Possibilitas, & exi- stentia, ut dicebam loco citato sunt omnino idem; ergo si existentia causæ non dependet ab existentia effectus, non dependet à possibilitate eiusdem effectus. Respondebis causam dependere ab existentia, ut possibili non ut existi- ti. Contrā: Existentia ut possibilis, & ut existens formalis- sime non distinguuntur, neque existentia ut existens addit aliquid supra existentiam, quia existentia est ultimus actus possibilitatis, supra quem non cadit alius actus, quo magis possibilitas reducatur ad actum. Respondebis secundò exi- stentiam, & possibilitatem formaliter esse omnino idè, & ab utraque æquè dependere virtutem causæ, quæ sicuti non requirit existentiam effectus, ita neque possibilitatem il- lius intrinsecam, quæ physicè sit, sed quæ tantum sit obie- ctivè, quæ ratione dependet ab existentia, cuius esse obie- ctivum requiritur, ut sit causa, quia tamen existentia tantum obiectivè existens absolute quoad nos non dicitur existi- tia, sed possibilitas: ideo dicere solemus causam non depen- dere ab existentia effectus, sed ab illius possibilitate, quod est dicere ad existentia causæ non requiritur quod existat effectus, sed quod existeret, si applicarentur causæ ad illius productionem, seu si Deus vellet illum producere. Magni facio hoc argumentum, cuius difficultas, licet coincadat cum difficultate præcedentis, & in re sit eadem cum illa, tamè extorquet id, quod præcedens argumentum efficaciter prop- pugnat, videlicet causam dependere ab effectu possibili esse dependere ab illo quod non est, sed esset, quæ depen- dentia æquè concipitur, quia, ut dicebam supra, illud quod est ab illo quod non est nullo modo dependere potest.

7 Instabis. Veritas conditionata dependet ab obiecto quod esset, quo deficiente veritas non existeret, & tamen veritas conditionata actu est: ergo aliquid quod est, depen- det ab obiecto, quod non est, sed esset. Resp. veritatem conditionatam, & quamlibet aliam componi ex actu, & obiecto, & ita deficiente obiecto veritatem defecturam, quia deficeret quædam illius pars, videlicet ipsum obiectum, non quia deficeret aliquid adæquatè distinctum ab obie- cto, quod deficeret ex eo, quod obiectum deficeret. Veri- tatem componi ex actu & obiecto probavi Controu. 6. de anima Punct. 1. Adhuc instabis: entitas, quæ actu est, vi- delicet veritas conditionata potest constitui per id, quod

Francisc. de Oniedo, Philosoph. tom. 11.

non est sed esset: ergo entitas, quæ actu est potest depen- dere ab illo, quod non est sed esset. Resp. veritatem esse totum quoddam morale quod potest constitui per illud, quod actu non est, sed esset, vel fuit, vel erit ut dicebam lo- co citato, virtutem autem physicam causæ esse ens phy- sicum, quod non potest physicè dependere nisi ab aliquo quod physicè existat.

Argues secundò: Actus fidei respiciunt plura obiecta, quæ actu non sunt, sed quæ fuere, erunt, vel essent: ergo ali- quid quod actu est dependere potest ab illo, quod actu non est. Resp. revelationem Dei, cui innititur actus fidei immediatè esse connexam cum cognitione actuali, quam Deus habet de illo obiecto, quia Deus loqui non potest, nisi illud quod cognoscit, aliàs posset nos fallere, & menti- ri. Cognitionem autem Dei esse connexam cum obiecto, quia cognitio Dei quatenus est extensio cognitionis, qua Deus seipsum cognoscit, ad hoc obiectum creatum forma- liter includit ipsum obiectum, & quia Deus ex se habet propter suam infinitam perfectionem cognoscere omnia, quæ sunt, fuere, erunt, aut esse eo modo quo qualibet res se habet in sua differentia temporis. Addo deficiente ob- iecto, quod Deus cognoscit non defecturam cognitionem, quam Deus modò habet de illo secundum suam entitatem, seu secundum id, quod cognitio intrinsecè dicit in se, sed secundum formalitatem cognitionis talis obiecti, aut se- cundum connotationem ad tale obiectum, aut secundum alium modum, quo Theologi defectum huius cognitionis explicabunt absque eo quod aliquid intrinsecum Deo de- ficiat. Ex his capitibus actus dū innititur revelationi actu existenti connexionē habet inevitabilē cum obiecto. Est tamen difficultas, quæ nos eodem modo in hac re premit de immediata connexionē entitatis physice actus fidei cū revelatione, quia actus fidei intrinsecè est connexus cum revelatione, quæ deficiente, deficeret actus fidei, & tamen revelatio non semper est actu, sed fuit, quia actus fidei, quē modò habeo, dependet ab hac revelatione facta tempore Apostolorum: ergo aliquid quod est actu potest dependere ab illo quod non est, sed esset. Resp. non sine gravi difficul- tate posse explicari connexionem essentialē actus fidei cum revelatione actu existente, ita ut implicet actus fidei non existente revelatione, de qua non nihil tetigi Contr. 6. de anima, Punct. 1. disputans de veritate actuum superna- turalium, & Controu. 14. Punct. 1. disputans de ipsorum spe- cificatione, quod si hæc connexio adeò stricta ponatur in- ter actum fidei, & revelationem, cui innititur, speciale ali- quid illius in hac materia reddet Theologus, videlicet quia nequit Deus cum auxilio supernaturali ad actum fi- dei requisito, ut author supernaturalis, concurrere ad actū fidei, qui non sit intrinsecè verus, seu cui ex defectu exi- stentiæ obiecti formalis contingat falsitas, quia indecens esset Deo talis concursus, in eo autè quod Deus concu- rat ad producendam virtutē productivam, cuius obiectum implicet, nulla potest indecētia excogitari, neque vllum caput ex quo quatenus est ex parte Dei repugnet exhibi- tio talis concursus, sicuti repugnat ad actum falsum fidei, iuxta communem sententiam, quæ defendit actus fidei es- sentialiter esse connexos cum revelatione, quam respiciūt ut obiectum formale. Quod si hæc ratio non placeat, quæ mihi satis firma non est, aliam quære, ut defendas actus fidei connexos esse cum revelationis existentia, quod tuum ar- gumentum impugnatur, potius quàm conclusionem in præ- senti traditam.

9 Rursus pro eadem sententia sic arguo: si propter aliquam rationem causa haberet connexionem cum possibilitate effectus, maxime quia dicit relationem ad illam. Sed rela- tio causæ est ad ipsam formale existentiam, ut actu exer- citam, & positam extra causas: ergo ex hoc capite conne- xio causæ esse debebat cum existentia effectus actu exerci- ta. Probo consequentiam: cum illo debet esse connexio causæ, ad quod causa refertur. Sed causa refertur ad exi- stentiā effectus actu exercitā: ergo connexio causæ debet esse cum existentia effectus actu exercita. Sed causa non habet connexionem cum existentia effectus actu exercita: ergo nullam habet connexionem cum effectu, adhuc ut possibili. Discursus iste integer erit si probetur minor prio- ris syllogismi, videlicet causam referri ad existentiam effe- ctus exercitam, quam probabo Punct. 6. quod specialiter institui de relatione causæ ad effectum.

Ultimò: Non repugnat virtus productiva creata talis natura, ut implicante effectu ipsa possit subsistere: ergo

Ff 3 saltem

saltem ex hoc capite posset dici virtutem productivam effectus connexionem non habere cum effectuum possibilitate, ne sine speciali fundamento hæc adlaturat connectio. Deinde æque potest percipi connectio ista propter rationes supra adductas: ergo constituenda non est talis connectio inter causas, & effectuum possibilitatem, neque nos debemus gratis conicere in difficultates, quæ in tali connectione defendenda nos premunt.

II Præcedens ratio probabiliter suadet admittendam non esse connexionem itam in causis creatis, in causa autem increata, seu in omnipotentia Dei intentum efficaciter convincere existimo, sic illam circa omnipotentiam expendo. Si respectus admittatur in omnipotentia deficiente possibilitate cuiusvis creaturæ deficeret omnipotentia, & non esset hic numero Deus. Dices totum hoc esse verum, quod non clamore, sed ratione impugno. Si omnipotentia Dei talis esset naturæ ut deficiente quacumque creatura esset defectura, non esset summè perfectæ: ergo in Deo talis omnipotentia constituenda non est. Probo antecedens: si concipiatur in Deo omnipotentia talis naturæ, quæ in se eminenter contineat omnes effectus, qui in se non repugnant, & alias ita existens independenter ab unoquoque illorum, ut quocumque, & etiam omnibus simul repugnātibz eadem permaneret, perfectior omnipotentia esset illa, quæ deficeret repugnante effectū. Sed non repugnat concipi talis omnipotentia: ergo si in Deo concipimus omnipotentiam, quæ deficeret repugnante quocumque effectū, non concipimus omnipotentiam perfectissimam, quam possumus absque ulla repugnantia concipere: ergo non concipimus omnipotentiam summè perfectam: ergo si Deo huiusmodi omnipotentiam tribuimus, non illi concedimus omnipotentiam summè perfectam. Perfectiorem concipere omnipotentiam illum, qui concipit omnipotentiam connexam cum possibilitate effectuum, quam ille, qui concipit omnipotentiam connexam cum illorum possibilitate, ita ut repugnante quocumque effectū repugnet omnipotentia, sic probo. Omnipotentia connexa, quam tu concipis in Deo, & omnipotentia non connexa cum possibilitate effectuum quam ego concipio, non differunt in virtuali effectuum continentia, quia omnipotentia non connexa, quam ego constituo omnes effectus virtualiter & eminenter continet, quos continet omnipotentia connexa, quam tu assignas: ergo saltem ex hoc capite non esset imperfectior omnipotentia à me assignata: ex alio capite in ordine ad eosdem effectus differt omnipotentia non connexa à connexa ex eo, quod omnipotentia non connexa deficeret, videlicet casu, quo repugnaret aliquis effectus: ergo perfectior est omnipotentia non connexa, quam connexa, quia cæteris paribus ex duabus entitatibus perfectior est illa, quæ permanet in eadem rerum peristat, in qua alia desinit esse, & quæ eadem omnino intrinsecè invariata cum eadem virtute ex parte sui potest subsistere sine aliquo extrinseco, sine quo altera subsistere non potest. Insuper omnipotentia non connexa, quam ego constituo, talis est ut hic, & nunc habeat totum illud, quod requiritur ex parte virtutis causatiuæ ad producendos non tantum effectus, qui modo sunt possibiles, sed etiam ad producendos impossibiles, quos sine noua virtute produceret, si illorum repugnantia non obstaret: ergo longè perfectior est omnipotentia non connexa, quam connexa, siquidem quatenus est ex parte sui ad plura se posset extendere. Confirmo, & declaro eamdem rationem. Omnipotentia connexa talis esset ut si per impossibile modò hircoceruus, qui repugnat, fieret possibilis, necessariò deficeret: & si rursus fingatur permanere omnipotentiam connexam cum effectibus, qui modo sunt possibiles, factio possibili hircoceruo, qui modò repugnat, & cum quo connexionem non habet talis omnipotentia non posset hircoceruum producere, quia tantum est virtus productiva illorū effectuum, cum quibus habet connexionem. Sed omnipotentia non connexa talis est naturæ ut si per impossibile hircoceruus qui modò repugnat fieret possibilis, illum posset producere per eamdem virtutem, quam modò habet: ergo omnipotentia non connexa quatenus est ex se ad plures se extendit effectus, & perfectior est, quam omnipotentia connexa. Rem magis declaro: qui constituunt omnipotentiam connexam possunt dicere: implicat chimæram produci à Deo quia ipsa in se repugnat, & quia ex repugnantia inferitur in Deo negatio virtutis ad chimæram producendam,

& ita implicat hic & nunc chimæram produci ex repugnantia chimære, & ex defectu virtutis productivæ, licet defectus iste oriatur ex repugnantia effectus productivi, & non ex eo, quod omnipotentia non sit infinita: qui verb constituunt omnipotentiam absolutam dicunt repugnare produci chimæram præcisè ex repugnantia chimære, & nullo modo ex defectu virtutis omnipotentis, & inferatur ex hac repugnantia: ergo qui constituunt omnipotentiam absolutam maiorem virtutem illi tribuunt, si se virtutem ad producendam chimæram, quam virtutem absolutè constituenda est in Deo omnipotentia non connexa, quæ perfectissima est, & dicendum repugnare omnipotentia connexam, quia non est perfectissima omniaque possunt absque ulla repugnantia concipi, & est de conceptu essentiali omnipotentia Dei includere summam perfectionem, quæ sine repugnantia concipi valet. Restat modo probandum ut discursus iste legitime concludat nullam involvi repugnantiam in conceptu omnipotentia non connexæ cum effectuum possibilitate, quod prælabos, sequenti, ubi adducam & solvam omnia argumenta alicuius momenti, quæ fieri possunt non solum contra omnipotentiam non connexam, sed etiam contra quamlibet virtutem creatam huiusmodi connectione carentem.

Decertant Authores utriusque sententia an omnipotentia connexa cum effectuum possibilitate, quæ deficeret deficiente quocumque possibili effectū dicenda sit dependens ab effectuum possibilitate. Qui omnipotentiam non connexam esse defendunt, intendunt omnipotentiam connexam dicendam esse dependentem à quocumque ente possibili, ut ad hoc absurdum deducant sententiam, quæ omnipotentiam connexam constituit. Qui omnipotentiam connexam propugnant, non dependentem dicendam esse defendunt, sed purè connexam tanquam cum extremo relationis transcendentalis, vel tanquam cum aliquo posteriori, à quo non dependet. Quæstio est hæc purè de nomine, certum enim est omnipotentia ita connexam defecturam deficiente possibilitate cuiusque effectus, certum etiam est in illo casu non defecturam ex defectu alicuius causæ, seu conditionis antecedentis, quæ modo supponatur ad omnipotentiam existentiam, quibus statuitur tantum restat quæstio de nomine, an videlicet cum aliquo, quod non se habet per modum causæ, aut conditionis, quæ se teneat ex parte actus primi prærequisiti ad existentiam rei, quæ dicitur connexa, dependentia dicenda sit necne? Ego in negativam partem propendo, quia dependentia sonat causalitatem, seu actum primū, & ita nihil potest dependere ab illo, quod non se habet per modum actus primi ad sui existentiam. Dices hoc esse verum de propria dependentia à priori, posse tamen dari dependentiam impropiam à posteriori ab aliquo, quod non se teneat ex parte actus primi, Contrā: dependentia hæc à posteriori adeò est impropria ut dependentia non sit, implicat enim dependentiam, quæ retineat prædicata essentialia dependentia, quæ à priori non sit, quod si connexionem cum aliquo posteriori appelles, etsi cum aliis, qui sic loquuntur, abuteris dependentie nomine. Accedit huic sententiæ autoritas D. Anselm. lib. 1. *cur Deus homo*, ubi pulchrè his verbis traditam edocuit sententiam: *Quotiescumque dicitur Deum non posse, nulla negatur in eo potestas; sed insuperabilis signatur sapientia, & fortitudo. Non enim aliud intelligitur, nisi quia nulla res potest effici, ut æqui ille, quod negatur non posse. Nam ostensa est huiusmodi malum loquutio, ut dicatur res aliqua non posse, non quoniam in illo, sed quia in alia re est impotentia. Quibus verbis clarè docet eximius Doctor impotentiam ut fiat illa, quæ dicitur non posse fieri à Deo, esse in ipsis rebus faciendis, non in Deo, qui est infinitè potens, & virtutem habet sufficientem, ut illa fierent ab ipso, si in ipsis non esset repugnantia, & impotentia, ut fiant.*

§. III

Argumenta soluta.

Ostendit primò, ab probandum repugnare virtutem causatiuam, siue creatam, siue increatam non connexam cum effectus possibilitate. Repugnat virtus, quæ in se eminenter contineat ens rationis: sed effectus repugnans est ens rationis: ergo repugnat virtus, quæ in se eminenter contineat effectum repugnantem. Probatur maiore eo ipso quod

quod virtus aliquid producat est ens reale, & non ens rationis: ergo virtus productiva non potest continere in se eminenter ens rationis: Antecedens est certum: illationem optimam esse sic ostendo. Rectè inferimus Deum non continere virtutem creandi alium Deum sibi æqualem, quia eo ipso, quod creetur est inferius Deo: ergo eodem modo possumus inferre Deum non habere virtutem producendi ens rationis eo, quod quicquid physicè producit, eo ipso quod producit non est ens rationis: sed reale. Confirmatur. Implicat virtutem productivam eminenter continere, seu posse producere prædicatum cuius contradictoriè oppositum non potest non dare cuicumque effectui, qui ab illa producat. Sed eo ipso quod virtus productiva aliquid producat dat illi esse ens reale quod contradictoriè opponitur cum ente rationis: ergo implicat virtutem productivam eminenter continere, aut posse producere ens rationis.

- 14 Dixi Punct. 2. posse dari respectum realem transcendentalem respectu termini, qui modò repugnet, seu qui modò sit ens rationis; monui tamen numero quinto non esse dicendum respectum illum respicere ens rationis, quia respectus ille non exigitur suum terminum esse ens rationis, eodem enim modo illum respiceret si esset ens reale, quam doctrinam ibi latius explicatam hic accommodo, ne dicas virtutem productivam in se continere ens rationis, aut posse ens rationis producere, quia formalitas entis rationis nunquam continetur in virtute productiva causæ, sicuti neque respectu transcendentali respicitur. Adde insuper non solum virtutem productivam non continere in se formalitatem entis rationis; sed semper respicere actualem, physicam, & realem existentiam, ad quam tantum adhuc quatenus est ex se, virtutem habet, & huiusmodi esse virtutem productivam, quam in Deo ponimus respectu hircocerui, quia nos non dicimus Deum modò habere virtutem ad producendum hircocerum affectum suum repugnantia, ita ut id, quod in omnipotentia Dei continetur sit hoc concretum formaliter sumptum *hircocerum repugnans*, sed tantum in Deo ponimus virtutem ad producendum hircocerum purgatum repugnantia; repugnantia enim nunquam in virtute aliqua continetur, & ideo dicimus, casu quo hircocerius non repugnaret posse ab hac numero omnipotentia produci, quia omnipotentia hæc modò habet virtutem ad producenda non tantum illa, quæ modò non repugnant; sed omnia quæcumque non repugnarent, & ita si illa, quæ modò repugnant, fierent non repugnantia, possent ab illa produci. Neque refert modò non esse hircocerum non repugnantem, ut possit hircocerius non repugnans in omnipotentia contineri, quia sicuti de relatione transcendentali dicebam, respicere terminum, qui non est, sic virtus productiva respicit hircocerum non repugnantem, qui non est: explicatur etiam hæc doctrina exemplo actus, quo ego desidero existentiam boni, quod modò abest, qui fertur in existentia, etiam si existentia non sit, & aliquando etiam si sit impossibilis, quia ego apprehendo possibilem esse, & verè desidero realiter, & physicè existere id, quod ita existere implicat. Ex hoc fit omnipotentiam non esse virtutem formaliter ad repugnantia, neque hæc formaliter sumpta contineri in omnipotentia, sed tantum contineri illa, quæ non repugnant, & illa quibus adiacet repugnantia, hæc tamen repugnantia seclusa, quæ in nulla virtute continetur, & ita nunquā dici potest Deum habere virtutem producendi ens rationis, quia posse producere ens rationis sonat posse producere obiectum repugnans affectum formaliter sua repugnantia. Rem explicet appositum exemplum. Sacerdos approbatus pro tota Ecclesia ad confessiones audiendas ex vi potestatis, quā modò habet, nulla alia superaddita, hic & nunc poterit Turcam absolvere si Turca fiat fidelis, & sic reliquos omnes qui modò sunt infideles, si fideles fiant, & Ecclesia Romanæ reconcilientur, poterit postea absolvere, ex vi potestatis, quam modò habet, non tamen idè sacerdos iste dicitur habere potestatem absolviendi Turcam, & reliquos infideles, quia etiam potestatem habeat ex vi cuius possit absolvi homines illos, qui modò sunt infideles, absolutio tamen faciendā essentialiter supponit homines illos factos fuisse fideles, & ad illam sine hac circumstantia facta nulla est potestas in sacerdote, quia potestas hæc tantū est ad absolviendos Christi fideles in nullo à Romana Ecclesia discedentes. Sic similiter virtus illa physica, quam in Deo concipimus ad hircocerum, qui modò repugnat, producendū, est virtus, ex vi cuius

poterit produci hircocerius, si fiat non repugnans, non tamen hircocerius formaliter repugnans, seu cum repugnantia cōpositus, quia productio hircocerui ad quā Deus virtutem habet, supponit hircocerum factum fuisse non repugnantem, & ita virtus illa non dicenda est virtus ad producenda obiecta repugnantia, seu entia rationis, etiam si ex vi illius possent produci obiecta, quæ modò repugnant, si fierent non repugnantia, sicuti virtus absolviendi à peccatis non dicitur virtus absolviendi infideles, licet talis sit, ut ex vi illius homines, qui modò sunt infideles, possent absolvi, si fiant fideles, & ritè, & rectè disponantur ad absolutionem obtinendam.

15 Instabis: Deus quatenus est ex se tantum habet virtutē ad producendum hircocerum, ut non repugnantem, seu casu, quo non repugnaret, sed casu, quo non repugnaret hircocerius, non esset hic numero hircocerius, quem modò apprehendo, & qui de facto repugnat: ergo Deus, adhuc quatenus est ex se, non habet virtutem ad producendum hunc hircocerum, quem ego apprehendo. Obiectio hæc non impugnatur conclusionem, quam defendimus, sed destruit casum, quem supponimus ad illius veritatem examinandam. Inquirimus an casu, quo hircocerius, aut aliud ens repugnans fieret non repugnans, posset produci à Deo, ut ex hac hypothesi naturam absolutam omnipotentiam cognoscamus, & modò obicitur casū implicare, quia ens non repugnans, non esset idem quod modò est repugnans. Respondeo ad conclusionē, quam defendimus necessum non esse hircocerum in illo casu eundem, vel alium futurum, nos enim tantum defendimus, quod si possit concipi non repugnans, obiectum quod modò est repugnans fiet obiectum huius omnipotentiam, quæ modò est, & eadem invariata permanens sufficiens erit ad illum producendū, quod autē ita possit, seu nō possit concipi, non attinet ad veritatem conclusionis, quam defendimus. Si tamen volumus hypothesim aptā disputationi facere, debemus apprehendere in hircocerio, qui modò est repugnans, repugnantiam veluti quoddam prædicatum formaliter ab aliis distinctum, & reliqua repugnantia, nō per se ipsa, sed per hoc speciale prædicatum, & inquirere an secluso illo speciali prædicato repugnantia, per quod totus hircocerius formaliter constituitur repugnans reliqua omnia possent produci ab hac numero omnipotentia: scio repugnantia non esse speciale prædicatum, sed transcendens omnibus, verumtamen apprehendendū instar prædicati præcisi à reliquis, ut suppositio utilis fieri possit ad præsentem quæstionem examinandam.

16 Virtutem hanc supra explicatam appellant nonnulli potentiam sub conditione, ut illius explicent naturā, verumtamen in se ipsa absoluta est, & absolute existit in Deo, licet illius exercitium supponat tanquā conditionem; non repugnantiam effectus, & in hoc sensu aliquo modo conditionalis dici poterit non intrinsecè, sed extrinsecè.

17 Id, quod dixi de omnipotentia, quoad modum continentis effectus, qui de facto repugnant, & quod illi convenit essentialiter respectu omnium effectuum, potest reperiri in causa creata, quæ ex se potest habere virtutem ad producendū effectū, qui de facto implicat, non tamen ita constitui necessum est, quia in Deo tantum ponimus continentiam illam respectu effectuum, qui de facto implicat, quia debemus illi tribuere omnem virtutem productivam, quam sine contradictione valemus apprehendere ut omnipotentiam summè perfectam cognoscamus, causæ verò creatæ cū finitæ sint, & limitatæ, non debent hanc continentiam includere. In eo tamen cōvenit virtus creata cum increata iuxta nostram sententiam, quod sicuti virtus increata eadem esset repugnantibus omnibus effectibus, quos de facto potest producere, sic virtus creata eadem esset, etiam si repugnarent effectus illi, quos de facto producere potest.

18 Obiicit, secundo actus vitales essentialiter dependent à suo principio, ita ut neque de potentia Dei absoluta possint ab illo non dependere, sicuti possunt quicumque alij effectus, qui ab hac causa creata procedunt, ab illa non procedere, sed à Deo produci: ergo diverso modo se habet principium productivum actuum vitalium respectu horum, quàm se habet quælibet alia virtus creata productiva respectu aliorum effectuum. Sed hic diversus modus tantum potest consistere in eo, quod principium vitale sit connexum cum actibus vitalibus, quos potest producere, & non sic alia principia: ergo saltem principium vitale essentialiter est connexum cum possibilitate suorum effectuum. Hoc argumentū, etsi cōtra nos procedat respectu principij productivi

productiui vitalis, respectu aliorum principiorum non vitalium nostram sententiam probare intendit, neutrum tamen præstat. In primis idem argumentum, quod de actibus vitalibus fit respectu principij vitalis, fieri potest de quocumque effectu respectu causæ primæ, à qua ita essentialiter dependet, vt non possit ab illa non dependere, etsi posset non dependere ab alia causa creata, à qua naturaliter producit. Ex quo inferretur causam primam habere connexionem cum possibilitate effectuum, quam non haberent aliæ causæ secundæ, quod nullus asseruit, omnes enim, qui asserunt omnipotentiam esse connexam cum effectuum possibilitate, eandem connexionem causis secundis attribuunt, & multi qui defendunt causas secundas esse connexas cum suorum effectuum possibilitate, de causa prima affirmant non huiusmodi habere connexionem. Diuersitas principij vitalis, & non vitalis respectu suorum effectuum stat in multis aliis seclusa connexionem vtriusque principij cum effectuum possibilitate. In primis enim principium vitale essentialiter prærequiritur ad actum vitalem, & adhuc à Deo illius concursus suppleri nequit, potest autem à Deo suppleri quodlibet principium non vitale. Insuper alia plurima diuersitatis capita desumi possunt ex essentia operationis vitalis, seu viuentis in actu primo, quam explico Controversi. secunda de anima Puncto 2.

19 Obiicies tertio: Essentiale est Deo posse eleuare intellectum ad actus supernaturales: ergo essentiale est intellectui posse eleuari ad eisdem actus: ergo essentiale est intellectui hos actus possibiles esse, quia eleuari nequit ad actus non possibiles. Respondeo essentiale esse Deo posse eleuare quicquid est eleuabile, & quatenus est ex se habere sufficientem virtutem ad eleuandum quodcumque principium creatum ad quemcumque effectum: non tamen esse Deo essentiale principium aliud creatum esse eleuabile, quia cuiuscumque naturæ esset quodcumque principium creatum, Deus intrinsecè inuariatus idem omnino permanebit, non enim est Deo essentiale eleuationem non repugnare, quæ si repugnauerit, vel ratione sui, seu quia repugnat principium eleuabile, Deus non poterit principium aliquod creatum eleuare, & non erit contra illius essentiam, quia non posse tunc eleuare principium creatum non oriretur ex defectu potentie Dei, quæ ipsi est essentialis; sed ex impossibilitate effectus, quæ Deo est extrinseca. Eadem ratione intellectui, qui de facto datur, essentiale est habere ex se potentiam vt eleuetur ad actum supernaturalem, quod si actus supernaturalis, & actualis eleuatio repugnaret, nihil fieret contra intellectus essentiam, sed idem omnino permaneret, & in hoc sensu non est de essentia illius posse eleuari, sicuti non est de essentia illius posse producere naturalem intellectionem, quam, si repugnaret, producere non posset, non quia illi quatenus est ex se virtus actiua deficeret, sed quia repugnaret ipsa productio.

20 Obiic. quartò: Possibilitatis effectus non est à se; sed ab alio: ergo est à principio productiuo: ergo essentialiter supponit principium productiuum: ergo possibilitas Angeli essentialiter supponit omnipotentiam tanquam principium à quo procedit. Sed non supponit omnipotentiam, vt principium liberè producat possibilitatem Angeli, quia liberum non est Deo Angelum esse possibilem, vel non esse possibilem: ergo supponit omnipotentiam tanquam quoddam principium, à quo ita necessariò dimanat possibilitas, vt non possit hoc principio supposito ab illo non dimanare: ergo eo ipso quod existat omnipotentia, inferitur per locum intrinsecum ab illa dimanare possibilitatem Angeli, & licet à posteriori inferri: Non est possibilitas Angeli: ergo non est virtus in omnipotentia, à qua possit dimanare possibilitas Angeli: ergo omnipotentia, adhuc quatenus est ex se, non habet virtutem ad producendum Angelum, qui repugnat: ergo verè Angelus repugnaret, deficeret virtus, quam modò habet Deus ad producendum Angelum: ergo virtus productiua Angeli est connexa cum effectus possibilitate. Ex eodem discursu si legitimus est inferitur Deum adhuc ex se non habere modò virtutem ad producendum hircocerum, siquidem modo non dimanat ab omnipotentia hircocerui possibilitas. Tota difficultas huius argumenti consistit in explicatione modi, quo possibilitas rei nondum existentis dependet à Deo, dum actu non existit ens, quod possibile dicitur, quam præstabo Puncto sequenti, vbi dicam rem purè possibilem tantum habere dependentiam obiectiuā ab omnipotentia, eo enim modo

quo est, eo modo est dependens, & sicuti ens purè possibile non est, sed esset, ita non dependet, sed deberet à Deo, quod latius præstabo loco citato, sufficit interim ad argumenti solutionem puram possibilitatem, neque liberè, neque necessariò dependere à Deo dum est purè possibile, quia quod non est, non est dependens, vt dicebam, neque aliam dependentiam à Deo habent creature possibiles, præter illam, quæ illis competit, dum actu existunt, quomodo autem hoc possit stare cum connexionem possibilitatis effectus cum omnipotentia: difficultate non caret, quam Puncto sequenti explicabo. Moneo insuper hanc non esse legitimam consequentiam: effectus possibilis connexus est cum possibilitate causæ: ergo causa possibilis connexa est cum possibilitate effectus. Sicuti non bene inferitur existentia effectus connexa est cum existentia causæ: ergo existentia causæ connexa est cum existentia effectus. Antecedens enim est per se notum, & consequens euidenter falsum. Imò ex hoc capite argumentum conficio: Existentia causæ non est connexa cum existentia effectus: ergo neque possibilitas causæ cum possibilitate effectus. Premam vim huius illationis Puncto sequenti ad probandum possibilitatem effectus supponere possibilitatē causæ, à qua ita dependet, vt non possit non dependere ab illa, vbi probabo eodè modo se habere causā, & effectū in statu existentis.

Obiiciunt quintò ex recentioribus, nescio qui apud Ripald. t. 1. de ent. supern. disput. 32. sectione 7. Si repugnaret equus, non posset existere omnipotentia: ergo omnipotentia habet connexionem cum non repugnantia equi. Probat antecedens: si repugnaret equus existeret duplex contradictorium, equus non repugnans, qui essentialiter habet non repugnantiam ad existendum, & equus repugnans, vt supponitur: ergo si existeret omnipotentia existeret repugnantia equi, omnipotentia coexistere duplici contradictorio. Sed omnipotentia non est capax existendi duplici contradictorio: ergo non esset capax existendi, casu, quo equus repugnaret. Si quid probaret hoc argumentum apertè conuinceret omnia entia, quæ de facto existunt, & existere possunt esse inter se connexa, quia quolibet illorum repugnante daretur duplex contradictorium, cui nullum aliud ens posset coexistere, ac proinde illo existente non posset existere. Respondeo, casu, quo equus repugnaret dandum non esse duplex contradictorium, quia eadem suppositione, qua supponimus equi repugnantiam, supponimus illius non repugnantiam esse asserendam, ac proinde non componeretur in casu hypothetico repugnantia, & non repugnantia equi. Sed elio daretur tunc duplex contradictorium, hoc dato, posset quæcumque entitas naturaliter coexistere duplici contradictorio, quia incapacitas, quam ego habeo coexistendi duplici contradictorio fundatur in incapacitate, quam habet existendi duplex contradictorium, capacitas enim coexistendi dicit duplicem capacitatem duplicis extremi distincti ad existendum certo tempore determinato, & deficiente quocumque capacitate ad existendum in quocumque extremo deficit in utroque coexistendi capacitas. Cum autè deficiat capacitas existendi duplex contradictorium hinc fit in me deficere modò capacitatem coexistendi duplici contradictorio, nō quia quatenus est ex me aliquid deficiat, vt possum coexistere duplici contradictorio, casu, quo duplex illud contradictorium existeret, quia si modò existeret duplex contradictorium, videlicet Petrum currere, & Petrum non currere, modò ego absque vlla eleuatione, & absque vilo nouo existendi modo coexistere duplici contradictorio, quia coexistentia extrinsecè aduenit cuiusque existenti iam existenti in hoc tempore ex eo præcisè quod alteri in eodem tempore adueniat existentia. Ex his inferes non ex alio capite repugnare coexistere negationi Petri existentis scientiam, quam Deus habet de Petro existente, nisi quia scientia hæc necessariò coexistit Petro existenti, & cum negatio Petri existentis non possit coexistere negationi Petri existentis fit non posse scientiam visionis coexistere negationi Petri existentis, quod si fieri posset vt Petrus existeret, & non existeret in eodem tempore, scientia, quæ Deus habet de Petro existente essentialiter cum suo obiecto coniuncta, coniungeretur etiam cum negatione eiusdè obiecti, & vtrique contradictorio coexistere, in qua coexistentia tantum esset præter naturæ ordinē, vt existeret duplex contradictorium, non verò in eo quod dato duplici contradictorio existente, vtrique coexistere scientia visionis de altero extrinsecè

extremo contradictionis, & qualibet alia entitas, quæ naturaliter existere possit.

22 Instabis, ut repugnantiam, probes, in Deo ad coexistentiam in duplici contradictorio, non solum sumi ex repugnantia, quam in se habent duo contradictoria sibi coexistendi, sed sumi ex parte Dei, ita ut ex se sit incapax intrinsece per suam entitatem præcise sumptam coexistendi duplici contradictorio. Si Deus coexistere Petro, & carentia Petri in hoc instanti esset verum dicere hic Deus in hoc instanti coexistere Petro, insuper esset verum dicere hic Deus in hoc eodem instanti non coexistere Petro; ex quo legitime inferitur hæc propositio: ergo hic Deus non est hic Deus, quod consequens intrinsece repugnat Deo, qui intrinsece, per se ipsum est hic Deus: utraque pars antecedentis facile probatur. Hunc Deum coexistere Petro nihil aliud est quam ipsum existere existenti Petro: ergo in eo casu coexistere Petro. Nec necesse est probare antecedens, quod supponitur, dum supponitur Deum coexistiturum duplici contradictorio. Pars altera antecedentis probatur, hunc Deum non coexistere Petro nihil aliud est, quam ipsum existere Petro non existente, seu quam coexistere illius carentia. Sed in illo casu existeret Deus non existente Petro, quia cum supponatur in eo casu Petrum existere, & non existere, verum erit dicere Petrum non existere, & coexistere illius carentia, ut supponitur: ergo non coexistere Petro. Iam quod ex hoc antecedenti, videlicet hic Deus coexistit Petro, hic Deus non coexistit Petro inferatur legitime hæc consequentia: ergo hic Deus non est hic Deus facile suadet subiectum, de quo verificatur hoc contradictorium non est subiectum, de quo verificatur alterum contradictorium, sed de hoc subiecto videlicet hic Deus non verificatur, non verificatur hoc contradictorium coexistit Petro: ergo hoc subiectum non est illud, de quo verificatur alterum contradictorium non coexistit Petro, sed hoc contradictorium non coexistit Petro verificatur de hoc subiecto hic Deus: ergo hic Deus non est hic Deus.

23 Volunt iuniores destruere prima principia formæ syllogisticæ, & illis destructis iuxta eadem principia rigide ad vnguem servari vim arguendi, & inferendi, quæ illis innitebatur. Omnis forma syllogistica, & arguendi vis innitur his principiis, quodlibet est, vel non est, implicat aliquid simul esse, & non esse, quod est idem, ac implicat duplex contradictorium existere, & ita cum in syllogismo legitimo consequentia negatur, ut de arguente omnino actum esse censetur, ostenditur duplex illud contradictorium admittit redudendo ad illud propositiones ab ipso concessas, in suppositione autem ficta videlicet Petrum existere, & non existere principium arguendi destruitur, & duplex contradictorium admittitur: ergo iam formæ syllogisticæ fidendum non est, nec iuxta vera principia erit institueda, sed iuxta alia ficticia, & chymicæ quæ supponuntur.

4 Est etiam mirum in his iunioribus, quod duplex contradictorium, quod in antecedenti ipsi supponunt, idem in consequenti formidant, eodemque nos vrgere præsumunt, dum ipsi supponunt Petrum, & illius carentiam simul existere, seu simul Petrum existere, & non fingunt Deum coexistere, & non coexistere Petro, quia cum aliunde fixum sit Deum existere, idem est Petrum existere, ac supponere coexistere Deo, & consequenter Deum illi coexistere, quæ sunt correlatiua, seu omnino idæ, eademque ratione idem est supponere existere carentiam Petri, ac supponere hanc coexistere, debet Deum illi coexistere. Similiter dum supponitur Petrum non existere supponitur non coexistere Deo, & Deum illi non coexistere, quia coexistentia essentialiter dicitur existentiam utrius extremi, & ita cuiuslibet existentiam negare formalissime est negare coexistentiam utriusque. Includit igitur suppositio illa, quod Petrus existat, & non existat, quod Deus illi coexistat, & non coexistat, & sic facta hypothesi impossibili coexistentie duplicis contradictorii, exempli gratia quod Petrus existat, & non existat, concedimus non tam vi illationis, quam suppositionis, quod in eo casu Deus coexistere Petro, & non coexistere Petro. Deinde negamus consequentiam illam: ergo hic Deus non est hic Deus. Ad illius probationem respondemus distinguendo propositionem illam subiectum, de quo verificatur unum contradictorium non est subiectum de quo verificatur aliud contradictorium: distinguo, ex natura rei, nullaque suppositione facta: concedo: ex suppositione, quod de eodem subiecto verificatur duplex contradictorium, & quod deficiat principium, illud implicat idem simul

esse, & non esse nego, ut in hoc casu contingit nego. Quomodo autem hoc in prædicto casu contingat, & quomodo supponere Petrum existere, & non existere, & existere simul Petrum, & illius carentiam sit supponere Deum coexistere Petro, & non illi coexistere: & Deum coexistere Petro, & illius carentia iam explicui.

Dices iuxta hanc doctrinam nunquam posse vtiliter argui, nec legitime aliquid inferri facta suppositione impossibili. Respondeo facta suppositione impossibili, plura vtiliter, & legitime inferri ex antecedenti impossibili, & involuente contradictionem, dum una pars contradictionis assumitur clarius ponitur omnia v.g. dum vis agnoscere caput distinctionis Spiritus Sancti à Filio, & supponis hunc ab illo non procedere, consequentia debet vnicè deducere ex hoc supposito principio, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio, & legitime erunt iuxta formam syllogisticam, si autem eas deducas ex hoc principio à te supposito, quod Spiritus sanctus non procedat à Filio, & ex alio vero, quod procedat à Filio simul sumptis consequentia nullius erunt momenti, destrues enim primum principium syllogisticum, & ita corrumpet tota syllogistica forma. Doctrinam hanc pro innumeris fallaciis vitandis notavit Sorus lib. Summularum eodem modo respondendum est aliis argumentis iunculis eorundem iuniorum, quibus idem probare intendunt inferentes casu, quo daretur duplex contradictorium inferendum esse Deum quodlibet eorum cognoscere, & non cognoscere, ut velle existere, & non existere.

26 Obiiciunt iidem iuniores: Deus est connexus cum aliquo connexo cum possibilitate Petri: ergo est connexus cum ipsa possibilitate. Consequentia est legitima, antecedens probatur, Deus est connexus cum hoc scientia actu, quem habet. Si existat Petrus cum his præcise prædicatis, quæ modo habet existit sine contradictione, scientia est connexa cum hoc illius obiecto, sed hoc obiectum est possibile: ergo Deus est coniunctus, cum possibilitate.

27 Respondeo; in tantum Deum esse connexus cum illa scientia in quantum illa scientia est necessaria, ut per se notum est. Deinde est etiam per se notum in tantum illam scientiam esse necessariam, in quantum obiectum illius est necessarium, & quia est modo simpliciter necessarium obiectum, scientia est simpliciter necessaria, casu tamen quo obiectum deficeret, scientia illa deficeret quoad formalitatem, & expressionem, & si non quoad entitatem, & Deus idem intrinsece invariatus permaneret sine illa scientia, quoad formalitatem, & expressionem eodem prorsus modo ac permaneret sine scientia visionis, quam modo habet de mea existentia casu quo non fuisset productus. Vnde infero, Deum solum esse connexus cum illa scientia ex suppositione obiecti ad quod terminatur sicuti est connexus cum scientia visionis ex suppositione obiecti, & non alio modo, neque alia est differentia, aut disparitas, nisi quod suppositio obiecti scientia visionis est contingens, & ita potuit obiectum deficere, & cum eo scientia, suppositio autem obiecti illius est necessaria, & ita sicuti non potest deficere obiectum, non potest deficere scientia, cuius tota necessitas refunditur in necessitatem obiecti, ac proinde si hoc deficeret deficeret scientia Deo intrinsece invariato.

28 Obiiciunt iterum iuniores: Deus per suammet entitatem intrinsece habet distinguere ab equo possibili, & ab hyrcoceruo impossibili, & ita per suam entitatem habet distinguere à possibili, & impossibili, sed si equus non esset possibilis non haberet eandem amplitudinem distinctionis, si quidem tantum distingueretur ab impossibili: ergo illi deficeret aliquid illi intrinsecum, ac proinde non esset idem numero Deus, qui modo est.

29 Ne certo scire hoc argumento uti iuniores bonæ notæ, nec referre illud audeat, est enim omni difficultatis apparentia nudâ. Respondeo, Deum per suam entitatem habere distinguere ab equo, & ab hyrcoceruo, siue uterque sit possibilis, siue uterque impossibilis, unus possibilis, & alter impossibilis, illorumque possibilitas, aut impossibilitas, Deo esse extrinsecâ, quia tamen modo unus est possibilis, & alter impossibilis, modo Deus distinguitur ab uno possibili, & ab altero impossibili, casu tamen quo equus esset impossibilis distingueretur Deus à duobus impossibilibus equo, & hyrcoceruo, & tunc ex parte Dei eadè esset distinctio cū eadè amplitudine, ut cum iuniorum terminis loquar, ac modo est.

30 Obiiciunt insuper. Deus potest absolute producere Petrum, & non hyrcocerum: ergo habet potentiam respectu Petri, quam non habet respectu hyrcocerui, sed si Petrus

Petrus non esset possibilis non haberet talem potentiam: ergo si Petrus non esset possibilis aliquid intrinsecum Deo deficeret. Respondeo, Deum quatenus est ex se secundum quod requiritur ex parte virtutis, tam esse potentem producere hyrcocerum, quam Petrum, non tamen dici absolute potentem producere hyrcocerum ex defectu possibilitatis termini producendi, non ex defectu virtutis, quā ex parte sua sufficientem habet etiam respectu hyrcocerui. Dicit tamen absolute potentem producere Petrum, quia virtuti intrinsecā, quam habet ad illum producendum, adiungitur possibilitas termini producendi: Unde, in hoc conceptu Deus absolute potens producere Petrum duo includuntur virtus productiva ex parte Dei, & possibilitas Petri, quorum primum etiam datur respectu hyrcocerui, quia tamen non datur secundum, nempe possibilitas hyrcocerui, non datur Deus absolute potens producere hyrcocerum, sed tantum quasi conditionate ex parte termini potens producere hyrcocerum pro casu quo hyrcoceruus esset possibilis.

31 Redeunt iuniores ad suum argumentum de amplitudine, quam ad omnipotentiam æquē inutiliter transferunt, ac in distinctione eam posuerunt. Deus ex se est potens producere Petrum possibilem, & hyrcocerum impossibilem: ergo ex se est potens producere possibile, & impossibile; sed si deficeret possibilitas Petri tantum ex se posset producere impossibile: ergo omnipotentia non haberet eandem amplitudinem; non esset eadem. Argumentum hoc propositum inter Petrum possibilem ex una parte, & hyrcocerum impossibilem ex alia posset eodem modo fieri inter omnes creaturas posibles ex una parte, & impossibiles ex alia. Respondeo eodem modo, ac de distinctione respondi, Deum ex se habere sufficientem virtutem ad producendum Petrum, & ad producendum hyrcocerum, siue utrumque, siue neuter sit possibilis, siue vnus, & non alter, & in omni casu eandem fore amplitudinem ex parte intrinsecā omnipotentis: quod enim repugnat, aut repugnet productio propter possibilitatem, aut impossibilitatem effectus Deo est valde extrinsecum.

PUNCTUM V.

An possibilitas effectus habeat connexionem cum possibilitate causa.

§. I.

Propria sententia.

1 Dixi sæpè effectum possibilem nondum existentem, nihil esse, seu non esse, & de illo non posse proprie dici verbum *esse*, insuper possibilitatem intrinsecā rei creatæ non proprie esse ab æterno, licet ab æterno effectus denominetur possibilis. Ex quo infertur effectum purè possibilem, seu puram possibilitatem cum nullo extremo posse proprie connexionem habere, quia quod non est, non est habens connexionem. Eadem ratione colligitur puram possibilitatem non esse dependentem, quia quod non est, non potest esse dependens; non tamen ideo potest dici possibilitatem esse independentem à causa: eadem enim ratione, quā repugnat propria dependentia puræ possibilitatis, repugnat independentia eiusdem, quia dependentia, & independentia, eodē modo supponunt esse rei dependentis, vel independentis. His præmissis statuo quæstionem non posse procedere de propria connexionem, seu dependentia actuali, quarum non est capax entitas purè possibilis, quæ nō est, quod multos decepit, qui ex hac ratione intulerunt possibilitatem esse independentem, falso tamen, quia ut sæpè dixi, possibilitas pura proprie nō est, ac proinde neque dependens, neque independentis, poterit tamen dici, non proprie dependens, sicut chimæra dicitur non alba. Procedit tantū quæstio de connexionem, siue dependentia in eo genere, in quo effectus possibilis, seu pura possibilitas est, an eodem modo dependeat, & causā eodē modo supponat possibilem.

2 Recetiores aliqui sequuti Basilium Legionensem Punct. præcedenti citatum existimant repugnante quocumque principio productivo effectum illius non iri repugnatum, hac ratione tuerentur, casu quo per impossibile Deus repugnaret non inferendum per locum intrinsecū creaturarum possibilitatem defecturam; sed omnes adhuc permansuras

possibiles. Alij ex nostris doctissimi Magistri asserunt deficientem possibilitatem causæ defecturam possibilitatem actionem à tali principio dependebat, non tamē defecturam possibilitatē effectui, qui non immēdiatē per se ipsos; sed media actione distincta à causa procedebat. Sic casu quo Deus repugnaret repugnaret omnes actiones, quia omnes qui effectus, qui à Deo pendēt sine interiecta actione, sicut sunt termini, qui per se creantur iuxta probabilem serentiam, non tamen defecturam possibilitatem illorum effectuum, qui per interiectam actionem dependent à Deo. Sic

PRIMA CONCLUSIO. Nulla actio potest esse possibilis, quin possibilis sit illius principium, à quo existente dependet. Ratio est: Actio per se, & essentialiter habet connexionem necessariam cum suo principio, & habet connexionem essentialē cum illo: ergo non potest actio esse possibilis, quin illius terminus possibilis sit, quia implicat actionem connexionem habere cū principio impossibilem, alius haberet connexionem cum eo quod nō est, quod implicat, quia de ratione connexionis est non esse vnū extremum sine altero, cum quo est connexum. Dices actionē habere connexionem cum principio in statu existentis, non verbū in statu possibilitatis. Huius solutionis impugnatio, solida probatio meæ conclusionis erit. Ab his dependet entitas possibilis in statu possibilitatis, à quibus in statu existentis non potest non dependere existens. Sed non potest actio existere adhuc de potētia absoluta, quin existat principium à quo per se dependet: ergo non potest esse possibilis actio, quin possibile sit principium illud, à quo in statu existentis non potest non dependere. Antecedens probatur entitas possibilis dicit obiectivè entitatem cum eisdem prædicatis, eisdemque affectionibus, quibus gaudet in statu existentis; sed actio in statu existentis per se ipsam habet intrinsecam, & essentialē connexionem actualem cum principio: ergo in statu possibilitatis habet eandem connexionem eo modo, quo ipsa habet esse in illo possibilitatis statu. Virgeo: esse entitativum actionis est actualis connexio cum principio: ergo in quocumque statu cognoscatur cognoscenda est actualis connexio; sed implicat realis connexio cum aliquo, quod reale non sit: ergo implicat actio, quæ essentialiter est connexa, implicante causa, quæ est huius connexionis extremum. Confirmatur: Esse rei purè possibilis, ut sæpè monui, est tantum purum esse obiectivum, quod ex eo, quod sit possibile, non est, sed esset sine contradictione aliqua, casu, quo Deus vellet illud producere: ergo in illo esse obiectivo inspicendum est cum eisdem formalitatibus, quas haberet si actu esset existens. Sed actio si esset existens essentialiter supponeret principium, cum quo essentialiter connectitur: ergo actio dum est possibilis inspicenda est essentialiter connexa cum principio à quo existenti dependeret, si ipsa existeret: ergo eo ipso quod actio possibilis sit, seu habeat esse obiectivum, eodem modo debet illius principium esse possibile, & habere idem esse obiectivum, quod tantum dicit entitas possibilis, de qua millies dixi non habere esse, & prædicatum possibile esse additum diminuens, cum dicitur *Petrus est possibilis, homo est possibilis*.

SECUNDA CONCLUSIO. Omnis effectus, etiam si actione interiecta ab ipso distincta producatur, in statu possibilitatis supponit ut possibile omne principium, à quo in statu existentis, adhuc de potentia Dei absoluta, non potest non dependere. Hæc conclusio eadem ratione, quæ præcedens probanda est: Effectus ita essentialiter à principio dependens implicat existere non existentibus principiis illis, à quibus essentialiter dependet: ergo sunt essentialiter connexi cum suis principiis: ergo non possunt videri sine hac connexionem actuali cum eisdem principiis. Confirmatur: Omnis effectus habet essentialē, seu ineuitabilem connexionem cum illa causa, à qua implicat non dependere, sed implicat habere connexionem cum aliquo non possibili: ergo supponit ut possibilem causam illam cum qua habet essentialē connexionem. Recurre ad rationes suprà factas de actione respectu principij, quæ omnes eodem modo procedunt de effectui respectu causæ à qua essentialiter dependet.

Respondent doctissimi Magistri, qui sentiunt actionem possibilem essentialiter supponere principium, ut possibile, & dissentiant ab hac conclusione, asserentes non repugnaturum effectum repugnante quacumque causa illius, etiam prima

prima, à qua non per se ipsum immediatè, sed media actione dependeat, disparem esse rationem de actione, ac de effectu, quia hic non per suammet intrinsicam entitatem dependet, sed medio alio (videlicet media actione, actio verò dependet per suammet entitatem nullo alio interiecto. Neque placet disparitatis ratio, neque doctrinæ consequentiam laudo, quia etiam si verum sit effectum dependere media actione, & actionem per se ipsam immediatè dependere, tamen æquè necessum est effectum dependere à Deo, etiam si ab illo non per se ipsum immediatè, sed media actione dependeat, ac ipsam actionem dependere à principio, à quo per se ipsam dependet, & æquè repugnat calorem qui modò dependet à Deo media actione, existere, quin à Deo dependeat, & quin supponatur existens à Deo, quem existentem supponit, ac repugnat actionem per se ipsam dependentem non dependere, seu existere non existente Deo: ergo etiam si dependentia actionis sit per se ipsam, & effectus media actione dependeat, æquè necessaria est connexio effectus cum Deo, à quo non potest non dependere, ac connexio actionis, & æquè inevitabilis est consequentia, & æquè firma vis illationis: Existit effectus, ergo existit Deus, à quo recipiat existentiam, ac ista, existit actio: ergo existit Deus à quo per se ipsam dependet, quia et si effectus non dependeat per se ipsum, sed media actione à Deo, tamen per se ipsum habet non posse existere, quin actu dependeat à Deo, & per se ipsum habet repugnantiam ad existendum sine actuali dependentia à Deo tanquam à prima causa: ergo æquè essentialiter, & per suam entitatem dicit effectus Deum existentem supponi ad ipsius existentiam, ut principium influens in ipsum effectum media actione, ac dicit actio supponi ad ipsam Deum existentem ut principium, à quo actio per se ipsam dependet: ergo sicuti ratione connexionis essentialis, quam habet actio existens cum principio existente, & ratione repugnantia, quam habet actio ad existendum absque principio non existente, actio etiam ut possibilis est connexa cum possibilitate principij, sic ratione similis connexionis effectus cum principio, etiam ut possibilis, connexus erit cum possibilitate principij, à quo non potest non dependere. Verge: non minus requiritur existentia causæ ad influendum media actione in effectum, quam ad influendum in actionem immediatè per ipsam actionem, ut per se notum est: ergo effectus existens in statu existentia æquè necessariò supponit existentem causam, à qua non potest non dependere, & ac supponit existentem causam actio, quæ per se ipsam ab illa dependet: ergo in statu possibilitatis non est minus connexa possibilitas effectus cum possibilitate causæ, ac possibilitas actionis cum eiusdem causæ possibilitate: ergo sicuti repugnet actio repugnante principio, à quo per se dependet, ita repugnet effectus, à quo in statu existentia non potest de potentia Dei absoluta non dependere, etiam si per actionem superadditam dependeat, & respectu cuius effectus media actione superaddita dependens habet per suammet entitatem repugnantiam ad existendum sine dependentia illi superaddita. Dico effectum dependentem per actionem superadditam habere per se ipsum absque vilo superaddito repugnantiam ad existendum sine hac dependentia, quia non est idem effectum per se ipsum dependere, & effectum habere per se ipsum non posse existere sine dependentia: quo modo autem hæc differant explicui in simili Cont. 76. de Anim. Punct. i. ubi dixi aliud esse actum per suammet entitatem esse intrinsecè verum, aliud per suammet entitatem non posse non esse verum, & per suammet entitatem habere repugnantiam cum falsitate, & cum negatione falsitatis.

Secundum doctrinam traditam, repugnante Deo per locum intrinsecum repugnet omnis actio, & omnis effectus, & nulla creatura esset possibilis, quia omnis actio immediatè per se ipsam dependet à Deo, & omnis effectus ita dependet à Deo, ut de potentia Dei absoluta non possit productus ab aliis causis existere, quin actu à Deo dependeat, est enim essentialiter omni creaturæ habere repugnantiam ad existendum sine actuali dependentia à Deo. Secundum eandem doctrinam repugnante quacumque causa creata repugnent omnes actiones, quæ ab illa possunt dependere, quia actiones dependent immediatè, & per se ipsas ab omni principio à quo possunt dependere, ac proinde essentialiter cū tali principio sūt cōnexæ. Repugnet etiam omnis effectus, qui nulla interiecta actione ab aliquo principio creato dependet, sicuti intellectus, & alia huiusmodi

operationes vitales in mea sententia à principio viventi dependent, quia effectus per se ipsum dependens sine interiecta actione habet secum identificatam rationem actionis, & æquè connexus est cum principio, ac qualibet alia actio à termino distincta. Ex effectibus, qui dependent media actione superaddita, si daretur aliquis, qui etiam de potentia Dei absoluta non posset produci à Deo sine concursu causæ secundæ, à qua non posset non dependere, repugnante tali causa, repugnet effectus ille, qui sine illius concursu, neque à Deo posset supernaturaliter produci. Huius conditionis est iuxta sententiā P. Vas. qualitas, in qua intellectus cōsistit, quæ media actione ab intellectu dependet, & de potentia Dei absoluta in sententia P. Vasq. non potest existens ab intellectu non dependere. Sit

TERTIA CONCLUSIO. Effectus, qui indifferens est ut producatur à Deo tantum, & à Deo, & à causa secundæ, etiam si naturaliter semper à causa secundæ producatur, repugnante causa secundæ adhuc possibilis permaneret, Deo non repugnante. Idem dicerem de effectu, qui respectu huius causæ secundæ, possit ab hac, vel ab illa dependere, & sic non posset non ab illarum aliqua dependere, qui dum non repugnet utraque causa, etiam si illarum aliqua repugnaret possibilis esset. Ratio conclusionem deprecatur. Effectus indifferens, ut dependeat, & non dependeat ab hac causa potest existere non existente tali causa: ergo existentia effectus non habet connexionem cum existentia causæ: ergo neque possibilitas eiusdem effectus connexionem habet cum possibilitate causæ: quia ut dicebam supra, connexio effectus possibilis cum causa possibili sumitur ex connexionione effectus existentis cum causa existente, & cum eis prædicatis, formalitatibus, & affectionibus cognoscitur possibilis, quibus gaudet existens. Habemus ex hac conclusione repugnante omni causa creata productiva caloris, calorem non repugaturum, quia calor potest existere immediatè productus à Deo absque concursu alius causæ secundæ. Insuper etiam si fingatur calorem non posse à Deo produci; sed necessariò producendum esse ab igne, vel ab alia causa creata, adhuc in hoc casu ficto, repugnante hoc igne, non repugnet calor, quia calor existens non necessariò dependet ab hoc igne; sed potest hoc igne non existente, à quo de facto dependet dependere ab alio, per aliam causalitatem: quotiescumque enim possibilis est aliqua causa, à qua existente potest effectus adæquatè dependere, necessaria non est possibilitas alius causæ, à qua possit etiam dependere effectus, ut hic sit possibilis. Sit

QUARTA CONCLUSIO. Ex repugnantia omnium actionum collectivè sumptarum per locum intrinsecum infertur repugnantia effectus, si tamen vnica actio remaneat possibilis media qua effectus possit dependere à causa, etiam si reliquæ omnes repugnent, subsistet effectus possibilis. Utraque pars conclusionis eodem modo probatur de causalitatibus, qua similem conclusionem de causa probavimus. Effectus, qui per se ipsum non dependet à causa non potest existere adhuc de potentia Dei absoluta nulla causalitate existente: ergo in statu existentia connexionem habet cum hac, vel illa, vel illa causalitate, & verum est dicere, existentia causalitatis requiritur, ut iste effectus sit extra causas, ita ut neque de potentia Dei absoluta possit dari illius existentia sine causalitatis existentia: ergo neque illius possibilitas sine causæ possibilitate. Deinde: existentia effectus potest dari ex vi huius causalitatis existentis, aliis quibuscumque non existentibus: ergo possibilitas effectus potest dari, data possibilitate huius causalitatis, etiam si alia causalitas possibilis non inveniatur.

§. II.

Argumenta soluta.

Obicies primò: Prius est effectum esse possibilem, quam Deum posse illum producere: ergo etiam si Deus non posset illum producere, effectus esset possibilis. Probatur antecedens: hæc est vera causalis: ideo potest Deus producere effectum, quia effectus est possibilis; & hæc est falsa: ideo effectus est possibilis, quia Deus potest illum producere. Similiter hæc est vera causalis, quia chimæra est impossibilis Deus non potest illum producere; & hæc est falsa, quia Deus non potest producere chimæram, chimæra est impossibilis: ergo possibilitas, & impossibilitas effectus sunt prius, quam posse, vel non posse

posse Deum producere effectum : ergo etiam si Deus non posset producere hominem , qui modo est possibilis permaneret hominis possibilitas, sicuti etiam Deus posset, aut non posset quatenus est ex se producere chimæram , chimæra impossibilis permaneret. Confirmatur ex D. Thom. q. 25. art. 5. ubi ait obiectum omnipotentia esse non quod Deus potest facere, sed quod ex se non repugnat.

10 Ad solutionem huius obiectionis referenda est perillustis doctrina, quam doctè expendit P. Vasq. 1. p. dist. 40. c. 3. & frustra impugnare conatur Heric. disp. 5. c. 3. n. 46. videlicet omnipotentiam posse dupliciter concipi : primò concipi potest secundum rationem intrinsecam , & virtutem Dei tenentem se ex parte actus primi ex se potentem influere in effectum non implicantem. Secundò potest omnipotentia considerari secundum alium conceptum extrinsecum, quem sumit à possibilitate effectus, per quem dicitur absolute potens, non quia conceptus iste sit virtus productiva, aut ratio influens in effectum, sed quia prior ille omnipotentia conceptus, in quo consistit tota ratio productiva per modum actus primi, qui supponitur ad possibilitatem effectus, & ad hunc conceptum, potest quasi impediri impossibilitate effectus, ut illum producat, ac proinde requiritur possibilitas, seu non repugnantia effectus, quasi ablatio impedimenti ut Deus ex se intrinsecè potens producere, non tantum ex se, sed absolute potens dicatur, vel requiritur ut habitio materiae, obiecti, seu termini, circa quem omnipotentia se possit exercere, quia effectus repugnantem non posset Deus illum producere non ex defectu potentia, sed ex defectu obiecti, seu termini, circa quem tenderet omnipotentia. Ex his duobus omnipotentia conceptibus prior antecedit omnis effectus possibilitatem, & de illo non est verum dicere, quia effectus est possibilis Deus potest illum producere, potius est verum dicere, quia effectus, qui est possibilis, possibilis est, quia Deus est potens illum producere. Posterior omnipotentia conceptus constituitur per possibilitatem effectus, & illam inuoluit, & de illo conceptu omnipotentia verum est dicere, quia effectus possibilis est Deus potest illum producere, in qua causali non ponitur ex parte consequentia omnipotentia præcisè secundum id, quod intrinsecè dicit in se, & secundum illud tantum, quod se tenet ex parte actus primi, sed secundum conceptum actus primi seu virtutis intrinsecæ Dei ut habentis obiectum expeditum, seu terminum in se aptum ut possit à Deo produci. Ex quo inferes causalitatem, quam significamus cum dicimus, quia creatura est possibilis Deus potest illam producere, esse quasi in genere causæ formalis, quia per ipsam creaturam, quam insitit causæ significamus, vltimò, & formaliter constituitur omnipotentia, quæ ponitur ex parte consequentis, quia omnipotentia, quam dicimus conuenire Deo, quia effectus est possibilis non est virtus intrinsecæ Dei secundum se sumptæ, sed virtus intrinsecæ Dei, ut coniuncta cum ipsa possibilitate apta ex se terminare actionem, quam omnipotentia valet iaculari, & virtus intrinsecæ huiusmodi sumpta, ut coniuncta cum possibilitate constituitur per ipsam possibilitatem effectus, quæ superuenit virtuti intrinsecæ Dei iam existentis.

11 Consulto dixi omnem effectum, qui est possibilis, possibilem esse, quia Deus est potens illum producere per conceptum intrinsecum omnipotentia, quia omnipotentia supponitur ut principium ad possibilitatem, quæ per se ipsam formaliter est possibilitas, & non supponitur ad chimæram, quia etsi ex parte Dei non deficiat virtus, quæ debet supponi ad chimæram possibilitatem, ex parte chimære deficit intrinsecæ possibilitas, quæ per se ipsam est possibilitas, quia etsi omnipotentia debeat supponi ad omnem possibilitatem, non sufficit hanc supponi, ut effectus sit possibilis, quia omnipotentia tantum intelligitur ut causa illorum prædicatorum, quæ per se ipsam habet quævis entitas. Eadem ratione contingit in statu existentia, in quo, quia homo ex se, & per sua prædicata essentialia est rationalis Deus est causa efficiens hominis existentis, qui sit animal rationale, & non potest esse causa hominis existentis, qui sit equus, similiter, quia equus, ex se est hinnibilis, Deus est causa equi existentis, qui sit rationalis. In hanc doctrinam voco P. Hurt. disp. 15. Met. §. 107. ubi asserit hominem non esse possibilem eo præcisè, quia Deus potest illum producere, quia licet ad hoc requiratur omnipotentia Dei, requiritur tamen non repugnantia ex parte hominis.

Idem tenet Ripald. tom. 1. de ente supern. disp. 32. sect. 2. n. 35. ubi asserit entitates non habere ab alio intrinsecam non repugnantiam existendi, sed à se ipsis habere non repugnare existere ab aliis.

Obiic. secundò : Non repugnantia rei seorsim ab existentia non potest terminare causalitatem alicuius principij, neque causa operatur secundum esse possibile, sed secundum esse existens, ergo effectus possibilis non potest dependere à causa possibili, neque causa possibilis potest inducere in effectus possibilitatem : ergo possibilitas effectus non dependet à possibilitate causæ, quia seclusa causalitate inter possibilitatem effectus, & causæ possibilitatem nullum aliud est caput, ex quo possit oriri dependentia, aut conexio possibilitatis effectus cum possibilitate causæ. Hæc obiectio ex doctrina tradita n. 1. facile solutionem habet, ibi enim præmonui rem purè possibilem nullum habere esse physicum, ac proinde physicè, neque esse dependentem, neque independentem quod probat obiectio, nihilominus eo modo quo entitas possibilis dicitur esse, dicenda est dependens, sicuti eo modo quo homo dicitur esse possibilis dicitur rationalis, etiam si in statu possibilitatis nullam possit edere ratiocinationem, quia cum dicimus homo possibilis est rationalis, tantum significamus hominem extitutum rationalem, seu cum potentia ad ratiocinandum casu, quo extiteret, sic similiter cum dicimus entitas possibilis est dependens, tantum significamus casu, quo extiteret extitutam dependentem, ita necessariò, ut aliter de potentia absoluta non posset contingere, quod sufficiens est, ut in statu possibilitatis dicatur dependens à possibilitate effectus, quia in statu possibilitatis, etsi verè nihil physicè sit, est obiectivè illud quod in statu existentia physicè existeret, quia illud quod existeret, eo modo quo existeret possibile denominatur.

Ex hac doctrina ad formam argumenti facile respondeatur distinguendo utramque partem antecedentis, & consequens illatum per hos terminos physicè, & obiectivè, effectus enim possibilis terminat causalitatem, non physicè, sed obiectivè, hoc est illam terminaret necessariò, si existeret. Similiter causa possibilis insitit, non physicè, sed obiectivè, hoc est influeret ipsa existens, si effectus esset extitutus, eademque ratione possibilitas effectus non dependet physicè, quia physicè nullam habet entitatem, sed obiectivè, hoc est dependeret necessariò, si existeret, neque aliud volumus significare cum dicimus creaturam possibilem dependere ab alio, ac cum dicimus hominem possibilem esse rationalem, quia tantum possumus intendere significare hominem habiturum virtutem elicendi ratiocinationem, casu quo existat, quod est illam habere obiectivè dum est possibilis, non enim potest in alio sensu dici de homine possibili esse rationalem, quia homo purè possibilis verè non est, ac proinde physicè non potest esse dependens neque rationalis, neque habere aliquod prædicatum. Quod si tibi videatur sufficiens, non esse, ut homo possibilis dicatur dependens à causa prima, ex eo quod existens necessariò dependeret, dicito hominem possibilem dicendum non esse rationalem, quia non ex alio capite in statu possibilitatis rationalis dicitur, nisi quia eo ipso quod existat, existet cum virtute ratiocinandi, & si reliqua alia prædicata poteris præscindere à quocumque ente possibili, quia nullo alio titulo illi competunt in statu possibilitatis, nisi quia illis physicè gauderet in statu existentia. Id quod dixi de duplici conceptu intrinsecò, & extrinsecò omnipotentia intelligendum est proportionem servata respectu effectuum, quos continet, de quacumque virtute creata non connexa cum possibilitate effectuum imò de illa, quæ connexionem huiusmodi haberet, licet hæc secundum conceptum intrinsecum esset connexa cum non repugnantia effectus, per quam vltimo constituitur conceptus extrinsecus potentia ad tales effectus. Dices res sic intellecta extra quæstionem esse hominem possibilem dependere à Deo, quia extra quæstionem est hominem existentem habiturum dependentiam, & implicare ipsum existere sine hac dependentia. Respondeo res bene inspecta, & intellecta absque controversia admittendam esse conclusionem, quam defendimus, non tamen posse sine magna disputatione ita reduci ad prima principia, in qua multi discunt à principiis, in quibus debet procedere disputatio de quocumque prædicato rei possibilis, & ita nostram conclusionem audent negare.

Obiicies teritiò : Ens creatum eo ipso, quod sit ens creatum tantum petit dependere ab aliqua prima causa, à qua

qua recipiat esse : ergo si per impossibile non existeret hic numero Deus, qui modo est; sed alius æquè omnipotens, creatura, quæ modo est possibilis, permaneret adhuc possibilis: ergo possibilitas creaturarum, quæ modo sunt possibiles non habet connexionem cum hoc numero Deo; ergo si per impossibile existeret alius Deus loco huius, permaneret eadem creaturæ possibiles, quæ de facto possibiles sunt. Respondeo. posse consequentiam concedi, & admitti consequens absque ulla contradictione doctrinæ tradita, iuxta quam posset dici creaturas possibiles necessariò supponere aliquam primam causam veram, & non fictam, & cum absolute tantum sit vera prima causa hic numero Deus, & commentitius omnis alius Deus ab isto distinctus, hinc est creaturam necessariò supponere hunc numero Deum, casu autem ficto, quo daretur alius numero Deus non fictus; sed realis, & verus & parum referre admittere hoc deficiente, creaturas, quæ modo sunt possibiles, intrinsicam possibilitatem retenturas. Sentio tamen melius dici, adhuc casu ficto, quo existeret alius Deus loco huius numero Dei Optimi Maximi, qui summè necessariò existit, creaturas omnes, quæ modo sunt possibiles, repugnatum iri, quia modo capacitatem non habent quatenus est ex se terminandi actionem ab alia prima causa distincta à vera prima causa, quæ summè necessariò existit, & ita deficiente hoc Deo, & alio adueniente virtutem non haberent terminandi causalitatem exeuntem ab illo Deo, qui tunc esset, quia cum in illa hypothesi creaturæ essent eadem eandem capacitatem haberent terminandi causalitates, & carerent capacitate, quam modo non habent, quapropter non possent depèdere ab illa prima causa, quæ tunc esset, quæ respectu illarum perinde se haberet, ac si non existeret, & ita ex repugnantia huius primæ causæ, quæ nunc summè necessariò existit inferretur repugnantia creaturarum, quæ modo sunt potentes tantum terminare actionem procedentem à Deo vero, qui est, & non à fictis, qui casibus chimericis supponuntur.

15 Instabis de ratione omnipotentie est ut possint ab illa dependere omnes effectus possibiles: ergo de ratione illius omnipotentie realis, quæ modo fingitur, esset, ut effectus, qui modo existunt possint ab illa dependere. Resp. de ratione omnipotentie esse ut ab illa possint dependere omnes effectus, qui sunt possibiles, si possibiles essent in quacumque suppositione, in qua ipsa existeret; non verò esse de ratione omnipotentie ut possint ab illa dependere effectus, qui tantum essent possibiles, casu quo ipsa repugnaret, & alia omnipotentia existeret. Hac ratione non esset de conceptu illius omnipotentie, quæ fingitur, ut ab illa possint dependere effectus, qui possint ab illa dependere, quia casu, quo illa existeret, repugnaret illa cum per locum intrinsecum repugnet coexistentia duarum omnipotentiarum, sicuti repugnant duo Dij coexistentes, & consequenter repugnaret effectus, qui modo ab hac omnipotentia possunt dependere.

PUNCTUM VI.

An causa, & effectus mutuo referantur.

§. I.

De causis creatis, & de effectibus.

1 SENTIUNT multi idem esse causam transcendentem ad effectum referri, ac esse connexam cum illius possibilitate: ita tenet Ripald. tom. I. de ente supernat. disp. 3. sect. 1. n. 2. ubi asserit ordinem transcendentem naturæ in actus supernaturales non aliud intelligi, quàm connexionem intrinsecam naturæ cum his actibus ex vi cuius repugnantibus actibus natura repugnaret. Ab hoc vulgari dicendi modo pauci recedunt, quorum Soar. 1. p. lib. 3. cap. 9. n. 13. ubi asserit Deum esse intrinsecè connexam cum creaturis possibilibus, & negat ad illas transcendentem referri, quia id quod transcendentem referatur ad aliud, debet ordinari in illud tanquam in finem; omnipotentia verò non potest respicere tanquam finem illius creaturas, & ita non potest in illas transcendentem referri, & P. Fasol. 1. part. q. 12. art. 8. dub. 12. n. 68. docet omnipotentiam esse connexam creaturis possibilibus, & non transcendentem referri ad illas, quia relatio transcendentalis respicit aliud ut suum perfectibile, sicut materia respicit formam, per

Franc de Oñedo, Philosoph. Tom. 11.

quam perficitur, & forma materiam, per quam etiam perficitur, omnipotentia autem in nullo perficitur per effectum ad extra productum, & ita non potest ad illum transcendentem referri. Idem tenet Herice, qui docet disp. 5. c. 4. omnipotentiam esse connexam cum possibilitate creaturarum, & negat dicere relationem transcendentem ad creaturas.

2 Ceterum ex alio capite ego dissentio à sententia, quæ relationem transcendentem cum connexione conuertit: sentio enim omnem entitatem cum alia connexa ad illam transcendentem referri, non tamen omnem entitatem transcendentem relatum connexionem habere cum termino, ad quem infertur. Hanc posteriorem partem conclusionis probavi Puncto 2. ubi statui posse dari relationem transcendentem ad terminum, qui neque existat, neque possit existere, ex quo infertur relationem transcendentem non habere connexionem cum suo termino, id enim, quod potest existere sine existentia, & sine possibilitate aliis non potest dici cum illo connexam. Eandem conclusionem partem rursus confirmabo cum probem causam non connexam cum effectū, adhuc possibilis, ad illius existentiam transcendentem referri. Priorem partem videlicet omnem identitatem cum alia connexam ad illam transcendentem referri, sic probo. Quidquid per suammet entitatem est cum alia connexam nō potest intuituē cognosci sine illo extremo, cum quo est connexam, quia connexio, est proprium intrinsecum prædicatum, quo nequit sine extremo quidditatiuē cognosci, sicuti non potest vniū quidditatiuē cognosci sine extremo, quod ex vi illius connectitur. Sed transcendentem referri ad aliud tantum dicit non posse sine illo quidditatiuē cognosci: ergo quidquid est cum alio connexam ad illud transcendentem referretur. Maiorē negabit nemo: minor constat ex dictis Punct. 1. ubi essentiam relationis transcendentalis explicui. Consequentia est legitima. Secundo: Causa creata connexa cum his effectibus possibilibus, quos producere potest, connexionem non habet cum possibilitate aliorum effectuum, quos producere nequit: ergo ex vi connexionis diuerso modo se habet respectu illorum effectuum possibilium, quos in se continet, ac respectu aliorum: ergo aliquem respectum transcendentem habet ad hos effectus possibiles, cum quibus connectitur, qui modus ille diuersus se habendi est respectu aliis quod est esse respectuum, seu ad aliud, & insuper est identificatus cum entitate, quæ dicitur respectiva, & transcendens illius prædicata essentialia, ac proinde nihil in illo potest desiderari, ut respectus transcendentalis dici possit. Eodem modo philosophandum esset de omnipotentia, si hæc esset connexa cum possibilitate effectuum, quia licet hæc connecteretur cum possibilitate omnium, qui modo sunt possibiles, & non modo aliquo speciali se haberet respectu vnius, quo non se haberet respectu reliquorum omnium, iam omnipotentia illa talis esset, ut repugnante homine deficeret, & modo non deficeret repugnante Hircoceruo, & similiter posita possibilitate Hircocerui repugnaret, & modo posita possibilitate hominis non repugnat. Insuper posita omnipotentia connexa cum effectibus possibilibus, hæc est bona consequentia. Existit hæc omnipotentia: ergo possibilis est homo, & tamen non est bona consequentia: existit omnipotentia: ergo possibilis est hircoceruus: ergo omnipotentia illa aliquid intrinsecū habet respectu creaturarum, quæ modo sunt possibiles, quas in se continet, quod non habet respectu entitatum, quæ repugnant, quas neque quatenus est ex se continet: ergo omnipotentia sic connexa per suam entitatem habet habitudinem aliquam cum creaturis possibilibus, per quam potest inferri iudicium de possibilitate creaturarum deductum ex existentia omnipotentie cū illis connexæ, quæ omnia arguunt non posse talem omnipotentiam cognosci non cognitis creaturis, cum quibus habet connexionem, & formaliter dicunt habitudinem intrinsecam, seu respectū transcendentem omnipotentie ad creaturas possibiles.

3 Rationes, quas adducunt Soar, & Fasol. ad probandum omnipotentiam connexam cum creaturis possibilibus non transcendentem ad illas referri, neque multum premunt, neque difficilè solvuntur. In primis gratis docet P. Soar. relationem transcendentem debere aliud respicere tanquam finem, quod si verum esset, neque causæ creatæ haberent relationem transcendentem ad effectus, quos in se virtualiter continent, quia non omnis causa respicit

Gg

respicit

tanquam finem omnem effectum, quem potest producere, quis enim dicit finem hominis esse possibilitatem, seu existentiam impulsus, quem potest lapidi imprimere. Secundò, Actio transcendentaliter refertur in principium adiuuum, passivum, & terminum, & non hæc omnia tanquam finem respicit. Tertiò: idem P. Soar. disp. 46. Metaph. sect. 2. n. 9. asserit rationem transcendentalem respicere aliud tanquam subiectum, vel obiectum, vel agens, vel finem: ergo de ratione relationis transcendentalis non est determinatè respicere aliud tanquam finem. Neque maiori fundamento dixit P. Fasol. relationem transcendentalem respicere aliud, ut suum perfectibile, quia effectus per actiones transeuntes producti nulla ratione perficiuntur principia creata, à quibus procedunt, & tamen terminant illorum transcendentalem respectum, ut fert communis opinio. Effectus producti per actiones transeuntes non perficere principia, à quibus procedunt, videtur per se notum, quid enim perfectionis homini adducit impulsus ab illo in lapide productus: Quod si dicas quemlibet effectum productum à causa creata, esse perfectionem extrinsecam causæ, à qua procedit, adde extrinsecè, & improprie effectus isti principia creata perficiunt, ut possit eodem modo dici huiusmodi effectus esse perfectiones extrinsecas principij increati, à quo procedunt.

4 His præmissis Sit PRIMA CONCLUSIO. Nulla virtus productiva creata potest intuitivè, & clarè cognosci, quin cognoscatur effectus virtualiter in illa contentus, siue hic sit impossibilis, siue possibilis existat. Ratio est, quia etiam si virtus causativa sit independens ab effectu secundum se nihilominus in se specialiter continet hunc effectum, & non alium: ergo, qui intuitivè virtutem hanc cognoscit, ignem, v. g. dicit ignis ex se est potens producere hos effectus, quicumque sint, quos ignis potest producere, & non alios: ergo ex vi huius cognitionis debet saltem apprehendere calorem, qui potest ab igne produci: implicat enim hoc iudicium: ignis est specialiter productivus caloris & non aliorum effectuum, quin apprehendatur. Rem explico. Pono virtutem productivam caloris in igne, & virtutem productivam frigiditatis in aqua sine aliqua connexion cum possibilitate effectuum, quos in se continet. Qui cognosceret has virtutes diceret: ignis quatenus est ex se est potens producere calorem, quem producet si ipse non implicet, & si forsan virtutem istam compareret cum frigiditate diceret, quantumvis ex se frigiditas non repugnet, non poterit illam ignis producere. Similiter, qui intuitivè penetrat aquæ naturam necessariò diceret: aqua quatenus est ex se, potens est producere frigiditatem, & illam producet si non repugnet, quod iudicium fieri nequit sine apprehensione frigiditatis: rursum si virtutem aquæ compareret cum calore diceret quantumvis ex se calor non repugnet non poterit illum aqua producere: ergo virtus creata, quæ tantum se potest ad certos & determinatos effectus extendere, & non ad omnes, specialiter ducit in cognitionem illorum effectuum, quos in se continet.

5 SECUNDA CONCLUSIO. Omnis virtus productiva creata dicitur habitudinem, seu respectum ad effectum, quem in se continet. Hæc conclusio rectè ex præcedenti inferitur, quia ut benè docet P. Didacus Ruiz disp. 5. de scientia, s. 2. relatio transcendentalis in eo consistit, quod aliqua res in genere substantiæ, vel alijs prædicamentis extra relationem non possit cognosci, nisi rem aliam in obliquo cognoscendo: sed nulla virtus creata potest cognosci, quin cognoscatur effectus in illa contentus: ergo ad illos transcendentales refertur. Secundò virtus productiva caloris cum igne identificata, etiam si independens sit à possibilitate caloris, tamen diverso modo se habet respectu caloris, quem etià implicat, quatenus est ex se, virtualiter continebit, quæ respectu frigiditatis, ut dicebam numero præcedenti: ergo ex se aliquid habet respectu caloris, quod non habet respectu frigiditatis, quod cum sit in ordine ad aliud respectum dici debet, & cum sit quid identificatum cum virtute ignis respectum transcendentalem purè appellatur.

6 TERTIA CONCLUSIO. Respectus transcendentalis causæ non est ad puram possibilitatem effectus existentia seclusa, sed ad ipsam formalissimam existentiam effectus. Probatur conclusio ex identitate possibilitatis cum existentia: ex qua inferitur non posse possibilitatem intrinsecam rei terminare respectum aliquem, quem existentia non terminet. Secundò efficacius: virtus productiva dicitur ordinem ad illud, quod dicitur virtualiter in illa contentum,

tanquam effectus in causa; sed id quod est contentum in virtute productiva tanquam effectus in causa est ipsa formalissima existentia rei: ergo virtus productiva ad formalissimam rei existentiam dicit respectum. Maior est certa, non enim cōtinetur: Minorem probō. Id continet virtus productiva virtualiter in se, quod extra se ponit, & quod attingit media causalitate, sed quod extra se ponit, & quod attingit media causalitate, imò & quod potest ponere extra se, & quod potest existentia, ut ultimò ad actum reducat: ergo id, quod virtus productiva intra se virtualiter cōtinet est formalissima rei existentia, & non pura possibilitas, ut distincta ab existentia.

QUARTA CONCLUSIO. Respectus causarum non est ad aliquam rationem communem ab effectibus abstractam, sed ad ultimas differentias individuales cuiuscumque singularis effectus. Conclusionem hanc latè tradit Hurt. disp. 8. Physic. sect. 3. per quinque subsecutiones ubi plura tradit, quæ ad doctrinam conclusionis tradite spectant. Patet ergo rem ostendo. Relatio causæ est ad id, quod in se continet, & quod attingit media causalitate, & ponit extra se. Sed causa non in se continet, neque attingit media causalitate, aut ponit extra se rationem aliquam communem omnibus effectibus, sed singulos effectus in particulari cum sua ultima individuali differentia, quæ à causa producit: ergo non refertur transcendentaliter ad aliquam rationem communem: sed ad singulos effectus individualiter sumptos. Hæc est potissima, & formalissima huius conclusionis ratio, idem illi supersecedo, & alijs minus efficacibus parco, ne illius veritate omnino certam suspexit reddam. De obiectis potentiarum intentionalium hic agere nonnulli, quod alienum à causarum disputatione, potentia enim non est causa obiecti: sed actus respectus obiectum, ad quem individualiter sumptum refertur relatione transcendentali, sicuti ignis refertur ad calorem, relatio vero potentia ad obiectum non est immediata, sed medio actu, & ita rationem illam obiecti respicit potentia, quam respicit actus, medio quo potentia obiectum respicit, ex quo inferres potentiam intellectivam producentem intellectum individualem respicientem rationem individuum obiecti medio hoc actu respicere rationem individuum obiecti, & eandem potentiam producentem alium actum, qui respiciat rationem communem obiecti præcisam à differentia individuali medio illo actu respicere rationem communem præcisam à differentia individuali, quia respicientia potentia ad obiectum, non distinguitur à respicientia actus ad obiectum, sed respicientia, quæ habet actus per se ipsum tribuitur potentia, à qua producit, quæ immediatè, & per se obiectum non respicit, sed tantum quatenus producit actum respicientem obiectum. Neque respectus ille mediatus potentia ad obiectum est respectus causæ ad effectum, quia potentia respicit obiectum medio actu, qui non respicit obiectum relatione causæ ad effectum.

QUINTA CONCLUSIO. Effectus omnes transcendentales refertur ad causam primam, & ad alias secundas, à quibus procedunt. Ratio est: Quilibet effectus ex se habet capacitatem ad terminandam causalitatem procedentem à causa prima, & ab hac causa secunda, & non ab alia, & virtualiter continetur in causa prima, & in hac causa secunda, & non in alia, ex quo fit illi qui intuitivè penetrat effectum, & cognoscit hanc capacitatem terminandi causalitatem, & continentiam passivum effectuum in causis non posse effectus cognoscere sine habitudine, seu respectu ad causas, quas oblique cognoscit, ut terminos illius habitudinis. Præcipua difficultas, quæ in hac materia poterat adduci petenda erat ex eo quod non possit dari realis relatio transcendentalis ad terminum non realem, & repugnantem, quam solui Punct. 2. ubi oppositum probavi.

§. II.

De causa increata.

DE omnipotentia difficultius potest in hac questione iudicium ferri, præcipuè iuxta principia tradita, ex quibus negatio connexionis negationem relationis non arguit. Autores citati Punct. 4. asserentes omnipotentiam non esse connexam cum effectuum possibilitate negant aliquam relationem transcendentalem dicere ad effectus, idhuc ut possibiles, non ex alio capite, nisi quia relationem sine connexionem non admittunt. Ex his qui omnipotentiam connexam

connexam cum possibilitate constituunt, transcendentaliter referri negant P. Soar. P. Fafof. & P. Heric. relati n. i. Cæterum P. Granad. citatus Punct. 4. n. 2. & P. Didac. Ruiz. de Trinit. disp. 62. sect. 2. asserunt dari in Deo respectu transcendentalem ad creaturas, non solum possibiles, sed etiam existentis, asseruntque prædictum respectum esse reale intertranscram perfectionem Dei Gregor. Ariminens. in 1. distinct. 30. q. 3. conclus. 3. dixit Deum ab æterno referri ad creaturas non existentes, quia illarum est causativus, quibus verbis tradidisse puto de omnipotentia conclusionem quam præcedenti ego tradidi de causis creatis videlicet referri ad existentias, quas in se virtualiter continet, & quas possunt causare, etiamsi creaturæ non existant, imò etiamsi non sint possibiles, quia ratio, propter quam causa creata ad effectum refertur est, quia illius est causativa, seu quia illum in se continet, & quatenus est ex se illum potest producere, sue effectus sit possibilis, siue impossibilis, quod est valde extrinsecum causæ & respectui, qui cum illa identificatur. Gabr. tom. 1. in 1. p. disp. 104. c. 3. suppreffo nomine refert recentiores quosdam asserentes omnipotentiam dicere relationem transcendentalem ad creaturas, & P. Hurt. disp. 15. Met. sect. 9. docet probabilem esse opinionem admittentem hos respectus transcendentales in omnipotentia, licet ipse oppositam amplectatur.

In meis principis facilius videtur posse hunc respectum transcendentalem in Deo admitti, quia cum respectus transcendentalis non dicat connexionem cum termino, absque ulla dependentia Dei à creaturis, & absque ulla imperfectione poterit respectus iste in omnipotentia constitui. Deinde consequenter ad id, quod diximus de causis creatis videtur eodem modo philosophandum esse de causa increata, cum eodem modo constituamus causas creatas, & increatas absque ulla connexionem cum possibilitate effectuum, quos in se continet. Verge ex eo quod igitur sit productivius caloris independentem à caloris possibilitate, qui intuitum cognoscit ignem debet cognoscere ignem quantum est ex se posse calorem producere, quod fieri nequit sine apprehensione caloris: ergo eodem modo, qui cognoscit omnipotentiam esse productivum caloris, debet apprehendere calorem, id quod quælibet virtus creata habet respectu aliquorū effectuum, habet virtus omnipotentia respectu omnium, & sicut virtus creata non potest intuitu cognosci non cognitis effectibus, quos potest producere, ad quos transcendentaliter refertur, quia sine illis non valet cognosci, sic omnipotentia cognosci non poterit, quin cognoscat omnes effectus, quos in se continet, saltem sub aliquo conceptu confuso, & vniuersali, & ad illos transcendentaliter refertur, quia sine illis cognosci non poterit.

12 Ceterum grauis me tenet difficultas ne in hanc abeam
sententiam, quia si concedamus omnipotentia referri trans-
cendentaliter ad effectus possibiles, cum quibus nullum
habet connexionē, eo modo concedendum est transcen-
dentaliter referri ad hircocerum, hippocentaurū, & aliam
quamcumque chimeram. Ratio est facilis: Omnipotentia
quatenus est ex se, non solum est potens producere calorem
possibilem; sed hircocerum impossibilem, quem ab-
solute ex virtutis, quā habet absolute posset producere, si
ille ex se non repugnaret: ergo si ex eo quod omnipoten-
tia ex se sit productiva caloris independenter ab illius pos-
sibilitate, vel impossibilitate, non potest intuitiue cogno-
sci, quin saltem apprehendatur calor, & ad hunc transcen-
dentaliter referatur: sic ex eo quod omnipotentia ex se suf-
ficiens sit producere hircocerum independenter ab illius
possibilitate, vel impossibilitate, non poterit intuitiue cog-
nosci, quin apprehendatur hircocerus, & ad illum trans-
cendentaliter referatur omnipotentia, quæ quatenus est
ex se, eodem modo se habet respectu effectus possibiles, &
impossibiles, ad utramque enim Deus ex se sufficientem
virtutem habet, quæ ad actum reduci nequit respectu ef-
fectus impossibilis, non ex defectu virtutis seu potentia, sed
ex repugnantia ipsius effectus. Dicere autem omnipoten-
tiam intuitiue cognitam determinare ad apprehensionem
omnis chimæ ex cogitabilis paradoxum est. Neque
sufficiet dicere tantum determinare ad cognitionem om-
nium chimerarum sub conceptu confuso, & vniuersalissi-
mo, quo dicat, quia intuitiue videt omnipotentiam, omni-
potentia ex se virtus est sufficiens ad producendum, quid-
quid non implicauerit, quia Deus non apprehendit obie-
cta sub confuso modo: sed vnumquodque valde distincte.

& ita Deus eo ipso quod suam omnipotentiam cognoscat, tenebitur ex vi omnipotentiae apprehendere quamcumque excogitabilem chimæram, & habere hoc iudicium: mea omnipotentia ex se sufficiens est producere hircocerum, quo iudicio oblique tanget hircocerum, & sic de omnibus chimæris, quæ confingi possunt. Deinde quidquid sit de modo, quo chimærae deberent cognosci ex eo quod omnipotentia intuituè cognosceretur, si omnipotentia determinat ad illarum cognitionem transcendat iter referatur ad illas, quod multis plus quam temerarium videbitur, licet alij forsitan non adeo severe de hac re sentiant, cum relatio transcendentalis iuxta nostra principia non importet aliquam connexionem, neque dependentiam à termino. Deinde cum omnes qui omnipotentiam constituit non connexionem cum creaturis possibilibus, & asserunt hircocerum esse ab hac numero omnipotentia producendum si per impossibile fieret non repugnant, concedunt omnipotentiam de facto existentem quatenus est ex se habere modo virtutem sufficientem ad producendum hircocerum, & illum in se virtualiter continere, licet de facto possit esse producere propter repugnantiam, quam inuoluit ipsius existentia, & admittunt omnipotentiam esse ex se continentiam virtuale illorum, quæ de facto implicant, sic non videtur graui censura dignum admitti relationem transcendentalem in omnipotentia, absque vlla connexionē, seu dependentia respectu illorum, quorum in eadem omnipotentia virtualis admittitur continentia.

Nihilominus inauditu hucufq; fuit omnipotentis tranſcendentaliter referri ad entia, quæ de factis poſſibilia non ſunt, & non ſine ingenti paradoxo diceretur. Ideo cenſeo omnipotentiam ad nullum effectum, quem in ſe continet, tranſcendentaliter referri, neque ex vi illius intuitiue cognita debere apprehendi aliquem effectum in illa contentum. Moueor à poſteriori ad negandum omnipotentia reſpectum ad creaturas poſſibiles, ne cogar concedere omnipotentiam referri tranſcendentaliter ad omnes chimæras excogitabiles, quod nemo admittit, & mihi eſt valde abſurdum. Rationem à priori eiufdem concluſionis ſic conficio: omnipotentia eo ipſo, quod virtus eſt infinita, ex ſe potens eſt producere quicquid non implicauerit, & eodẽ modo ſe habet reſpectu omniũ producibilium, & nihil ſpeciale habet reſpectu huius effectus, quod nõ habet reſpectu aliis cuiuſcuſque: omnes enim eminent in ſe continet: ergo ad hoc vt beatus, vel Deus intuitiue cognoscat id, quod nos cognoviſcimus per hos conceptus, omnipotentia quatenus eſt ex ſe, eſt potens producere hominem, & hircoceruum ſi non implicent, & præciſe quia hircoceruus implicat non poteſt illum producere, non ex defectu virtutis, ſufficiet intuitiue cognoscere infinitatem omnipotentia, quæ dicit intrinſecè, & in ſe hanc eminentiſſimam omnium continentiam, ex vi cuius Deo ineſt virtus ad producendum quemcumque effectum assignabilem, ſi ipſe in ſe non repugnet, & tunc non ex defectu virtutis requiſita ex parte actus primisè ex repugnantiã ipſius produci non poterit, ſufficiet ergo ad hoc vt omnipotentiã intuitiue cognita penetretur, cognosci ipſam eſſe virtutem productivam infinitam, cuius infinitatem nos concipere non poſſumus, niſi cum ordine ad vniuerſos effectus, ad quos ipſa ſe poteſt extendere, beatus autem, qui omnipotentiam, vt eſt in ſe cognoviſcit, id percipit per ſimpliciſſimum conceptum attingentem virtutem productivam infinitam, cuius infinitas importat extenſionem ad omnes effectus, ita vt nullus poſſit illius actiuitatem ſubterfugere, neque illius actionem, ſi ipſe in ſe non repugnet, tunc enim, & actio ad ipſum terminata repugnabit.

Ex hac ratione disparitatem deprehēdes inter virtutem
productiuam, creatam, & increatam omnipotentiam, propter
quam virtus productiua creata relationem dicar ad
effectus, quos cōtinet, quam non dicit omnipotentia, quia
virtus productiua creata certos, & determinatos effectus
in se continet, quos, & non alios, potest producere, & ita
speciali modo se habet ad illos, quos continet, quo non se
habet ad alios, quæ specialis habituudo cognoscit nequit
non cognitis effectibus, quos specialiter virtus illa emi-
nenter continet; omnipotentia verò nullam specialem
habitudinem dicit ad aliquem effectum, & sed æquè est po-
tens ad omnes effectus, & non solum se extendit ad omnes
possibiles, sed etiam eadem existens se extenderet ad om-
nes, qui modo implicant, si illorū repugnantia impedimēto
non esset, vt ab omnipotentia producerentur: si enim ab

G g 2 hircocervo

hircoceruo repugnantiam præcideres eodem modo posset produci à Deo ex vi virtutis, quam modo habet, nulla alia illi adueniente, ac potest modo produci homo, qui de facto producit, quod proprium est infinitæ virtutis, nulla enim virtus creata potest dari, ex vi cuius primum esse accipere possit tanquam à causa principali quiddam in rerum natura producit, etiam illud quod modo repugnat, si fieret non repugnans. Negandum ergo omnipotentiæ respectus aliquis ad effectus, quos in se continet ratione huius vniuersalissimi modi illos continendi nulla habita ratione ad naturam huius, vel illius, cuiuscunque enim naturæ effectus assignatur, Deus ex se habet sufficientem naturæ effectus assignatur, & illum absolute poterit producere absque vilo impedimento, si effectus in se repugnantia non inuoluat. Secundum hanc doctrinam non renuerem concedere omnipotentiam dicere respectum transcendentalem ad hos effectus, qui modo sunt possibiles, si illam cum his possibilibus connexam constituerem, quia omnipotentia connexa cum his possibilibus, quæ eadem non esset si hircoceruus fieret non repugnans, adhuc præcisè repugnantia hircocerui diuerso modo se haberet respectu hircocerui non repugnantis, ac se habet modò respectu hominis non repugnantis, quia nunc existente non repugnantia hominis illi coexistit omnipotentia, & illum potest producere, si tamen daretur non repugnantia hircocerui, omnipotentia, quæ modo consideratur connexa cum his possibilibus, quæ sunt de facto, non posset existere, neque valeret hircoceruum non repugnantem producere, quod iuxta meam sententiam est contra conceptum omnipotentia, vt dicebam Punct. 4. num. 11. idè absolute pronuncio omnipotentiam nullam habere connexionem cum possibilibus, & eandem omnino futuram, si effectus omnes, qui modo sunt possibiles, fierent impossibiles, & illi qui modo repugnantiam inuoluunt, in non repugnantiam transirent.

PUNCTUM VII.

Quomodo effectus cognoscantur in causa, & quinam illorum cognosci debeant.

1 CUM natura relationis transcendentalis in eo sita sit, vt non possit vnum sine alio cognosci, plurimum con-
ducet ad perfectam cognitionem relationum, quas dicunt causæ ad effectus agnoscere quo modo effectus cognoscantur in causa, & an in causa intuitiue cognita cognosci debeant omnes effectus, quos ipsa continet, vel illorum aliqui, & an illi, qui cognoscantur debeant cognosci sub vniuscuiusque individuali differentia, vel sufficiat ipsos sub aliqua communi ratione cognosci?

2 P. Valquez 1. part. disp. 50. & 60. locis iam citatis Becan. tract. 1. q. 4. & 8. Albert. q. 2. Theologica, Alarcon tract. 2. de scientia, disp. 2. c. 3. & apud hos Scotus, Bonaventura, Maior, Marf. Almain. Gabriel, & Ochamus asserunt in omnipotentia nullam creaturam possibilem agnoscere. Affertur conclusioni, quam tradidi Punct. præcedenti, verumtamen si rationi horum Doctorum assentirem, non solum in omnipotentia, sed neque in alia quacunque causa creata effectus aliquis cognoscitur, prædicti enim auctores ex eo negant creaturas in omnipotentia cognosci, quia omnipotentia indifferens est, vt coniungatur cum possibilitate creaturarum, vel cum ipsarum repugnantia, ac proinde non potest ducere in cognitionem possibilitatis, cum qua connexa non est: cum ergo ego defendam nullam causam creatam connexam esse cum possibilitate effectuum, quos in se continet, quiddam inferatur in omnipotentia ex eo præcisè quod connexa non sit cum effectuum possibilitate, poterit in quacunque alia causa inferri, ideo oportet huius rationis momenta perpendere.

3 P. Heric. disp. 51. tract. de visione c. 3. docet sufficere continentiam virtutem creaturarum in omnipotentia, etiam si relatio, aut connexio non intercederet, vt posset in ipsa omnipotentia cognosci, quod docuerat P. Soar. lib. 2. de attributis, c. 25. & P. Arrub. disp. 3. c. 3. docet Deum ex vi penetrationis essentia cognoscere creaturas posibles, cum quibus nullam connexionem inesse alicui Dei intrinseco prædicato defendit, in quorum sententia non rectè infertur præcisè ex indifferentia omnipotentia, vt coniungatur cum creaturis possibilibus, vel cum illarum repugnantia non posse creaturas posibles in omnipotentia cognosci.

Censeo in causa siue creata siue increata indifferenti vt coniungatur cum possibilitate effectuum, & cum eorumdem repugnantia non posse iudicariue cognosci possibilem, & cum alicuius effectus, id enim quod cum alio conuenit non est, quantumvis intuitiue cognoscatur non potest intellectu determinare, vt de illo iudicium ferat, imò quò magis intuitiue penetraretur, magis cognoscetur indifferenti ad vtrumque extremum, quæ magis suspensum relinquit intellectum ad iudicandum, quod etià illorum verè existat. Ceterum hæc indifferenti non impedit tale medium de terminare intellectum ad apprehensionem obiecti, cuius est virtus, & virtualis obiecti, cuius probabili quod indifferens est vt coniungatur cum obiecto, & cum negatione illius, & ex hoc capite non potest esse medium sufficiens, vt in illo iudicariue cognoscatur illius obiectum, nihilominus non potest intuitiue cognosci, quoniam obiectum per illud representatum, cum quo potest non coniungi apprehensiuè cognoscatur, quia ex se intrinsece, & per suam entitatem est representatio talis obiecti, & est determinatum ad representandum hoc, & non aliud istò distinctum, & ita vt intuitiue cognoscatur debet cognosci vt representatio huius obiecti, quod fieri nequit si hoc determinatum obiectum non apprehensiuè saltem cognoscatur.

Ex alio capite creaturas posibles adhuc apprehensiuè in omnipotentia non cognosci, omnes effectus virtualiter contentos in quacunque alia causa creata in illa tanquam in medio debere apprehensiuè cognosci statui Puncto præcedenti, vbi propugnauit relationem transcendentalem causæ creatæ ad effectus, quos virtualiter continet, & eandem relationem in omnipotentia impugnauit. Ceterum ex hac doctrina non levis insurgit difficultas circa modum cognoscendi in causa creata effectus in illa contentos, & quinam illorum debeant cognosci an omnes, an tantum illorum aliqui? Exempli gratia: Agnosco intuitiue ignem, qui virtutem habet producendi plures calores numeros distinctos, inquiritur an ex vi huius intuitiue cognitionis debei ego apprehendere omnes calores contentos in illa virtute secundum ultimam differentiam individuale illorum, vel sub aliqua ratione communi, vel tantum illorum aliquos, hos vel illos? Similem, imò omnino eandem questionem exagitant Theologi asserentes creaturas posibles cognosci in omnipotentia, qui dubitant, an omnes, an illarum aliquæ, an sub communi aliqua ratione, an sub propria vniuscuiusque differentia cognoscendæ sint? Dicam quod iudicium Theologi, asserentes creaturas in omnipotentia cognosci, ferant de hac questione in omnipotentia, quod eodem modo ferendum est in qualibet alia causa creata respectu effectuum, quos in se continet.

Videri omnes creaturas posibles in omnipotentia defendunt Gorfred. quodlib. 9. q. 3. Bassol. q. 4. prologo. art. 1. Durand. in 3. dist. 4. q. 2. & in 4. dist. 49. q. 3. Albert. Magna. 3. dist. 14. Nò omnes creaturas posibles, sed aliquas in omnipotentia videri docent D. Thomas 1. p. q. 12. art. 7. & 8. & ibid. Caiet. Banez, & Zumel. P. Valent. punct. 6. P. Molina disp. 5. P. Soar. t. 1. in 1. p. lib. 2. cap. 16. Ferrara cum D. Th. tertio contra gentes cap. 56. Capreol. in 4. dist. 49. q. 6. Sot. quæst. 3. art. 3. Mouentur hi Doctores quia si omnes creaturas Beatus in omnipotentia cognosceret, Deum comprehenderet. Addunt alij talem cognitionem fore infinitam. Negat P. Heric. disp. 4. cap. 4. talem visionem fore comprehensiuam, & disp. 36. à num. 57. vsque ad 62. negat similiter talem visionem fore infinitam, ac proinde asserit ex his capitibus non repugnare beatum videre creaturas omnes in omnipotentia. Neque his rationibus fidet P. Arrub. quapropter aliam est meditatus ad probandum non posse dari cognitionem terminatam ad Deum, & ad creaturas posibles, quam non examino, quia ad rem modò non est definire an talis visio repugnet, sed an necessariò danda sit ex eo, quod creature posibles in omnipotentia cognoscantur, quod si affirmatiue concludatur, certum est, teneri admittere visionem terminatam ad Deum, & ad omnes creaturas posibles, Doctores, qui asserunt creaturas posibles in omnipotentia cognosci, verò negatiue, nihil reuertit ad hanc questionem an talis cognitio aliunde possibilis sit necne.

P. Valquez qui negat creaturas cognosci in omnipotentia tanquam in obiecto prius cognito, sic arguit disp. 50. c. 6. Omnipotentia æquè dicit ordinem ad omnes effectus posibles, æquè continet omnes, & omnino æqualem connexionem

xionem habet cum omnibus; ergo vel omnes debent in omnipotentia cognosci tanquam in medio prius cognito, vel nullus est cognoscendus. Fatetur Herice ipsum argumenti difficultatem cognoscere: fateor ego me non conuenisse solutionem ab ipso adductam, quam verbis D. Thom. referre dicit, in quibus eximiam Angelici Doctoris lego doctrinam, & solutionem, quam D. Thom. dare non intendebat, ad prædictam difficultatem non reperio. Venio ad Hericij verba: asserit Deū posse producere hunc effectum, duo dicere: omnipotentiam, & hunc effectum ab illa distinctum, ac proinde posse illam sine hoc cognosci. Idem dicam ego de omnibus effectibus, & de omnibus simul sumptis ac proinde secundum hanc solutionem posset concludi omnipotentiam posse cognosci nullo cognito effectus, quod non concedit Herice, neque assignat rationem cur hic effectus, & non alius, in omnipotentia cognoscatur. Mitto longiorem impugnationem, quæ posset peti ex hoc modo cognoscendi effectus, qui nō dicit cognitionem illorum in omnipotentia, sed in se ipsis, siquidē cognoscuntur in hoc quod est Deum posse producere effectus, quod secundum Herice dicit duo, omnipotentiam, & ipsos effectus.

8 Respondet P. Arrubal. disp. 26. cognosci hos effectus, & non alios propter diuersum modum concurrendi, quem habet essentia diuina per modum obiecti, quæ liberè concurret ad visionem per modum obiecti, ac proinde potest concurrere ad visionem harum creaturarum, potius quàm illarum. Non faciliè percipio hunc diuersum modum concurrendi per modum obiecti, quem assignat Arrubal, quia essentia per modum obiecti, sicuti quodlibet aliud obiectum tantum habet terminare cognitionem sui per suammet entitatem: sed omnia prædicta essentia eadem indiuisibiliter terminant quancumque cognitionem beatam, cum eadem ab omnibus beatis cognoscantur: ergo habet eundem modum obiectum terminandi respectu omnium visionum, quia essentia diuina non alia ratione liberè terminat visionem, nisi quia liberè Deus in genere cause efficientis concurret ad visionem, quæ producta, essentia diuina non potest illam non terminare, vel eandem terminare diuerso modo: male ergo assignat Arrub. differentiam hanc per ordinem ad diuersum modum terminandi, quia libertas in terminando tantum desumitur ex libertate, quam habet in producenda beati visione.

9 P. Granad. contr. 1. tract. 6. disp. 1. sect. 6. n. 36. docet causam formalem propter quam quædam creaturæ videntur, & non aliæ, esse, ipsam visionem, efficientem verò lumen gloriæ, non ratione maioris intensiōis, sed quia ex suo indiuisibili conceptu est representatiuum harum creaturarum, & non illarum. Non quadrat solutio, quia non est questio an possit dari visio beata, quæ secundariò representet has creaturas, & non illas, quod certum puto, & faciliè potest Granad. formaliter in naturam visionis reducere, & efficienter in lumen naturam; sed an obiectum ex se possit determinare ad cognoscendas has, & non illas, quod fieri nequit ratione luminis, quia si hoc est tota ratio ut cognoscantur hæ creaturæ, quæ de facto cognoscuntur visione beata, iam creaturæ istæ non videntur ex vi obiecti, neque in omnipotentia, seu essentia diuina tanquam in obiecto primario. Si verò obiectum cognitum est ratio, propter quam hæ creaturæ non cognoscantur, & non deseruit, ut cognoscantur aliæ, assignet Granad. rationem aliquam ex parte obiecti, propter quam determinet ad cognitionem harum, potius quàm ad illarum cognitionem.

10 Respondent nonnulli Thom. aliquos beatos cognoscere plures creaturas, quàm alij cognoscunt, qui magis penetrant diuinam essentiam. Contra: Omnes beati cognoscunt omnia prædicta, quæ sunt in diuina essentia: ergo per hanc maiorem penetrationem non apparet alicui beato ratio aliqua, quam omnes non videant: ergo nihil est ex parte obiecti primarij huius visionis determinans ad cognitionem harum creaturarum, quod non sit ex parte obiecti cuiuscumque visionis beate: ergo ex vi obiecti omnium visionum beatarum omnes easdem creaturas possibiles attingent.

11 Dicendum est ex suppositione, quod in omnipotentia intuitiue cognita à Beato cognoscantur creaturæ possibiles, siue apprehensiue, siue iudicatiue omnes cognoscendas esse sub conceptu quodam vniuersalissimo, & confuso, in quo conueniunt omnes creaturæ possibiles. Ita docent Granad. suprà n. 30. P. Arrub. disp. 26. c. 6. P. Soar. 1. part. lib. 2.

Francisc. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

c. 26. n. 14. Soar. in 4. dist. 49. q. 3. art. 3. concl. 3. Bañez. & Albecc. q. 52. art. 8. & communiter Thom. Ratio est quia ad conceptum expressum & distinctum entitatis relatiue, seu connexæ, necessum non est distinctè cognosci indiuidua, seu species, quæ se tenent ex parte termini illius connexionis, seu relationis; sed sufficit omnia cognosci sub conceptu confuso, quo repræsententur quatenus conueniunt in ratione omnibus communi.

Contra hunc dicendi modum arguit Herice disp. 51. c. 6. 12 Omnipotentia non continet in se producibile in communi, quia nihil in communi produci potest, sed hoc & illud producibile, & si connexa est cum creaturis possibilibus, non est connexa cum aliquo conceptu vniuersali, sed cum hac, & cum illa creatura possibili, neque relatio cause est ad rationem communem omnium effectuum, quos potest producere, sed ad singula indiuidua producibilia, & ad vltimas illorum differentias: ergo omnipotentia non debet determinare ad cognoscendam rationem aliquam communem omnibus effectibus, quos valet producere, sed ad omnes effectus in particulari cognoscendos, quia ad id debet determinare, quod in se continet, & cum quo habet connexionem, & relationem, si relatio aut connexio inest omnipotentia. Hæc obiectio quàm plures malè torfit, quam ego facillimo negotio dissoluo. Concedo causam dicere ordinem ad omnes effectus in particulari, & ad vltimas illius differentias, & hac ratione assero cognitionem effectuum, cognosci omnes indiuiduas rationes effectuum ex parte obiecti, nō tamen ex parte modi, quia sufficit ad cognoscendam intuitiue causam relatiue ad indiuiduos effectus secundum vltimam illorum differentiam cognosci hos indiuiduos effectus, & illorum vltimas differentias cognitione quādam confusa, & necessum non est quamlibet differentiam indiuidualem cognosci distinctè, ita ut ex vi illius cognitionis discernat intellectus inter hanc, & illam differentiam indiuidualem, sed sufficiet hanc, & illam se tenere ex parte obiecti cognitionis, licet cognitio inter hanc, & illam differentiam indiuidualem, seu inter hanc, & illum indiuiduum effectum non discernat, sed omnes inter se confuse cognoscat. Rem hanc mirè componit sententia negans præcisiones obiectiuas, quam defendo, secundum quam cum ego cognosco ens possibile in communi, ex parte obiecti nihil est commune huic, & illi enti possibili, sed hoc ens possibile, & illud ens possibile secundum suas vltimas differentias indiuiduales, omnia tamen inter se inuoluntè, & confuse cognita, & cognitio, quæ possibile in communi percipitur, ex parte obiecti attingit vltimas differentias cuiuscumque obiecti possibili, licet ex parte modi instar vnius omnia indiuidua possibilia attingat, quia ex vi huius cognitionis, etsi attingatur hoc indiuiduum possibile, non tamen fecerunt ab alio possibili indiuiduo. Hac ratione si inspicimus id, quod se tenet ex parte obiecti huius conceptus vniuersalis, quo cognoscitur ens possibile, est idem formaliter quod se tenet ex parte termini connexionis omnipotentia, si hæ constituitur connexa cum quocumque indiuiduo singulariter sumpto, & cum illo quod se tenet ex parte termini relationis omnipotentia, si hæ constituitur relata ad omnes differentias indiuiduales cuiuscumque effectus, quem in se continet, licet ex modo cognoscendi omnia indiuidua sub conceptu communi, & vniuersali cognoscantur, ita ut non posset intellectus exprimere conceptum, quo expressè iudicaret, vel apprehenderet hominem possibilem, ut distinctum ab equo, sed confuse eo modo quo dicit hominem esse possibilem, cum dicit animal esse possibile, quod est dicere hominem, & equum & reliquas species animalis esse possibiles.

Ob hanc rationem dixi ex vi omnipotentia cognoscendas esse omnes creaturas possibiles sub aliquo conceptu communi, & vniuersali, si in omnipotentia creaturæ possibiles cognoscuntur, & non dixi cognosci sub aliqua ratione illis communi, quia in mea sententia nulla potest dari cognitio terminata ad aliquid reale multis commune. Neque aliquod inconueniens est asserere ex vi omnipotentia cognosci ex parte obiecti vltimas differentias omnium possibilibum dum dicatur ex parte modi cognosci sub conceptu communi, & vniuersali absque vlla distinctione possibilibum inter se, quia hæc terminatio omnium possibilibum ex parte obiecti secundum omnes differentias indiuiduales inest cognitioni abstractiue, & imperfectissimæ, quæ ego modo

Gg 3 appre

apprehendo ens possibile, absque vlla distinctione inter Angelum, & hominem, & absque eo quod possim Angelum, vel hominem in particulari exprimere.

14. Ex his quæ ex hypothesi dixi de omnipotentia, seu in opinione illorum, qui asserunt in omnipotentia cognosci creaturas posibles habemus quid dicere debeamus de quacumque causa creata transcendentaliter relata ad suos effectus, & quid esset dicendum si non solum relata, sed etiam esset cum illis connexa, dicendum enim est determinare ad cognitionem apprehensiuam si tantum sit relata, & iudicatuam, si sit connexa, omnium effectuum quos in se continet, sub quodam conceptu vniuersali, & confuso, ex vi cuius non possit discerni inter hunc, & illum indiuiduum effectuum, licet ex parte obiecti omnes rationes indiuiduas effectuum terminent cognitionem. Rem declarat exemplum: cognosco intuitiue ignem potentem producere calorem, ex vi huius cognitionis cognoscendi sunt omnes calores cõtenti in illo cognitione quadam confusa, & vniuersali, ex vi cuius non discernatur inter hunc & illum calorem, licet ex parte obiecti hic, & ille calor secundum suas ultimas differentias terminent cognitionem. Quod si cognoscenti intuitiue virtutem productiuam repugnet cognitioni confusa effectuum, quos respicit virtus productiua, sicuti repugnat Deo, tunc effectus illi distincti cognoscuntur, illa tamen distinctio cognitionis respectu effectuum, qui secundario cognoscuntur, non erit ad exigentiam obiecti primarij cogniti, sed ad exigentiam cognoscentis, Dei v.g. cui repugnat cognitio, ex vi cuius aliquid obiectum cognoscat non distinctè, & non summe perfectè.

CONTROVERSIA XI.

De reliquis membris diuidentibus.

1. **R**ELIQUA membra in quæ ens diuiditur sunt Actio, Passio, Præsentia, Duratio, Situs, Habere, de Actione, & Passione dixi Contr. 12. Physic. De Præsentia disputaui Controu. 15. Physic. De Duratione egi Controu. 16. Physic. nihilque de his dicendum superest, supposita doctrina tradita locis citatis.

2. **S**ITVS est modus, quo quis talem positionem habet in loco, ratione cuius stare, sedere vel cubare dicitur. Modus iste realiter à Præsentia circumscriptiua non distinguitur, potest tamen formaliter distinguere in eo quod præsentia tantum dicat partes sui, quarum quælibet proprium respicit spatium absque vllò respectu ad aliam partem. Situs verò dicit præsentiam cuius partes inter se certam proportionem, & correspondentiam habent ex vi cuius hæc pars ab illa illam tantum, & non aliam habet distantiam, qui respectus, seu partium distantia in ordine ad ipsas à præsentia ipsarum, & à totius præsentia realiter nõ distinguitur. Præsentia definita neque situs est neque situm fundat, quia corpus, siue spiritus indiuisibiliter respiciens secundum se totum, & secundum quamlibet partem sui spatium diuisibile, neque stare, neque sedere dicitur. Si verò defendas præsentiam definitiuam corporis diuisibilis existentis in spatio diuisibili dicere repetitiones plurium circumscriptarum, teneris dicere corpus illud debere præsentiam quamdam ex vi cuius sedere diceretur, si aliam præsentiam non haberet, & aliam ex vi cuius diceretur stare, si præsentia aliis careret, & sic de aliis sitibus iudicium est ferendum. De facto tamen corpus illud non diceretur sedens, neque stans, quia sessio, seu situs dicit hanc præsentiam, & carentiam alijs in eodem spatio, ex vi cuius partes corporis diuersa distantia proportionem collocantur.

3. **H**ABERE dici solet de quacumque re ad nos pertinenti, sicuti habere pecunias, amicos, Patrem, vires, manus, &c. Hic tamen sumitur pro actu habendi aliquid distinctum, quo sensu dicimus hominem esse armatum, vel vestitum. Hunc modum existimo non distinguere formaliter ab approximatione vestis ad subiectum, quod vestitum dicitur. Habere distinguitur à Situ, quia Situs dicit præsentiam tantum stantis, vel sedentis cum ordine approximationis, vel distantia partium inter se: Habere autem dicit præsentiam duarum rerum habentis, & rei habitæ cum ordine præsentia vnius ad præsentiam alterius. Vnde actus habendi, seu habitio est denominatio resultans ex præsentia ipsius ha-

bentis, & rei habitæ. Subiectum habitus, seu habendi tantum est homo, quia solus homo dicitur vestitus, vel armatus in communi modo loquendi: improprie tamen solet extendi ad alia animalia, & improprie adhuc ad res inanimatas.

CONTROVERSIA XII.

De ente rationis.

RATER Soares in præfatione disp. 54. asserit errorem esse Dialecticum dicere ens rationis ad Dialecticam spectare, quod proprium opus est Metaphysici, qui de ente rationis disputat, & ita de ente rationis, quod illi opponitur debet disputationem constituere.

PUNCTVM PRIMVM.

Entis rationis definitio.

CVM plerumque res à posteriori per effectus, & aliquando à priori per causas nobis innotescant, antiquam illarum essentiam, & quidditatuos conceptus formatur, disputationem circa illius existentiam præmittere solemus, & prius inquirimus, an sit res, deinde quid sit in ente verò rationis, cum effectus nulli nobis suppetant, neque aliquam illius extrinsecam causam inuenire possimus, quæ prius nobis illius existentiam, quam essentiam indicent, nequeunt prædictæ quæstiones separari, imò si separanda sunt, necessum est præcedere, quæ posterior esse solet, cognita enim essentia entis rationis, poterimus postea definire, an sit vel non sit.

Definitio entis rationis à ferè omnibus recepta hæc est: *Id quod solum habet esse obiectiue in intellectu.* Potest aliquid habere esse in intellectu subiectiue & effectiue, & obiectiue. Subiectiue habent esse in intellectu omnes illius actus, qui in intellectu recipiuntur, effectiue in intellectu, seu potius ab intellectu habent esse iidem actus intellectus, qui ab intellectu producuntur, item quodlibet artificiosum opus cuius exequutio intellectus operatione fuit directa. De hoc duplici modo habendi esse in intellectu modo non agimus, neque pertinet ad constitutum entis rationis, potius enim illa, quæ huiusmodi habent esse in intellectu necessarii sunt entia realia realiter existentia. Tertio alia dicuntur habere esse obiectiue in intellectu, quod nihil aliud est, quam intellectui obiecti, seu illius actum terminare, esseque intellectionis obiectum, quapropter omnia, quæ cognoscuntur, dicuntur actu habere esse obiectiue in intellectu & omnia, quæ possunt cognosci, seu sunt cognoscibilia, dicuntur habere esse possibile in intellectu. Cæterum ex his, quæ habent esse obiectiue in intellectu plura sunt, quæ præter illud esse obiectiue, quod in intellectu habent, gaudent alio esse physico, & reali, seu propriis loquendo, quæ non tantum illud esse quod obiectiue habent in intellectu, formaliter vt obiectum, sed etiam extra intellectum independentem ab eo quod illi obiciuntur, equus v.g. qui habet esse obiectiue in intellectu cognoscentis illum, præter illud obiectiue statum in se habet suum esse, ratione cuius etiam non cognosceretur, existeret in se ipso. Huiusmodi entia non dicuntur entia rationis, sed realia, neque illis competit prædicta definitio, cum non tantum habeant esse obiectiue in intellectu, sed physice in se ipsis, & prædicta definitio exposcat in suis definitis habere esse obiectiue in intellectu, & non illud physice in se ipsis habere.

Ex his essentia entis rationis facillè deprehenditur, illud enim dicitur ens rationis, quod cognoscitur, quod est habere esse obiectiue in intellectu, & quod nullum esse habet extra intellectum, ac proinde physice in se ipso non existat. Consent acuti quidam recentes ens rationis non dicere essentialiter actu cognosci, sed tantum posse cognosci, quia antequam ens rationis cognoscatur actu, & habeat esse actuale, habet suum esse possibile, ex eo quod possit cognosci, & in illo possibilitatis statu retinet sortam suam essentiam, quæ non includit existentiam, sicuti essentia

essentia hominis non dicit illius existentiam, & ita homo possibilis totam suam retinet essentiam. Dupliciter posset intelligi essentiam entis rationis non dicere actu cognosci sed posse cognosci. Primum eo sensu, quo dicere solemus essentiam hominis non consistere in hoc quod est actu ratiocinari, sed in hoc quod est posse ratiocinari, & essentiam quantitatis non consistere in actuali impenetratione, seu extensione, sed in hoc quod est petere extensionem, seu impenetrationem, ratione cuius potest existere homo quin actu ratiocinetur, & quantitas quin actu sit extensa, aut impenetrata eo præcisè, quod homo possit ratiocinari, & quantitas petat extensionem, & impenetrationem. In hoc sensu alienum est ab omni veritate essentiam entis rationis consistere in hoc quod est posse cognosci, quia nullum aliud habet esse præter hoc quod est actu cognosci, & ex eo præcisè quod cognoscatur habet suum primum esse.

4 Alio sensu potest dici essentiam entis rationis tantum dicere posse cognosci, hoc est essentiam metaphysicam entis rationis ut præcisè ab existentia non dicere hoc quod est actu cognosci, seu ipsam terminationem passivam cognitionis actu existentem, sed tantum ut possibilem, quia sicuti essentia metaphysica entis rationis non dicit ipsum ens rationis existere, ita non dicit existere terminationem passivam cognitionis, per quam constituitur, sed hanc terminationem ut possibilem eo modo, quo consideratur ens rationis. In hunc sensum videntur loqui recentiores, in quo neque aliquid impugnandum, neque notandum in illorum doctrina invenio, nullum enim ens, ut purè possibile, dicit actu existere id per quod essentialiter constituitur, sed eo modo, quo ens intelligitur, intelliguntur omnia illius prædicata constitutiva. Sic homo possibilis non dicit actu existere potentiam formalem, aut radicalem ratiocinandi per quam constituitur, neque vno possibilis dicit actu esse extrema, ex vi illius unita, licet illius essentia non consistat in hoc quod est posse vni, sed in ipso formali actu vniendi, & quoties intelligitur vno intelligitur actus vniendi, si vno est possibilis, intelligitur actus vniendi possibilis, non dico potentiam physicam ad actum vniendi in statu possibilitatis, seu in potentia metaphysica, in quo nullam dicit formalitatem distinctam ab ipso actu exercito, sic de ente rationis philosophandum est, quod dicit essentialiter actum passivè cognoscendi, & actuale terminationem cognitionis, seu actu cognosci ita ut implicet existere quin actu cognoscatur, & hoc fit totum suum esse: poterit tamen intelligi ens rationis possibile ex eo, quod intelligatur possibile hoc quod est actu cognosci, sicuti actio consistit in determinatione actuali principij effectivi, & intelligi potest possibile, ex eo quod intelligatur possibile determinatio principij effectivi, etiam si nullum principium sit actu determinatum, & vno dicit essentialiter actu necesse extrema, poterit tamen intelligi vno possibilis ex eo quod possibile intelligatur hoc quod est actu necesse extrema etiam si nulla extrema existant actu connexa. Ex hoc tamen nemo ausus est asserere essentiam vniens consistere in hoc quod est posse vni, sed absolute dicendum est consistere in actu vniendi, qui intelligitur existens quando vno sit existens, & intelligitur tantum possibile quando vno sit tantum possibile. Sic absolute dicendum est essentiam entis rationis consistere in hoc quod est actu cognosci, quod erit existens quando ens rationis sit existens, & erit tantum possibile metaphysicè quando ens rationis tantum sit possibile.

5 Secundum hanc doctrinam illud erit ens rationis, quod actu cognoscitur, seu habet esse obiectivè in intellectu, & non habet aliud esse extra intellectum, seu quod est obiectivè in intellectu, & non physicè in se ipso. Sed insurgit difficultas, an quando ego iudico existere aliquod obiectum, quod re vera non existit, sed posset absque vlla contradictione existere, v.g. quando dico Petrum currere qui posset currere, & potentiam habet ad currendum absque vlla actus currendi repugnantia, & de facto non currit, an tunc cursus ille actualis obiectivè existens in intellectu dicendus sit ens rationis. Affirmant Hurt. dif. 19. sect. 5. & Ariag. disp. 6. sect. 3. subsect. 1. quia cursus ille actualis eo modo, quo intellectui obicitur nullum habet esse præter obiectivum in intellectu, quia etiam si in se sit possibilis, non tantum est, ut possibilis, sed ut existens, quia ratione intellectum non habet esse, & ita tantum est obiectivè in intellectu quod est formaliter esse ens rationis.

6 Huiusmodi obiecta tantum possibilea actu terminantia

circa ipsorum existentiam non esse entia rationis fert communis sententia, quæ ego, ut veriorè amplector. Ratio est: possibilitas intrinseca rei, & existentia ipsius ex parte obiecti intrinseca, & in se non distinguuntur: ergo idem obiectum habet iudicium quod fertur in possibilitatem cursus Petri, cum dico *cursus Petri est possibilis*, & iudicium quod fertur in existentiam eiusdem cursus cum dico *cursus Petri est existens*: sed obiectum prioris iudicii non est ens rationis: ergo neque obiectum posterioris iudicii erit ens rationis, quia implicat idem obiectum absque vlla formalitate intrinseca invariata esse ens rationis, & non esse ens rationis. Possibilitatem intrinsecam rei, & illius existentiam formaliter non distingui ex parte obiecti probavi cum Hurtado, & Ariaga Contion. secunda, Puncto secundo. Prior consequutio, videlicet ferri in idem obiectum actum, qui attingit possibilitatem actus, & qui attingit illius existentiam, ex identitate inter possibilitatem, & existentiam legitime inferitur. Posterior per se nota videtur, quia ex apprehensione terminorum notum est non posse idem obiectum intrinsece invariaturum esse ens rationis, & non esse ens rationis; esse ens rationis, & esse ens reale.

7 Dices idem obiectum diverso modo cognitum posse esse ens reale, & esse ens rationis respectu diversarum cognitionum, sicuti idem obiectum respectu diversarum cognitionum potest esse verum, & potest esse falsum. Contra: obiectum esse verum non tantum sumitur ab obiecto, sed ab obiecto & actu, utrumque enim dicit veritas, & falsitas, ex quo rectè fit hoc obiectum cum hoc actu veritatem componere, & denominari verum respectu illius, & cum alio actu componere falsitatem, & respectu illius denominari falsum; obiectum autem esse reale, aut rationis debet sumi non ab actu per quem cognoscitur, sed ab illo quod intrinsece dicit obiectum, quod terminat actus ut adæquatè ab actu distinctum: ergo non poterit obiectum dici reale, aut rationis per diversos actus, quos terminat, si in se ut distinctum ab actibus, manet idem, sed necessariò dum permanet cum eisdem formalitatibus, quæ se tenent ex parte obiecti, siue eundem, siue diversos actus terminet, semper habebit eandem omnino naturam entis realis, aut entis rationis, ita ut si respectu vnius actus sit ens reale, respectu omnium ens reale sit, si respectu vnius sit ens rationis respectu aliorum similiter ens rationis, sicuti obiectum quod respectu vnius actus est substantia, respectu omnium erit substantia, & obiectum quod respectu vnius actus est accidens respectu omnium accedens est, quia non ab actibus, sed à se habet esse substantiam, vel accedens.

8 Dices. obiectum habere hoc quod est esse ens reale non habere à se, sed ab actibus, quibus cognoscitur. Contra: quidquid obiectum habet ab actu intellectus, quo cognoscitur est illi extrinsecum: sed obiectum esse reale convenit illi per suam essentiam, & per prædicata summè intrinseca: ergo non habet esse reale ab actu intellectus: ergo obiectum quod respectu vnius actus est reale, respectu omnium erit reale: ergo respectu nullius actus poterit esse ens rationis.

9 Argumentor secundò: quando ego iudicium fero de possibilitate intrinseca Petri non existentis, illa possibilitas non habet esse physicè in rerum natura, sed tantum obiectivè, & conditionatum, hoc est, quod absque vlla contradictione illud haberet. Sed totum hoc habet existentiam eiusdem Petri possibilis, & non existentis: ergo sicuti possibilitas Petri non existentis, dum terminat iudicium, & actu obicitur, quin habeat aliud esse absolutum, præter hoc quod est obiecti, non est ens rationis, ita neque existentia, etiam si obicitur iudicio, seu sit obiectum iudicii, & nullum habeat esse absolutum præter hoc quod est obiecti, ex eo quod illud habeat conditionatum, seu ex eo quod absque vlla contradictione existeret ex vi cuius possibile dicitur, non erit ens rationis, sed reale.

10 Ex his patet solutio ad argumentum Hurtadi & Ariagæ cui respondeo obiectum non existens, quod potuit existere sub illa ratione formali existendi, sub qua determinat iudicium, habere esse possibile, seu conditionatum, quod sufficit ut non sit obiectum rationis, sed reale. An sit de conceptu entis rationis aliter ac est cognosci dicā Punct. 7. n. 13.

PUNCTUM II.

An datur ens rationis, ubi illius quidditas magis explicatur.

Explicui quid nomine entis rationis intelligatur, & quas formalitates importet; videndum est modò, an ens

Gg 4

rationis

rationis per formalitates explicatas constitutum possit existere. Est ens rationis, ut ex dictis constat ens cognitum, quod neque habet esse actuale, neque possibile, videndum est modò, an possit dari ens cognitum, quod neque habeat esse actuale, neque possibile extra cognitionem, sed totum suum esse sit intra cognitionem, seu in esse obiecti.

2 Vallesius, quem aliqui recentiores sunt sequuti, negant dari entia rationis, de quibus multi hac unica ratione actum esse putant. Prædicti auctores, aut cognoscunt entia rationis, quæ dicunt non posse existere, aut illa non cognoscunt. Si dicant illa non cognoscere reprehendendi sunt, quia audent iudicare de obiecto quod non valent cognoscere, insuper convincuntur facillè illa cognoscere, quia omnino iudicium, etsi negativum sit, includit cognitionem obiecti, de quo fertur iudicium: si dicant illa cognoscere, ergo conficiunt, & dantur entia rationis, quia facere ens rationis, & hoc existere nihil aliud est, quam cognoscere ens rationis, & hoc cognitum esse.

3 Alij non aperte negantes entia rationis asserunt ens rationis ex parte obiecti nihil fictum includere, sed tantum plures existentias rerum inexistibilibus, in quorum aggregato consistit ens rationis, etsi quælibet entitas in illo inclusa seorsum sumpta, illiusque existentia realis sit. Negant ex parte obiecti aliquid in se absolute fictum, quod seclusum ab aliis entitatibus, cui adiungatur sit ens rationis contra quos posset fieri argumentum, quod modò faciendum contra illos, qui absolute entia rationis negabant; necesse enim est ipsos cognoscere illud ens simplex fictum, quod negant, quod eo ipso quod cognoscatur existit. Hac omitto, & pergo ad explicationem huius sententiæ. Auctores, qui affirmant ens rationis consistere in illo aggregato rerum inexistibilibus, quatum quælibet seorsum sumpta existere potest, duplici modo sententiam hanc defendunt. Affirmant quidam extrema, quæ vnitæ concipiuntur in illo aggregato vnitè formaliter per ipsam cognitionem v.g. cum quis apprehendit hominem identificatum cum leone, apprehendit hominem realem, & leonem realem, quos vnit per propriam ipsius cognitionem, per quam hominem, & leonem in se distinctos instat vnius apprehendit eo modo, quo in constructione vniuersalis indiuidua, quæ ex parte obiecti plura sunt, sunt vnum intentionaliter per cognitionem, ex vi cuius instat vnius apprehenduntur, nulla ex parte obiecti ficta vnitæ. Hac ratione explicatam sententiam hanc tradit P. Herice tr. de scientia Dei disp. 8. c. 1. n. 1. pro qua refert nostros Comimbri. quam nullo fundamento confirmat, sed asserit ab ipso in Dialectica propugnatam fuisse. Alij vniõnem, seu identitatem extremorum, in quibus vniõ. & identitas non potest intercedere, non in cognitione, sed ex parte obiecti in illo aggregato vniõnem, vel identitatem aliunde arreptam constituunt, per quam extranea extrema concipiuntur vnitæ, & identificata: exempli gratiā apprehendit quis hominem identificatum cum leone, in hac apprehensione se tenet ex parte obiecti homo, & leo, & identitas, quæ est inter animal, & rationale, per quam apprehenduntur identificari homo, & leo, quin apprehendatur aliquid per se fictum, quia homo, & leo, & identitas inter animal, & rationale sunt reales entitates. Similiter cū quis apprehendit Deum album, apprehendit Deum, albedinem, & inter Deum, & albedinem, realem informationem, quæ realiter est inter albedinem, & agnum, in quibus obiectis nihil per se fictum apprehendit, sed tantum ipsum aggregatum fictum dici potest.

4 Sententia hæc utroque modo explicata æquè displicet, quam per partes impugnabo, prius tamen contra auctores utriusque dicendi modi noto, non rectè dicere ens rationis includere aggregatum rerum inexistibilibus, quia omnia illa, quæ in aggregato constituunt, non solum singula seorsum possunt existere, sed omnia inter se realiter coexistere valent, quia in sententia P. Herice, aggregatum, in quo consistit ens rationis; quo apprehenditur homo identificatus cum leone tantum dicitur ex parte obiecti hominem, & leonem, qui non solum existere seorsum; sed simul inter se, cum identitate ipsorum, quæ in cognitione consistit, coexistere valent. Similiter aggregatum, quod constituitur iuxta secundum dicendi modum includens hominem, & leonem, & identitatem inter animal, & rationale nullam entitatem includit, quæ nõ possit omnibus aliis coexistere, & de facto omnes coexistunt modo in hoc instati temporis, in quo existunt homo, leo, & identitas inter animal, &

rationale: ergo aggregatum, quod constituit utraque sententia, non solum dicitur entitates existibiles; sed coexistibiles, quæ de facto inter se coexistunt, neque aliquid fictum ponitur ex parte obiecti, cum omnia, quæ se tenent ex parte obiecti sint realia, neque ex parte actus quia ipsa cognitio realis est, negat ergo hæc sententia utroque modo explicata dari entia rationis, quod non clare illius auctores audent affirmare.

PRIMA CONCLUSIO. Contra primum dicendi modum quando ego apprehendo identificatum hominem, & leonem, seu rationale, & inanimabile, identitas horum extremorum non consistit in cognitione, sed in aliquo quod se tenet ex parte obiecti. Ratio est, quando ego affirmo *homo est leo*, non tantum non apprehendo distinctionem inter hominem, & leonem, sed apprehendo positivam identitatem, quam his externis convenire affirmo: ergo hæc identitas se tenet ex parte obiecti. Sed cognitio non se tenet ex parte obiecti, ut per se notum est, non enim quotiescumque ego per errorem dico *homo est leo*, cognosco cognitionem meam, neque ipsa cognitio est reflexa supra se ipsam: ergo identitas, quam apprehendo, & prædico non consistit in cognitione. Secundo: quando dico hominem esse lapidem, non apprehendo identitatem tantum intentionalem, sed entitativam physicam tenentem se ex parte obiecti apprehensi. Sed cognitio non potest esse identitas physica entitativa tenens se ex parte obiecti, sed tantum intentionalis tenens se ex parte actus: ergo non apprehendo identitatem, quæ in cognitione consistat. Maiorem probatio: cetera patent. Quando ego apprehendo, seu iudico hominem esse leonem, physice à parte rei esse idem apprehendo, seu iudico esse idem per identitatem physicam existentem à parte rei, quæ verè non est, ideoque illud iudicium est falsum, quod verum esset, si tantum attingeret identitatem intentionalem, quæ verè est dum existit cognitio, in qua consistit: ergo apprehendo, seu iudico identitatem physicam, & realem tenentem se ex parte obiecti.

SECUNDA CONCLUSIO. Quando homo, & leo apprehenduntur identificati, hoc est precisè non apprehensio positivè identitatis, sed tantum apprehenduntur per quamdam apprehensionem ex vi cuius non percipitur distinctio inter utrumque, sicuti apprehenduntur in hoc complexo animal, illorum identitas negativè consistit in cognitione, tunc autem nullum fit ens rationis, neque positivè dicitur *homo est leo*, & sed tantum apprehenditur homo, & apprehenditur leo, & non apprehenditur distinctio inter hominem, & leonem. Probatur hæc conclusio dum de vnitæ vniuersalis disputabam, quam hic tradidi, ut notum fieret, quæ vnitæ, vel idéitas potest in cognitione consistere, & ne ex hac vnitæ negativè, quæ consistit in cognitione confusa, & quæ ex parte obiecti non apprehenditur, fieret argumentatio ad vnitæ, seu identitatem positivè tenentem se ex parte obiecti, quæ positivè de extremis prædicatur.

TERCIA CONCLUSIO. Quando homo, & leo apprehenduntur identificati, identitas apprehensa non est illa, quæ intercedit inter animal, & rationale, sed alia ficta, & chimerica, quæ in nullo existit, neque existere potest. Probo hæc conclusionem: identitas inter animal, & rationale tantum identificat animal, & rationale, & non hominem, & leonem, sed identitas apprehensa identificat hominem, & leonem, ergo identitas apprehensa non est illa, quæ reperitur inter animal, & rationale. Dices identitatem, quæ est inter animal, & rationale non identificare realiter hominem, & leonem, sed illos identificare per rationem. Contra identitas, quæ per rationem identificat hominem, & leonem apprehenditur per se ipsam immediate attingens hominem, & leonem: ergo apprehenditur cum quodam prædicato, ex vi cuius immediate attingit hominem & leonem: sed hoc prædicat non reperitur in identitate reperta inter animal, & rationale: ergo identitas apprehensa habet aliquod prædicatū constitutivum, quod non reperitur in identitate reperta inter animal & rationale: ergo non est eadè idéitas, sed essentialiter ab illa distincta. quia id, quod habet aliquod prædicatū constitutivum distinctum ab alio, ab illo distingui necesse est. Eandem rationem rursus breviter expendo: identitas apprehensa inter hominem, & equum ex prædicato essentiali, quod intellectus in illa concipit est attingentia hominis, & equi, quia per se ipsam apprehenditur essentialiter attingens hominem, & equum, sed idéitas, quæ est inter animal, & rationale nõ est attingentia hominis, & equi: ergo essentialiter distinguitur idéitas, quæ apprehenditur inter

inter hominem, & equum ab identitate, quæ est inter animal, & rationale. Dices intellectum superaddere identitati, quæ est inter animal, & rationale attingentiam ad hominem, & equum. Contrà: illa attingentia, quam tu vocas superadditam non additur alicui, quod iam supponatur vni inter hominem, & equum, sed est id, per quod constituitur vni illa, quæ percipitur inter hominem, & equum: ergo vni percepta inter hominem, & equum constituitur essentialiter secundum hunc dicendi modum ex identitate inter animal & rationale, & ex illa attingentia, quam intellectus fingit: ergo est identitas chimerica conficta ex identitate reali, & attingentia ficta. Deinde quid sit de constitutiuo identitatis, illa attingentia ad hominem, & leonem, quæ superadditur identitati, quæ est inter animal & rationale, vt intelligatur identificans hominem cum leone, neque existit, neque potest existere: ergo est purè ficta: ergo in ente rationis, quod fingitur, quando agnoscitur homo identificatus cum leone, apprehenditur ex parte obiecti aliquid omnino fictum, & chimericum, quod negant, qui in aggregato rerum inexistibilem ens rationis constituunt, siue hoc obiectum fictum sit identitas, siue modus attingentia superadditus identitati, quæ est inter animal, & rationale, vt percipiatur identificans hominem, & equum. Idem, quod dixi de identitate inter hominem & equum intelligendum est eodem modo de vniione ficta inter Deum, & albedinem, & de distinctione reali, seu relatione partis ad partem inter animal, & rationale.

- 8 **QUARTA CONCLUSIO.** Quando apprehenditur ens rationis omnino simplex absque vlla compositione totum id, quod ex parte obiecti apprehenditur, est chimericum, & fictum. Conclusionem probò, & declaro: Quando apprehendo alium Deum summe simpliciter distinctum à Deo Optimo Maximo, & illi similem, apprehensio terminatur ad obiectum fictum secundum se totum Ratio est manifestata: Deus ille apprehenditur simplex, & incooperatus ad instar Dei Optimi maximi existentis: ergo non est aliquid in illo Deo quod possit esse obiectum reale, & aliud quod sit obiectum rationis terminans apprehensionem: ergo vel totum obiectum est reale, vel totum est fictum, vbi enim neque per rationem est vnum, & aliud, non potest esse vnum reale, & rationis aliud: totum esse fictum, & non reale facile probatur: obiectum illud apprehensum, est quidam Deus, qui non est hic verus Deus existens: sed omnis Deus, qui non sit hic verus Deus de facto vnicè existens, est chimericus, & repugnans: ergo Deus ille apprehensus distinctus à Deo Optimo Maximo est simulacrum quoddam mente fictum, & omnino chimericum.
- 9 Dices nihil apprehendere ex parte obiecti quando apprehendo alium Deum distinctum à Deo Optimo Maximo, quàm ipsum Deum verum, vt distinctum à se ipso. Contrà: quando apprehendo Deum distinctum ab isto Deo vero, illi apprehendo distinctum per suammet intrinsecam entitatem à Deo vero existente: ergo apprehendo in illo aliquid prædicatum positum, quod non est in Deo Optimo Maximo: ergo apprehendo Deum constitutum per alia prædicata ab his quæ sunt in Deo vero existente: ergo non apprehendo eundem Deum, sed alium ab isto distinctum.

- 10 Ex his inferes ens rationis semper includere aliquid fictum, & aliquando constare ex rebus veris, & realibus, & ex aliquo rationis, vt contingit in esse rationis, quo concipio Deum album, in quo Deus, & albedo reales entitates sunt; informatio autem albedinis respectu Dei est ficta, ratione cuius totum concretum *Deus albus* dicitur fictum, & in his entibus rationis, non solum identitas, vni, seu relatio est rationis: sed aliquando etiam extremum alterum, vt contingit, si apprehendatur Deus alius distinctus à Deo optimo existente informatus albedine, in quo casu subiectum, quod concipitur albedine informatum est fictum, & informatio similiter est ficta, forma autem, quæ est albedo, realis est. Aliquando verò totum obiectum fictum est, vt contingit quando obiectum apprehensum est omnino simplex. Inferes secundo causalitatem, ex qua resultat ens rationis esse cognitionem, per quam cognoscitur, quæ illius ex rinfeca existentia dici potest, non tamè intrinseca, quia ex stentia entis rationis non distinguitur ab ipso ente rationis, quod à cognitione reali distingui necesse est, quia nihil fictum identificatur cum aliquo reali, & quia ens rationis consistit in obiecto cognitionis, quod à cognitione distinguitur, cognitio enim, quæ hircoceruum agnosco, non ad se ipsam terminatur.

Notabis etiam denominationem cogniti esse superadditam enti rationis prouenientem à cognitione, ex vi cuius est, & cognoscitur, quia licet non habeat aliud esse præter illud, quod habet ex eo quod cognoscatur, seu quod resultat ex cognitione, nihilominus illud esse ex vi cognitionis resultat denominationem cognitum cognitione reali, quæ denominatio ex parte formæ realis est, & ex parte obiecti omnino ficta. Rem clarè percipies exemplo entis realis per physicam actionem producti. Calor productus nullum aliud esse habet præter illud, quod recipit ex vi productionis, nihilominus denominatio producti, etsi ab illo sit inseparabilis, illi est superaddita præcedens ab actione distincta ab ipso calore, sic contingit in hircoceruo, qui ex vi cognitionis recipit illud esse obiectum, quod tantum habet denominari cognitum per cognitionem ab illo distinctam, seu per causalitatem, ex vi cuius resultat, quæ in cognitione consistit. Inferes ex hac doctrina cum dicitur ens rationis nullum aliud habere esse præter hoc quod est cognoscitur, non ita debere intelligi, vt ipsi cognosci sit ipsi esse entis rationis, seu ipsum ens rationis, quia cognosci dicitur cognitionem ipsam, quæ ab ente rationis distinguitur. Intelligendum est illo loquendi modo ens rationis non habere aliud esse præter illud quod resultat ex cognitione, cui aduenit denominatio cogniti, neque habere aliud fieri præter cognosci.

Multi moleste inquirunt, & prolixè disputant, quid sit illud fictum obiectum, quod denominatur cognitum, & resultat ex cognitione, in quo consistit ens rationis, qui vt bene notat Arriag. disp. 6. sect. 5. in fine, difficile percipiunt, quid sit ens rationis, quia existimant in illo aliquid reale reperiunt. Est ergo illud obiectum, in quo formaliter ens rationis consistit, non aliquid reale existens, aut possibile, sed tantum purè terminans cognitionem, in quod fertur cognitio, quæ dicitur factiva entis rationis, quod clarioribus terminis explicari non valet, neque illius quod non est proprium esse amplius est indagandum, esse enim per rationem non est esse: quod enim per rationem tantum est simpliciter non habet esse; sed potius illius non esse supponitur, vt per rationem habere esse dicatur.

Obiic. primò: cognoscibilitas est passio entis realis: ergo ens purè fictum, & non reale non potest esse cognoscibile. Resp. cognoscibilitas sequi naturam entitatis, & quale fuerit ens, tale esse illius cognoscibilitatem obiectiuam, quia hæc non distinguitur ab ente, & ita cognoscibilitas entis realis est ens reale, & cognoscibilitas entis rationis est ens rationis. Instabis ens rationis est cognoscibile realiter: ergo habet cognoscibilitatem realem. Probo antecedens: ens rationis cognoscitur realiter: ergo est cognoscibile realiter. Antecedens negat nemo, consequentia videtur efficax, quia vniquodque cognoscitur in quantum est cognoscibile. Resp. magnà committi æquiuocationem in termino *realiter*, quæ aufero distinguendo primū antecedens: ens rationis est cognoscibile realiter, sumpto termino *realiter* ex parte cognitionis, quod est dicere, est cognoscibile per cognitionem realem, concedo antecedens: ens rationis est cognoscibile realiter, sumpto termino *realiter* ex parte obiecti, ita vt sit idē, ac dicere: ens rationis habet in se cognoscibilitatem obiectiuam, quæ sit entitas realis, nego antecedens: ergo est cognoscibile realiter distinguo consequens: extrinsecè ratione cognitionis realis, quæ ad illud potest terminari, concedo consequentiam: intrinsecè per propriam cognoscibilitatem entitativam, nego consequentiam. Vt rem explicarem distinctionis terminos pluribus exposui verbis, quos paucis arguenti darem distinguendo illud primum antecedens: ens rationis est cognoscibile realiter: ex parte actus concedo: ex parte obiecti nego.

Obiic. secundò: Cognitio supponit obiectum, circa quod versatur. Sed ens rationis per cognitionem factum non potest supponi ad cognitionem; ergo cognitio non potest ferri in ens rationis tanquam in obiectum. Resp. cognitionem terminatam ad ens rationis esse quasi factiuam sui obiectiui (dico quasi quia ens rationis sicuti propriè non est, propriè non fit) & illud non supponere, neque ab illo à priori trahit speciem, sicuti productio non supponit terminum, in quem tendit, neque ab illo à priori recipit entitatem, aut specificationem, vt dicebam Contr. 14. de anima Punct. 4. & 5.

Obiic. tertio: Intellectus non potest producere speciem expressam obiecti, cuius non habet speciem impressam: sed non habet speciem impressam entis rationis: ergo non potest producere

producere speciem expressam illius. Resp. intellectum per alias species producere speciem expressam obiecti, cuius non habet proprias species impressas. Instabis: species impressæ ordinantur ad producendam speciem expressam obiecti cuius propriæ dicuntur: ergo non possunt producere speciem expressam aliorum obiectorum, quorum non sunt propriæ. Intendit probare argumentum non posse à nobis cognosci obiecta quorum species proprias non habemus, ex quo inferretur tantum cognosci à nobis in hac vita accidentia, quæ sensibus externis percipimus, & aliquos internos actus, quos experimur, non verò Deum, neque Angelum, imò neque substantiam aliquam materialem, quia horum obiectorum species proprias non habemus, quod in nullius mentem potest incidere. Resp. quamlibet speciem impressam ordinari ad producendam speciem expressam obiecti cuius est propria species, per accidens, tamen ex coniunctione aliarum, cum quibus coniungitur, omnes per modum vnius principij, quasi per monstruosum partum producant speciem expressam, quam nulla species impressa, ex his, quæ principium illud adæquatam constituunt seorsim sumpta intendebat producere.

16 Obiic. quarto: ens reale non potest dependere ab ente rationis: ergo non potest dari cognitio realis de ente rationis. Antecedens est certum, quia nihil reale physicum est dependens ab illo quod non est reale; sed tantum per fictionem existit. Consequentiam proba: Cognitio de ente rationis implicat existere non existente ente rationis: ergo (non existente ente rationis non existeret cognitio circa illud: ergo eo ipso quod datur cognitio terminata ad ens rationis ab ipso ipso quod datur cognitio terminata ad ens rationis non posse adhuc de potentia absoluta existere, quin existat ens rationis eo modo, quo existere dicitur, nego tamen sequi ex hoc cognitionem realem dependere ab ente rationis, quia hæc connexio non est effectus cum causa, neque adhuc causæ cum effectui, qui propriè sit effectus, sed tantum representationis cum obiecto, non secundum esse reale, sed secundum esse terminatum, quod in ente rationis nihil reale est, sed purè fictum per se ipsam cognitionem, quæ ad illud quod non est terminatur.

17 Obiic. quinto: ens rationis independenter ab omni intellectu est ens rationis: ergo ante omnem cognitionem: ergo non habet esse ex eo, quod cognoscatur. Resp. falsam esse propositionem, si illud est dicat existentiam actualē, vel potentialem, quia existentia actualis entis rationis necessariò est ab actuali cognitionis existentia, & existentia potentialis seu possibilis ab existentia potentiali, seu possibili cognitionis. Si autem illud est dicat connexionem essentialē prædicatorem, ita ut faciat hunc sensum: ens rationis ita essentialiter est ens rationis, ut eo ipso quod sit necessariò sit futurum ens rationis, & non possit facere intellectus, ut sit aliud, vel ut non sit ens rationis propositio est vera, sed eodem modo homo, qui essentialiter dependet à Deo, ita est animal rationale, ut eo ipso quod supponatur existens non possit de potentia absoluta non esse animal rationale aut esse aliquid distinctum ab animali rationali.

PUNCTUM III.

Divisio entis rationis in ens rationis ratiocinans, & ratiocinantis, seu chimæricum.

Vulgaris est divisio entis rationis in ens rationis cum fundamento in re, & ens rationis sine fundamento in re: hoc dicitur ens rationis ratiocinans, & purè chimæricum, illud rationis ratiocinans. De hac divisione multum dissentant recentiores, quidam illam impugnant, quia existimant omnia habere fundamentum in re. Pro hac sententia referunt P. Soar. disp. 42. Metaph. sect. n. 1. & referre possent P. Vals. a. p. disp. 114. n. 15. ubi docet intellectum humanum nullam fingere relationem rationis: pro libito suo: sed cogi ad illas fingendas. Alij asserunt nullum ens rationis habere fundamentum in re, sed omnia ab ipso vilo fundamēto fingi ab intellectu. His patrocinari videtur Hurt. disp. 19. sect. 4 §. 72. ubi asserit omne ens rationis esse fictum sine fundamento in rebus proximo, vel remoto, quod constare dicit ex D. Thom. opusc. 42. cap. 1. & se ipsum refert §. 64. & 69. & per totam sectionem tertiam ubi eandem tradit doctrinam. Ceterum si attentè inspicatur Hurt. mens

constabit ipsum tantum docere nullum dari fundamentum in rebus, ex quo mediātē ens rationis oriatur, vel in quo proximè aut remotè radiceatur, sed tantum immediātē ex cognitione resultare: verò hæc cognitio fundamentum habet in rebus ipsis, vel illo careat, locis citatis Hurt. non definit.

Recentiores, qui asserunt nullum ens rationis habere fundamentum in re, suam sententiam suadent ex eo, quod non fiat ens rationis cum concipitur hircocerius, alie ve huiusmodi chimæra cum exclusionē suæ existentie, seu per actum, quo iudicetur, vel apprehendatur non existens, sed per actum, quo positiuè apprehendatur, ut existens, habens verum esse ad quem actum, nullum cogit fundamentum, quia etsi ex eo quod cognoscimus, negationem hircocerui, teneamur hircocerum apprehendere, non teneamur illum apprehendere, aut iudicare ut verè existens, sed possumus illum iudicare, ut exclusum ab existentia, in quem actum, potius quàm in alium inclinatur cognitio negationis illius, ex vi cuius nullum sit ens rationis. Non aſſentior huic dicendi modo, quia existitio per actum, quo iudicamus existentiam hircocerui, esse impossibilem, seu esse negatam existendi fieri ens rationis, quia per actum illum apprehendimus ipsam hircocerui chimæram distinctam à negatione sui, imò de illa iudicium ferimus, cum dicimus non existere, quæ chimæra, ut distincta negatione eo modo quo apprehenditur tantum habet esse obiectivè in intellectu, & est purum figmentum. Itaque cum ego dico, hircocerius non existit in rerum natura, duo se tenent ex parte obiecti huius actus: negatio existentie, & ipsa existentia hircocerui, cui ego affirmo negationem accideret. Negatio existentie hircocerui est ens reale negativum, quia realiter à parte rei est negatio existentie hircocerui, quæ nihil aliud est, quàm non esse existentiam hircocerui, existentia hircocerui tantum habet esse obiectivè in intellectu, & est purum figmentum. Neque intellectus valet apprehendere chimæram, ut non existentem, quin ipsam chimæram positiuè existentiam apprehendat, tanquam id, quod remouet negatio, quia chimæra non existens dicit ipsam chimæram, & dicit negationē existentie, & cognitio negationis existentie chimære respicit tanquā obiectum directum negationem realem, & tanquam obiectum indirectum, & oblique cognitum existentiam ipsius chimære, quæ est primum figmentum, neque est inconueniens apprehensionem seu iudicium attingere extrema contradictioni, aut priuatiuè opposita, dum non est formalis assensus circa verum obiectum, potius enim sæpe sæpius id necessarium est, quia non valet intellectus cognoscere priuationem, quin cognoscat habitum, quem priuatio remouet.

Recentes, qui asserunt omne ens rationis habere fundamentum in re, sic arguunt, nullum est ens rationis, cuius non datur in re negatio realis, sed qualibet negatio necessariò cogit intellectum, ut cognoscat habitum, cuius est negatio: ergo nullum est ens rationis, quod non habeat aliquid in re, videlicet sui negationem, quod cogat intellectum ad illud cognoscendum. Positiuum aliud fundamentum ad omne ens rationis cognoscendum ego designo. Omne ens rationis est obiectum alicuius cognitionis realis: ergo, qui distinctè cognouerit illam cognitionem, cuius ens rationis est obiectum debet illud necessariò cognoscere: ergo aliquid reale datur in rerum natura, quod cogat intellectum cognoscere quodcunque ens rationis. Primum antecedens est per se notum, consequentia facile probatur. Nulla cognitio potest distinctè cognosci, quin cognoscatur suum obiectum: ergo cognitio illa, quæ terminatur ad hoc ens rationis, quam dari certum est, non potest cognosci, quin cognoscatur hoc ens rationis: ergo datur aliquid reale, quod non possit cognosci, quin cognoscatur hoc ens rationis, & idem dico de quocunque alio.

Rationibus prædictis inueniri fundamentum in re, non solum, quæ inuiter intellectum, sed quæ illud cogat ad ens rationis cognoscendum, & fingendum, quod est idem, non inficior, verum adhuc potest subsistere prædicta entis rationis distinctio, ex eo, quod his fundamentis prædictis, & aliis similibus, si quæ sunt alia communia omni entis rationis cognoscendo, in quibus omne ens rationis exegitabile par fundamentum habet, quod ad illud cognoscendum, & fingendum cogat intellectum apprehendentem illius negationem, vel cognitionem ad illud terminatam: sunt alia entis rationis quorum cognitiones specialia habent fundamenta distincta ab illis, quæ communia sunt omni cognitioni.

cognitioni entis rationis Sic ens rationis, quo fingimus tenebras in se entitatem quandā similem nigredini, vel esse ipsam nigredinem fundamentum habet respectu nostri intellectus imperfecti cognoscentis illa obiecta, quorū species caret in negatio tenebrarum esse, quod ob sui maximam imperfectionē, & quia non est esse, sed potius non esse difficile potest, vt nō ens ab intellectu apprehēdi, qui omnia instar entū sēper apprehēdit. Similiter ex visione, & ex modo, quo significamus habitudinē visionis ad parietē, quē dicimus esse visum, fundamentū defumit intellectus vt percipiat esse visum dicere in pariete intrinsecā aliquā formā illi inhārentem. Eadem ratione ex eo, quod videamus hominē, & equū habere quasdam operationes similes, & alias dissimiles, fundamentū defumit intellectus, vt apprehendat quoddā pradicatū cōmune homini, & equo, in quo conueniant, & aliud distinctū in vnoquoque eorū, per quod differat, & vt hoc apprehēdat vt inferius, & illud, vt superius. Quā fundamēta, neq; alia similia nō habet intellectus vt fingat plures Deos, neq; vt fingat hircocerū, aut alias chimāras, quarū cognitiones solū possunt habere fundamēta illa cōmunia omnibus cognitionibus entū rationis, quā suprà recēsumus, videlicet cognitionē terminatā ad illud ens rationis, & negatiōē eiusdem entis rationis, quā necessariō determinat intellectū ad illud cognoscendū.

Notare autem oportet differentiam quandam inter illa fundamēta cōmunia omnibus cognitionibus entis rationis, & hęc specialia, quā modo retuli, quod illa cōmunia non solum inuitant intellectū, & illi occasione aliquā prębent, vt fingat ens rationis, sed illū quantumvis perfectē cognoscentem cogunt ad ens rationis cognoscendum, & consequenter ad illud faciendum, si omnis cognitio entis rationis illius est factiua; alia verō specialia fundamēta non cogunt intellectū ad ens rationis fingendum, quia benē quis cognoscere potest visionem terminatā ad parietē, & parietē visum, quin apprehendat formam aliquā intrinsecē inhārentem parietē, & similiter potest cognoscere hominē, & equū cum aliquibus operationibus similibus, & & aliis dissimilibus, quin apprehendat has operationes oriri in homine, & in equo à principiis inter se distinctis, quorum vnum sit commune homini, & equo, & aliud propriū vniuscuiusque; valet etiā has negationes cognoscere, quin apprehēdat esse entitates positiuas, & hęc omnia sine his signentis cognoscit, qui res vt sunt in se apprehendit, nullus tamen neque adhuc Angelus valet cognitionem ad hircocerū terminatā distinctē apprehēdere, quin hircocerū terminantē hanc cognitionem apprehendat. Differentia hęc ex eo oritur, quod cognitiones entū rationis, quā intellectū cogunt ad entia rationis cognoscenda, fundamēta habent in ipsis rebus, seu in obiectis ipsis, & ita quemcumque intellectū cogunt ad hęc entia rationis cognoscenda; illa verō fundamēta, quā non cogunt, sed inuitāt ad entia rationis cognoscenda, potius sunt in ipso intellectu imperfectē cognoscente, quam in obiectis ipsis. Si enim intellectus, vt sunt in se obiecta cognoscere, nunquam ex tenebris, seu ex pariete viso fundamentum desumeret ad fingendum tenebras esse nigredinem, & rationem visi esse formam aliquam intrinsecē inhārentem subiecto, quapropter nunquam his ductus fundamēntis Angelus hęc entia ratiois apprehendit.

Est etiam alia differentia inter cognitiones entium rationis innitentes his distinctis fundamētis, quā ex modo assignatā originē trahit, cū enim intellectus cognoscit ens rationis ductus fundamēto cogente, illud cognoscit eadem cognitione, quā fundamētum cognoscit, cognosci enim est rationis & fundamētum illud in recto, & tanquam obiectum directum, hoc in obliquo, & tanquam obiectum indirectū, quia nequit intellectus fundamētum cognoscere, quin eadē cognitione cognoscat ens rationis tanquā obiectum illius, si illud cognoscat per cognitionem reflexam in cognitione directā ad illud terminatā, vel tanquam habitum, quem fundamētum remouet, si in sui negatione cognoscatur. Cū verō intellectus ductus fundamēto inuitante, & non cogente postquam per vnicam cognitionem fundamētum apprehendit, potest per aliam adequatē distinctam cognoscere ens rationis, tanquam obiectum directum, & adequatum entis rationis, quia cognitio fundamēti nullam connexionem habet cum cognitione entis rationis, & ita potest ab illa separari: exempli gratia apprehendo parietē esse visum cognitione quadam nimis confusā, quā non discernō, neque

adhuc ex vi illius dubito, an parietē esse visum dicat formā illi intrinsecā, vel extrinsecā, postea ex hac cognitione fundamētum defumo ad inquirendum, quid sit in pariete esse visum, & ex modo, quo hęc denominatio obiecti visi apprehenditur, & significatur instar formę intrinsecę fundamētum defumo ad illam apprehendendam, vel iudicandam, non solum per cognitionem, quā illam repręsentet instar formę intrinsecę, seu per species formę intrinsecę, sed etiam ex parte obiecti vt formam intrinsecā, & subiecto inhārentem, ex vi cuius cognitionis ens rationis fingitur. Quomodo verō differant rem apprehendere instar formę intrinsecę, seu per species formę intrinsecę, & illā apprehendere ex parte obiecti, vt formam intrinsecā, dicam Punct. 4. n. 3. vbi differentia istam exponā, in negationibus, quā instar rerū positiuarū, vel vt res positiuę apprehenduntur. Nota insuper posse intellectū quando nō occurrit fundamētum, quod cogit cognoscere ens rationis illud cognoscere cognitione non innitente tali fundamēto, imō postquam fundamētum occurrit, ens rationis intellectus illo fundamēto coactus agnouit, potest iterū ex vi alius cognitionis idem ens rationis agnoscere nullo ductus fundamēto, non enim quoties quis apprehēdit plures Deos illos apprehendit, quia prius apprehēderit negationes illorū, vel cognitionē ad illos terminatā, sed sępe sine his fundamētis per hęc, & alia similia signēta ex diffractione animi, vel pro libito voluntatis vagatur intellectus.

PUNCTUM IV.

Dividitur ens rationis in omnes suas species.

Elebris est diuisio entis rationis in priuationē, negationem, & relationem, quam totis viribus propugnāt Thomistę, & admittit P. Va'q. l. p. q. 28. art. 1. de qua doctē multa P. Soar. disp. 54 Metaph. sect. 4. Ex duplici capite potest diuisio ista vitari, vel quia omnia membra diuidentia entia rationis non sint, & ita non comprehendantur sub diuisio: vel quia dentur alia entia rationis, quā ad nullū ex his membris diuidentibus pertineant, & ita omnia simul sumpta non æquē pateant ac diuisum: vtrumque breuiter inquiram, & definiam. Dari relationes rationis apud omnes qui relationes admittunt inconcussum est, de negationibus potest esse difficultas circa primam conditionem requisitam, vt possit subsistere assignata diuisio.

Mihi est omnino certum dari plura entia rationis negatiua, seu plures negationes rationis. Ratio est facilis: possum apprehendere plures negationes, quā dari repugnent in rerum natura, seu quarū habitus necessariō existant in rerum natura, ita vt implicet non existeret: ergo negationes illę tantum habebunt esse obiectiuē in intellectu: ergo sūt pura signēta. Probo antecedens, quando apprehendo negationem existentia Dei, & negationes trium personarum Trinitatis, apprehendo negationes, quarum habitus sunt summē necessarij, & summē non repugnantes: ergo tales negationes in se sunt repugnantes, cum implicet simul existere habitus, & negatio, & eo ipso, quod non possit non existere habitus, non possit negatio existere: ergo negationes illę tantum habent esse obiectiuē in intellectu: ergo sunt pura signēta. Confirmatur: non magis repugnat Deus alius existens distinctus à Deo optimo maximo, quā Deus Optimus Maximus non existens: ergo sicuti, qui apprehendit Deum alium existentem distinctum à Deo Optimo Maximo, apprehendit obiectum repugnans, & facit ens rationis: sic similiter, qui apprehendit Deum Optimum Maximum non existentem, vel negationem existentia Dei Optimi Maximi existentis apprehendit negationem quādam in se repugnantem, & facit ens rationis. Simile signētum fingit, qui apprehendit Angelum repugnantem produci à Deo, vel negationem alius obiecti necessarij, quia eo ipso quod obiectum ita sit necessariū, vt non possit neque diuinitus deficere, illius negatio implicationem inuoluit, etsi habeat esse obiectiuum, nullum habebit præter istud, & erit ens rationis.

Negationes alie habitū, qui possunt deficere, & qui de facto deficiunt, sicuti negatio lucis, seu caloris existentis dupliciter possunt apprehendi. Primō apprehendi possunt vt entia negatiua, seu non entia, quod est idem, ita vt dicat intellectus: negatio caloris nihil aliud est, quā calorē non esse, nulla alia entitate positiua superaddita. Alio modo potest intellectus apprehendere negationes istas,

v. g.

v.g. negationē caloris, de qua agebamus vt entitatē quandam nigredini similem, vel identitatē cum nigredine physicā, & positiuē productā, & existentē, ita vt apprehendat negationem caloris, seu non esse caloris formalissimē esse entitatem aliam positiuam, existētem, & produci. Posteriorē modum apprehendēdi negationes admittunt omnes, priore impugnant nonnulli, quia nos non valemus negationes, vt sunt in se, seu potius vt in se non sunt apprehendere, sed semper illas apprehendimus instar rerum positiuarum, & per species rei positiuā, quia non habemus propriam negationis speciem, & ita semper hanc, vt rem positiuam apprehendimus. Decepit sic arguentes ipsos nō apprehendisse, aliud esse nos apprehendere negationem instar rei positiuā, vel per species rei positiuā, aliud apprehendere negationem ipsam in se esse entitatem positiuam, & illam formaliter, vt positiuam intrinsecē apprehendere, quæ inter se maximopere differunt, primum enim competit omnibus cognitionibus, quibus negationes cognoscimus, quā species non habemus secundum aliquibus tantum, quibus non solum obiectū per alienas species cognoscimus, sed illud nobis fingimus. Pater prædicta differentia in cognitione, quæ ego primam Trinitatis personam apprehendo, cuius non habeo species, ex vi cuius per species senis Patrem æternum apprehendo, & instar senis mihi obicitur, adhuc per actum supernaturālē fidei, quo agnosco primam Trinitatis personam, nihilominus per illum actum non iudico neque apprehendo Patrem æternum senem esse, neque verum est dicere per illum actum agnoscere Patrem æternum esse senem, etiam si verum sit dicere me per illum actum Patrem æternum instar senis, vel per species senis cognoscere. Similiter quoties cognosco Angelū, illū instar iuuenis agnosco agnosco tamen in illo obiecto directē cognito, videlicet in Angelo, non esse illud corporeum esse iuuenis instar cuius Angelum apprehendo, idem dico de omnibus entitatibus, quæ per proprias species cognoscuntur. Ex quo inferes aliud esse apprehendere negationem instar rei positiuā, & per species rei positiuā, aliud illā, vt rem positiuā apprehendere, & aliud esse apprehendere rem spiritualement instar corporeæ, seu per species rei corporeæ, aliud illam apprehendere, vt formaliter in se ipsam intrinsecē corpoream, & in vniuersum aliud esse rem instar aliū apprehendere, & aliud formaliter, vt aliam, seu cum aliis prædicatis in se intrinsecē imbibitis apprehendere. His positis

4 Cum negatio non solum instar rei positiuā, sed etiam formaliter, vt rem positiuam apprehenditur, talis apprehensio ad ens rationis terminatur. Ratio præsto adest: ex vi talis apprehensionis impingitur negationi prædicatū quoddam positiuum, quod illi repugnat, & nihil negatiuum in negatione apprehenditur, & si apprehenditur aliquid negatiuum apprehenditur identitatum cum positiuo, sed negatio habens aliquid purē positiuum, vel aliquid positiuum identitatum cum negatiuo est obiectum in se repugnans: ergo obiectum illius apprehensionis est obiectum repugnans, quod tamen habet esse in illa apprehensione, ex vi cuius fingitur, & est formalissimē ens rationis. Dissentiat nullus ab hac conclusione.

5 Negatio apprehensa per species rei positiuā, vel instar rei positiuā quando apprehenditur ex parte obiecti vt purum non esse rei, cuius est priuatio, & absque vlla intrinseca admixtione rei positiuā, per cuius species, vel instar cuius apprehenditur non est ens rationis, neque fictum, sed reale non esse rei, quod absque vlla fictione cognoscitur. Probatur conclusio: cognitio illa ex parte obiecti directi non attingit aliquid prædicatum positiuum, sed tantū negatiuum, quod est non esse rei positiuā, sed hoc non esse nō est ens rationis, quia secluso omni figmento sole occidente est non esse lucis, quæ antea erat, & est homo cæcus, seu non potens videre, & est non esse cuiusvis qualitatis, quia quamuis ego me modo ab omni figmento abstinēam, non sum calidus vt octo, & sum carens calore vt octo: ergo qui cognoscit me non esse calidum vt octo: seu me carere calore vt octo, non cognoscendo me carere calore vt octo per aliquid positiuum, sed præcisē per non esse caloris vt octo non cognoscit aliquid fictum, quod non sit antecedenter ad illam cognitionem, & independentē ab illa, quantumvis obiectum illud imperfectē cognoscat, & per alienas species, & instar aliū rei, quia ens rationis sumendum non est ex modo, quo obiectum cognoscatur, sed

ex obiecto, quod cognoscitur, & quotiescumque Deus in finitū, & summē perfectē cognoscens aliquid obiectum non cognoscit ens rationis, sed reale, neque ego impetentissimē cognoscens idemmet obiectum facio ens rationis, quia obiectum, quod in ordine ad vnam cognitionem ens rationis non est, non potest in ordine ad aliam esse ens rationis, vt probauit punct. 1. n. 7. Confirmatur: quando ego cognosco angelum instar iuuenis, etiam si repugnet ipsi esse iuuenem, Angelus à me cognitus non dicitur ens rationis: ergo quādo cognosco negationem instar rei positiuā, etiam si repugnet negationem esse non positiuam: negatio cognita non erit ens rationis. Si enim quoties rem agnosco instar alicuius, cuius prædicata illi repugnant nō rem veram, sed ens rationis agnoscerem, cum semper res tur, nunquam res veræ spirituales, sed loco illarum figmentum cognosceretur, & ita nunquam Deus à viatoribus cognosceretur, sed cognitiones abstractiue, quas dicimus ad Deū terminari, non terminaretur ad Deū, sed ad ens rationis, quod si per abstractiue cognitiones nō Deū, sed loco illius ens rationis cognosceremus, cū alias cognitiones in via non habeamus, non possemus Deū cognoscere, & consequenter, neque illum amare, quod est plusquam erroneū.

Dixi negationem cognitam instar nigredinis, & obiectum directum illius cognitionis non esse ens rationis, adhuc tamen poterat esse quæstio, an ex vi illius cognitionis fieret aliquod ens rationis distinctum à negatione, quod intellectus simul cum negatione reali, vt distinctum ab illa apprehenderet. Posset quis dicere ex vi apprehensionis abstractiue, quæ apprehenditur negatio instar nigredinis apprehendi negationem, vt obiectum directum reale, & apprehendi nigredinem, vt obiectū indirectum reale, & insuper apprehendi relationem quandam similitudinis inter negationem, & nigredinem, quia negationem ipsam, vt similem nigredini apprehendimus, quæ relatio erit in se repugnans, & purum rationis figmentum. Etiam si admitteretur talis relatio rationis, adhuc stare negationem sic apprehensam non esse ens rationis, verum tamen nullo modo talis relatio admittenda est, quia cum intellectus apprehendit instar nigredinis relationem, neque ex parte obiecti directi, aut indirecti concipit distinctionem aliquam inter negationem, & nigredinem, quam concipere necesse est vt relationem concipiat, & similitudinem positiuam, sed tantum dicitur cognoscere negationem vt similem, vel instar similem cum nigredine, quia ex vi illius cognitionis, ita cognoscitur ac si non haberet positiuam similitudinem, aut diuersitatem à nigredine, sicuti dixi in constructione vniuersalis cognosci indiuidua, vt similia inter se similitudine quadam negatiua, hoc est in nullo cognosci vt dissimilia, aut distincta, quod fit absque vilo obiecto ficto ex parte obiecti, præcisē ex eo, quod cognitio sit ita imperfecta, vt ex vi illius non valeat intellectus discernere inter obiecta, quæ ex vi illius attinguntur. Ex hoc infero in cognitione abstractiua eo præcisē quod abstractiua sit, non fieri ens rationis, cum plures dentur ad obiecta vndique realia terminata, licet aliarum plurimæ ad pura figmenta terminentur.

Statuimus dari negationes reales, de quibus, & de priuationibus indiscriminatim mentionem feci, quia illarum differentie ex pluribus locis notissimæ sunt, & circa præsentem quæstionem, eadem est omnino ratio de priuatione, & de negatione. His tamen negationibus realibus statutis, adhuc potest subsistere diuisio entis rationis in priuationem, & negationem, si ex capite non deficiat, quia ex eo quod ens rationis rectē diuiditur in priuationē, negationē & relationem non debet inferri, omnem negationem esse ens rationis, sicuti non debet inferri omnem relationem esse relationem rationis, absque controuersia enim admittuntur relationes reales, & nullus ex hoc capite diuisionē improbat, quapropter miror quā plurimos impugnantes hanc diuisionem, ex eo quod dentur negationes reales, aliunde admittentes relationes aliquas rationis, & omnem negationem apprehensam non solum instar rei positiuā, sed etiam, vt rem positiuam esse ens rationis. Requiritur ergo, vt prædicta diuisio subsistat omne ens rationis in particulari assignatum esse relationem, vel priuationem, aut negationem, quia membra diuidentia, quæ sub illo diuisio debent cōprehendi non sunt priuatio, aut negatio vt cumque sed priuatio rationis, & negatio rationis, sicuti aliud membrum diuidens non est relatio vt cumque, sed

sed relatio rationis, diuisionis enim sēsus hic est: ens rationis aliud est priuatio rationis, aliud negatio rationis, aliud relatio rationis: ergo ex eo quod sint priuationes, & negationes reales, dum aliæ superflue priuationes, & negationes rationis, quæ sint mēbra diuisionis sub illo diuiso contenta, recte poterit constare diuiso: nihil ergo hucusque contra prædictam diuisionem ex doctrina tradita actum est. Videndum modò an ex alio capite non constet diuiso, videlicet quia dantur entia rationis, quæ relationes non sunt, neque priuationes, aut negationes.

8 Sentio intellectum non solum fingere priuationem, negationem, & relationem rationis, sed etiam substantiam, quantitatem, & qualitatem, & reliqua omnia prædicamenta rationis, ita ut entia rationis per omnia prædicamenta vagentur, & sæpe confingi ex entitatibus, ad diuersa prædicamenta pertinentibus, quis enim cohibere potest intellectum, ne apprehendat substantiam infinitam cum quantitate identificatam, & quantitatem identificatam cum actione & sic de aliis prædicamentis. Dices in his figmentis tantum fingi identitates extremorum, & hæc esse relationes, & ita omnia hæc figmenta ad relationem spectare. Contra: identitas, quæ fingitur inter hircum, & ceruum, cum hircocervus fingitur eo modo se habet in ordine ad intellectum fingentem respectu extremorum, ac se habet in re identitas realis animalis, & rationalis in ordine ad sua extrema, concipitur enim ficta illa, similis huic reali identitati: sed identitas inter animal, & rationale non est relatio realis: ergo identitas ficta inter hircum, & ceruum, non est relatio rationis. Sed quidquid sit de his entibus rationis compositis in entitatibus rationis, in quibus simplex entitas apprehenditur, Probatum nostra conclusio: Potest intellectus apprehendere Deum alium summè simplicem, & distinctum à Deo Optimo Maximo, qui nunc est, ut dicebam Punct. 2. sed Deus ille erit fictus, & tantum habens esse obiectiue in intellectu: ergo Deus ille erit ens rationis, & pertinet ad prædicamentum substantiæ rationis, seu quidquid sit de prædicamento, Deus ille erit substantia rationis. Similiter potest quis fingere præsentiam quandam, ex vi cuius possit entitas secundum easdem partes indiuisibiliter sumptas esse in eodem spatio circumscriptiue, & definitiue, & durationem aliam, ex vi cuius entitas daret simul in tempore præsentis, præteriti & futuro, & sic in omnibus aliis entitatibus innumera figmenta poterit intellectus comminisci. Defendunt hanc conclusionem fere omnes Doctores, qui de hac re agunt. Legantur P. Soar. suprà n. 10. & P. Vasq. iam citatus n. 16. ubi asserit rationis substantiam reduci ad negationem, ut defendat diuisionem supra traditam entis rationis in priuationem, negationem, & relationem, & ibidem affirmat substantiam rationis non dici simpliciter substantiam, sed cum addito, quibus expressè concedit dari substantiam rationis. Adhærent Hurt. disp. 19. sect. 4. & Arriaga disp. 6. sect. 1.

9 Restat modò iuxta doctrinam traditam iudicium ferre de diuisione supra addita, de qua si quis dicat exactam non esse, facile se ab hac questione expediet, neque vllò poterit impugnari. P. Soar. P. Vasq. & alij plurimi substantiam, quantitatem, & alia similia entia rationis ad negationem reducunt, quia substantia rationis nihil aliud est quam negatio illius relationis, quæ fingitur cognita, non ut non esse substantiæ, sed ut esse substantiæ, seu substantia illa cuius est negatio. Si vera esset hæc doctrina, & ex hoc capite substantia rationis ad negationem posset reduci, similiter relatio rationis posset reduci ad negationem, & superflueret in diuisione membrum illud *relationis*, adæquatæque diuideretur ens rationis in priuationem, & negationem, neque aliqua esset specialis ratio, propter quam ens rationis in relationem, & non in substantiam, seu relationem rationis diuideretur. Respondet P. Vasq. disparere esse rationem de relatione rationis, ac de rationis substantia, quia licet intellectus faciat substantiam rationis, sicuti facit relationem, non tamen dicitur substantificare, sicuti dicitur referre media relatione rationis, quia munus intellectus est referre vnum ad aliud, non verò substantificare, neque qualificare. Non absque difficultate solutionem percipio: intellectus produciens relationem rationis non refert formaliter, sed actiue, media relatione producta, cuius munus est formaliter constituere relatum vnum ad aliud, quod cognoscit intellectus ita relatum, dum cognoscit relationem ipsam, quam facit: cum verò producit substantiam rationis,

Transit. de Ouedo, Philosoph. Tom. 11.

cum munus substantiæ non sit substantificare, mirum non est intellectum producentem substantiam rationis formaliter non substantificantem non actiue non substantificare producendo talem substantiam, & non cognoscere aliquod subiectum substantificatum, etiam si cognoscat substantiam rationis, cum non cognoscat illam efficienstem subiectum, quod substantificet. Ex quo fit dici posse intellectum actiue referre producendo relationem rationis, & non actiue substantificare producendo rationis substantiam, quod impertinens omnino est: ut ens rationis potius in relationem, quam in substantiam rationis diuidatur. Poterit tamen dicere qualificare subiectum, cum illi qualitatem aliquam rationis impingat, cuius munus est qualificare formaliter: sic cum aliquid laudis, vel vituperij subiecto tribuimus, illud dicimus qualificare, & vulgari sermone dicitur *sulano califico tal cosa*, quando rem illam laude, vel vituperio afficit. Neque assequor, cur relatio rationis simpliciter dicenda sit relatio sine vllò addito, & substantia rationis semper cum illo addito sit proferenda. Melius diuiso hæc cum P. Soar. & aliis explicari poterit de entibus rationis, quæ specialia in re habent fundamenta distincta ab illis, quæ omnibus entis rationibus sunt communia.

PUNCTUM V.

An denominationes extrinsecæ sint entia rationis.

DVplex est forma, vna absoluta alia respectiua; forma absoluta dicitur illa, quæ tantum respicit suum subiectum inhesionis, seu informationis: forma respectiua dicitur, quæ præter subiectum inhesionis, & informationis respicit aliud tanquam obiectum, terminum, vel principium, cui denominationem aliquam tribuit. Exemplum formæ absolutæ sit albedo, quæ subiectum denominet, & nulli alij denominationem aliquam tribuit: respectiua formæ exemplum sit visio, quæ præter subiectum, quod constituit videns, respicit obiectum, quod visum denominat. Item actio, quæ præter denominationem passivam, quam tribuit subiecto, principium effectiuium à quo procedit denominat efficiens, seu produciens, & terminum quem respicit productum constituit. Hæc formæ, quæ diuersa denominant subiecta non omnia intrinsecè afficiunt, sed respectu vnius dicitur hæc forma intrinseca, & respectu illius extrinseca appellatur, sic visio, quæ potentiam visum videntem constituit, & obiectum visum respectu huius, extrinseca est, & intrinseca respectu illius, & actio transiens extrinseca est principio, quod constituit efficiens, & intrinseca subiecto, quod passum denominat. Ex his diuersis modis, quos habent formæ respiciendi subiecta intrinsecè, & extrinsecè duplex denominatio, quædam intrinseca, alia extrinseca, suboritur. Denominatio intrinseca dicitur illa, quæ oritur à forma intrinseca subiecto denominato, sicuti denominatio videntis, quæ oritur à visione intrinsecè afficiente subiectum quod denominatur videns. Denominatio extrinseca est illa, quæ oritur à forma extrinseca subiecto, quod denominatur, sicuti denominatio visi orta à visione extrinseca nimis subiecto albo, quod denominatur visum. Denominationes intrinsecas esse entia realia nullus ambigit, de extrinsecis sunt varia Doctorum placita.

Fuit opinio Durandi in 1. distinct. 19. q. 3. num. 7. & q. 6. n. 11. & disp. 33. q. 1. n. 10. asserentis omnes denominationes extrinsecas esse entia rationis. Durandum sequuti sunt omnes Thomistæ, cum quibus loquutus est P. Vasq. qui essentiam peccati, & aliorum, quæ extrinsecas denominationes important per entia rationis explicuit. P. Rub. tr. de ente rationis n. 2. quem alij sunt sequuti, asserit dari plures denominationes reales, sicuti esse dexterum, vel sinistrum, esse verò cognitum, apprehensum, & alias huiusmodi denominationes, quæ procedunt à formis extrinsecis intentionalibus esse entia rationis.

3 Sentio cum P. Soar. disp. 42. citata, num. 10. Hurt. disp. 19. sect. 1. & aliis plurimis omnem denominationem extrinsecam proueniens à forma reali, siue physica, siue intentionali esse realem absque vlla mixtura entis rationis. Probo hanc conclusionem: Denominatio sumitur à forma dominante: ergo si forma est realis, denominatio erit realis. Probo consequentiam. Posita forma à qua procedit denominatio, & posito subiecto, quod dicitur denominatum, & quocumque alio figmento secluso, est subiectum denominatum

H h

denominatum, & existit totum illud, quod significamus per nomen, quo subiectum iam denominatum intendimus significare, v.g. per hæc nomina visum, apprehensum, cognitum, amatum: ergo hæc denominationes nullum important ens rationis. Probatur antecedens: Eo ipso quod datur hæc realis cognitio, quæ intrinsecè per se ipsam terminatur ad Petrum existentem, Petrus existens est cognitus: ergo secluso omni figmento datur denominatio cogniti procedens à cognitione reali. Secundo: Cognoscere & cognosci sunt relata: ergo eo ipso, quod ego cognoscam, Petrum, Petrus est cognitus à me sed Petrus est cognitus à me absque vlla fictione præcisè ex eo, quod datur cognitio, quæ intrinsecè, & per se ipsam ad Petrum terminatur: ergo absque vlla fictione Petrus est cognitus: ergo hæc extrinseca denominatio cogniti absque vlla fictione conuenit Petro.

4 Confirmatur: omne ens rationis debet in se includere aliquid, quod non sit entitas realis, sed denominatio Petri cogniti non includit aliquid, quod non sit reale: ergo non est ens rationis. Maior est euidens: Minorem proba: Petrum esse cognitum tantum dicit ipsum Petrum, & cognitionem istam, sed totum hoc est reale: ergo Petrum esse cognitum non est ens rationis, sed tantum dicit ipsum Petrum, qui cognoscitur, & cognitionem ex vi cuius cognoscitur. Adde entitatem, quæ cognoscitur importari materialiter, & formam, à qua procedit denominatio formaliter, quapropter etiam si entitas denominata aliquando sit rationis, dum forma sit realis, denominatio absolute dicitur realis, sic ens rationis à cognitione reali realiter denominatur cognitum, potest enim forma realis obiectum rationis afficere.

5 De denominationibus, quæ non procedunt à formis intentionalibus, & de aliis quibuscumque eadem ratione probatur, quia hoc corpus esse dexterum, & illud sinistrum tantum dicit hæc duo corpora habere tales præsentias reales, quibus positis alio quocumque siue reali siue secluso hoc corpus est dextrum, & illud sinistrum.

6 Non inficior has extrinsecas denominationes fundamentum aliquod præbere non cogens, sed inuitans intellectum imperfectè cognoscentem, ut fingat aliquid ens rationis, quia denominatio visæ ex modo significandi significatur instar alicuius intrinsecè, ex quo potest intellectus abstractivè cognoscens occasionem desumere ad apprehendendam vel iudicandam rationem visæ, non tanquam aliquid extrinsecum, sed tanquam quid intrinsecum, quæ ratione cognita denominatio illa terminans talè cognitionem erit denominatio rationis, quia apprehenditur ex parte obiecti cum aliquo prædicato repuganti, repugnat enim esse visum importare aliquid intrinsecè cum subiecto quod denominatur visum. Dicit ergo extrinseca denominatio apprehensa formaliter ut intrinseca ens rationis, sicut illud dicit animal rationale apprehensum ut rationale, si tamen ut extrinseca in se cognoscatur, etiam si instar formæ intrinsecè apprehendatur, non erit ens rationis, sicuti negatio apprehensa ut entitas positiva, & Angelus ut viuens corporeus sunt entia rationis, & entia realia dicuntur etiam si negatio instar rei positivæ, & Angelus instar rei corporeæ apprehendantur, dum ex parte obiecti negatio ut ens negatiuum, & Angelus ut ens spirituale appareat. Quæ differentia importetur per apprehensionem ex vi cuius res apprehenditur ut corporea & apprehensio ex vi cuius instar corporeæ apprehenditur, dixi Punct. 4 n. 3.

7 Obiicit P. Rub. hominem esse cognitum tantum est obiectivè in intellectu: ergo est ens rationis, & non reale. Proba tantecedens: esse cognitum, & esse obiectum sunt idem: Sed esse obiectum tantum habet esse obiectivè in intellectu: ergo esse cognitum tantum habet esse obiectivè in intellectu. Respondet Hurt. Homo qui est cognitus tantum habet esse obiectivè in intellectu, nego: homo ut cognitus non habet esse nisi obiectivè in intellectu, concedo. Deinde negat consequentiam, quia ens rationis non debet accipi reduplicativè in ratione cogniti, sed specificativè. Dispicet solutio, quia obiectio non intendit probare hominem, qui cognoscitur esse ens rationis, sed hominem ut cognitum, seu denominatum cognitione esse ens rationis unde si concedatur hominè ut cognitum tantum habere esse obiectivè in intellectu arguens ex definitione ad definitum, legitimè inferet hominem ut cognitum esse ens rationis, & habebit intentum. Melius respondetur hominem ut cognitum ex ut cognitionis, quæ constituitur

cognitum si alia reflexa per accidens non accedat, adhuc non habere esse obiectivè in intellectu, tantum abest, ut hoc tantum habeat, quia homo ut cognitus dicit duo hominè ipsi, qui habet esse obiectivè in intellectu ex vi cognitionis, quæ constituitur cognitum, & dicit ipsam cognitionem quæ donec reflexè cognoscatur non habet esse obiectivè in intellectu, sed tantum habet effectivè, & subiectivè in intellectu, à quo efficitur, & in quo recipitur, ex quo fit hominem ut cognitum non habere esse obiectivè in intellectu quovisque adueniat alia cognitio reflexa, per quam cognitio, ex vi cuius constituitur cognitum, sit obiectivè in intellectu, quia implicat hominem ut cognitum habere esse obiectivè in intellectu, quoniam illud habet cognitio reflexa, per quam constituitur formaliter ut cognitum: Quod si accedat illa cognitio reflexa ex vi cuius homo cognitum cognoscatur, & habeat esse obiectivè in intellectu, non illud habet tantum, sed etiam extra intellectum, totum, quod dicit concretum illud homo cognitum, habebit suum esse, quæ concretum illud nihil aliud dicit præter hominem, qui independentè ab intellectu suo esse habet, & cognitionem, quæ præter esse obiectivum, quod habet ab intellectu illam reflexè cognoscente, habet esse subiectivum, & effectivum in intellectu, qui ex vi illius constituitur cognoscentis, à quo producit, & in quo recipitur.

Ad confirmationem respondeo obiectum communiter sumi materialiter pro termino cognitionis seu pro illo, quod cognoscitur, cognitum autem importare non solum terminum cognitionis, seu illud, quod cognoscitur, sed supra hoc addere cognitionem ipsam, iuxta quem modum accipiendi utrumque terminum, hæc prædicatio obiectum est cognitum est prædicatio accidentis de subiecto, quod ad illud supponitur, sicut ista Petrus est albus, in quo sensu obiectum tunc tantum habebit esse obiectivè in intellectu, quando sit ens rationis, ut cum cognoscitur hircoceruus, tunc autem etiam extra intellectum habebit esse, quando id, quod cognoscitur, est reale, sicuti cum cognoscitur homo, quia esse terminum cognitionis, quod nomine obiecti solet significari commune est enti reali, & rationis. Si tamen obiectum sumatur non pro ratione præcisè terminante cognitionem, sed pro concreto constituto ex hac ratione, & ex cognitione, quod conuenitur, seu est idem cum obiecto cognito, numquam poterit dici tantum habere esse obiectivè in intellectu, quia ex duobus, quæ dicit hoc concretum, subiectum, quod est terminus cognitionis, & formam, quæ est cognitio, hæc semper est realis, quæ habet esse subiectivè, & effectivè in intellectu, & subiectum aliquando est reale, aliquando rationis: ut patet in his duobus concretis homo cognitum, hircoceruus cognitus, quorum utraque forma realis, & subiectum prioris reale est, rationique posterioris subiectum.

Obiicies, Denominatio Creatoris aduenit Deo absque vlla forma reali, ergo non est realis, sed rationis. Respondet denominacionem creatoris aduenire Deo, adueniente creatione reali procedente à Deo tanquam à principio quæ sicuti extrinseca est illi, extrinsece Deum creatorem denominat.

PUNCTUM VI.

De causa creatæ entis rationis.

Notavit benè P. Soar. tantum posse disputari de causa efficiente entis rationis, quia cum non sit per se intentum à natura non habet finalem causam, si autem quis intenderet entia rationis fingere, posset ex parte hominis fingentis finalem causam assignari, quæ propriè esset causa lux iniectionis, & secundariò actus intellectus, quo ens rationis fingitur, valde tamen improprie, & remote respectu entis rationis ficti. Neque causa materiali, aut formali indiget cum tantum habeat esse obiectivè in intellectu, poterit tamen entis rationis materialis causa nimis improprie dici subiectum reale, cui ens rationis impingitur, & si hoc materia & forma ficta fingatur causam materiale, & formalem fictam habebit. Procedit tota difficultas de causa efficiente: De qua breuissimè.

PRIMA CONCLUSIO: Ens rationis fieri non potest per sensus externos. Docet hanc conclusionem P. Soar. disp. 54. sect. 2. n. 17 & Hurtad. disp. 19. sect. 5. §. 84. Probo facili: Sensus externus, v.g. visus (idem dico de aliis) non potest vagari extra suum obiectum colorem videlicet, & lucem

ergo nequit percipere aliquid, quod non sit color, & lux: ergo non potest percipere obiectum, quod non sit reale.

3 Obicit Arriag. qui oppositam sententiam defendit disput. 6. sect. 2. subsect. 3. Potest Deus creare colorem alligatum alicui loco, & potentia visiva illum alibi videre: ergo potest videre colorem cum presentia impossibili: ergo videre obiectum non reale, & quod nullum habeat esse præter obiectum in potentia visiva. Respondeo: Colorem, qui de facto datur, seu eiusdem speciei cum coloribus existentibus non posse creari à Deo alligatum essentialiter alicui spatio, quia ex se est indifferens ut sit in hoc, vel in illo spatio, quod si Deus vellet talem colorem alicui loco alligare, non ideo ex natura rei illi repugnabit alia presentia, sed tantum ex decreto Dei volentis illi colori talem presentiam tribuere, & non aliam, ac proinde si cum alia presentia videatur presentia illa ficta non erit, quia non ex natura rei, sed ex Dei decreto repugnabit. Si autem Deus crearet colorem alium distinctum ab omnibus coloribus de facto existentibus, color ille obiectum non esset huius potentie visive, quam sine fundamento dicemus posse ferri in colores distinctos ab his, qui de facto existunt. Neque ratio est aliqua propter quam qualitas illa immouibilis à Deo producta specie distincta ab omnibus aliis, quas colores appellamus, dicenda sit color, hic enim constituitur essentialiter per prædicatum commune omnibus qualitatibus, quas colores vocamus, per quod hæc ab omnibus aliis differunt. Video tamen hanc esse questionem de nomine, quæ nulla potest efficaci ratione probari.

4 SECUNDA CONCLUSIO. Sensus internus non potest fingere entia rationis: Docet hanc conclusionem Hurt. contra P. Soar. supra n. 18. quem sequutus est Arriag. supra n. 25. Probo hanc conclusionem ratione desumpta ex eodem Soar. n. 17. sensus internus non est inquisitiuus circa essentias rerum, neque illas attingit: ergo non potest essentiam huius rei alij ab hac distincte tribuere. Confirmo eandem rationem. Sensus internus tantum percipit illa, quæ præsentem sensus externi, ut dixi Contr. 3. de anima Punct. 2. sed sensus externi non percipiunt obiecta non realia, sed tantum hæc accidentia externa: ergo hæc & non illa percipit sensus internus absque aliqua impositione, neque fictione circa rerum essentias.

5 Obicit P. Soar. sensus internus vim habet componendi obiecta specie distincta, & apprehendit hominem tanquam leonem, & utriusque prædicata coniungit: ergo facit entia rationis. Resp. sensum internum tantum hæc coniungere per apprehensionem accidentium exteriorum contingentium, quæ ita contigua non implicat; bene enim potest figura hominis esse contigua cum figura leonis, quod si figura ista vniri non possent, quod non credo, sensus internus figuras hæc non apprehendit vnitas, sed contiguas, quia præter contiguitatem, seu presentiam nullam aliam vnionem percipiunt sensus externi, & interni.

6 Obicit Arriag. quando canis videt columnam, vel statum sepe putat esse hominem: ergo tunc coniungit extrema impossibilia, videlicet prædicata statum vel columnæ cum prædicatis hominis: ergo facit ens rationis. Resp. casu prædicto canem non coniungere prædicata statum vel columnæ cum prædicatis hominis, sed ea apprehendere adeo confusè, ut feratur in quodlibet extremum, ac si esset aliud, non quia dicat hoc est illud, sed quia hoc ab illo distinguit, in quo nulla est fictio, sed tantum apprehendendi imperfectio. Neque obstat, quod contra hanc doctrinam instat Arriaga videlicet canem apprehendere simul hæc obiecta, quando vtrumque est præsens, & tunc columnam ab hero distinguere, quia per simultaneam presentiam obiecta illa distinctius apprehenduntur, & distinguuntur inter se.

7 TERTIA CONCLUSIO. Entia rationis fieri non possunt à voluntate neque ab appetitu sensitivo, ita P. Valsq. & P. Soar. Non probo voluntatem non facere entia rationis, quia supponit illa iam facta ab intellectu, cum enim fieri entis rationis nihil aliud sit quam cognosci, seu attingi alio actu intentionali, sicuti nihil prohibet idem obiectum semel, & iterum diuersis actibus attingi, ita nihil prohibet semel & iterum fieri per eosdem actus. Moueor ad hanc conclusionem ex modo, quo voluntas attingit hæc obiecta, ex vi cuius non dicitur obiectum esse in voluntate, aut in actu amoris, neque voluntatem trahere ad

Franc. de Quiedo, Philosoph. Tom. II.

se obiecta, potius voluntas dicitur ferri in obiecta, & esse in illis, amor enim est pondus quoddam quo amans fertur in obiectum amatum, & in illo esset dicitur, & non amatum in amante. Ex quo fit idemmet obiectum cognitum, & ita si aliud in se non habeat, habet tantum esse obiectiue in intellectu, & non in voluntate, & ideo dicitur fingi ab intellectu, & non à voluntate. Scio amorem per metaphoram dici pondus, & per eandem dici amante esse in amato, verumtamen hoc quod per metaphoram his locutionibus explicatur, aliquid verum, & reale est in actibus intellectus & voluntatis ratione cuius à parte rei diuerso modo obiectum attingit, ex qua diuersitate fundamentum sumimus ad affirmandum, intellectum fingere entia rationis per actus tendentes in obiecta impossibilia, & non eadem fingere voluntatem per actus, quibus eadem impossibilia appetuntur. Quæ omnia nullum aliud fundamentum habent præter commune modum, quo apprehendimus entia rationis, & de illis loquimur, quia si quis dicat facere ens rationis tantum esse attingere quocunque intentionali actu obiectum in se repugnans, & hac ratione voluntate appetentem chimæram, quam intellectus proposuit, facere entia rationis, difficile poterit ab hac sententia efficaci aliqua ratione dimoueri. Probat hæc ratio eodem modo appetitum sensitium non facere entia rationis, quia eodem modo vterque appetitus rationalis, & sensitius feruntur in propria obiecta, hic actibus materialibus, & ille spiritualibus. De appetitu sensitivo alia superest ratio, quia hic tantum fertur in illa obiecta, quæ sensus internus proponit, & cum sensus internus nunquam proponat obiecta ficta, nunquam in ficta obiecta ferri potest.

8 QUARTA CONCLUSIO. Ens rationis fieri potest per apprehensionem etiam simplicem: Probo hanc conclusionem: potest quis per simplicem apprehensionem apprehendere quartam personam Trinitatis: ergo potest facere per apprehensionem simplicem ens rationis. Antecedens absque illo fundamento quicumque negabit, quod ipius apprehensionis experientia confirmat. Consequentiam probo: obiectum illius apprehensionis tantum habebit esse obiectiue in intellectu: ergo erit ens rationis. Respondet Hurt. neg. habere esse obiectiue in intellectu, neque extra intellectum, quia per apprehensionem simplicem non dicitur obiectum habere esse obiectiue in intellectu. Porro definitum non est quid sit esse obiectiue in intellectu, ideo liberum cuique est asserere per hos tantum actus, & non per illos rem cognitam esse obiectiue in intellectu: Ex quo fit Hurt. assentem per apprehensionem rem cognitam non habere esse obiectiue in intellectu nunquam ab aliquo impugnatum iri, verumtamen quomodo ille me poterit impugnare dicentem rem esse obiectiue in intellectu, nihil aliud esse quam cognosci, & ita per apprehensionem constitui rem apprehensam obiectiue in intellectu, & fieri ens rationis, quando apprehensio fertur in obiectum repugnans, in quod ferri posse certum est? Profecto sic ego rem apprehendo, de qua non multum contendam, quia scio neutram partem posse efficaci alia ratione euinci. Moueor ad asserendum ex vi cuiusvis actus rem cognitam esse obiectiue in intellectu, ex modo, quem habet intellectus tendendi in sua obiecta trahendo illa ad se, quem illi absolute concedimus respectu omnium actuum. Si hoc fundamentum non placet, assentire cum Hurt. res est enim leuissimi momenti.

9 QUINTA CONCLUSIO. Ens rationis fit semper per cognitionem quasi reflexiuam, quæ aliam supponit, etiam si ad illam non terminetur. Ideo quasi reflexiuam eam vocavi: docet hanc conclusionem Soar. sect. 2. n. 16. ratio est facilis ens rationis semper à nobis concipitur instar entis realis: ergo illius cognitio supponit cognitionem illius entis realis, instar cuius cognoscitur ens rationis, numquam enim negationem instar nigredinis cognoscerem, si prius nigredinem non cognouissem. Similiter, qui fingit compositionem inter animal, & rationale illam fingit instar compositionis realis, quam cognouit inter subiectum, & formam intrinsecam illi vnitam, & sic de aliis.

10 Hæc conclusio facile in vnâ conciliat duas opiniones Hurt. & Arriag. asserit ille § 82. ens rationis non fieri nisi per apprehensionem complexam, addit tamen n. 83. per apprehensionem incomplexam vnionis fieri posse. Ille verò multis contendit fieri posse per apprehensionem incomplexam cuiuscumque

cuiuscumque obiecti, varia adducit exempla in confirmationem huius doctrinae, quae videri possunt disp. 6. sect. 3. à num. 31. quas opiniones sic explico, & compono: Ens rationis fieri potest per apprehensionem obiecti simplicis & incomplexi, quae apprehensio simplex, & incompleta dicitur; semper tamen supponit apprehensionem alius obiecti, & ratione huius aliquo modo potest dici apprehensio factiva entis rationis aliquo modo complexa; importat enim duo obiecta apprehensa, vnum formaliter ex vi illius, aliud praesuppositivè, & formaliter apprehensum ex vi apprehensionis, quam supponit.

II Obicit Hurt. in simplici apprehensione non reperitur falsitas: ergo non est factiva entis rationis. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ut fiat ens rationis, non requiritur cognitio, ex vi cuius fit, falsam esse, sed sufficit dari cognitionem quomodocumque attingentem obiectum, quod nullum esse habeat extra intellectum.

IX SEXTA CONCLUSIO. Etiam si iudicium omne supponeret apprehensionem eiusdem obiecti, de quo fertur iudicium, per iudicium fieri posset ens rationis, quod simul per actum discursus fieri affirmo; ratio est quia per hos actus cognoscuntur obiecta, quae nullum esse habent extra intellectum, ex vi illorum rectè obiecta illa dicuntur obiectivè esse in intellectu, quae formaliter, & non alia important fieri entis rationis. Secundò quia si ex aliquo capite per hos actus non fierent entia rationis, esset, quia supponebantur facta per alios actus praecedentes, quod non obstat ut saepe dixi, quia cum fieri entis rationis nihil aliud sit quam cognosci ens rationis, quod potest semel, & iterum cognosci, potest semel, & iterum fieri.

13 SEPTIMA CONCLUSIO. Ens rationis fit per dissensum chimerae, seu per iudicium, quo dicitur, chimera est non existens, & repugnans. Probo: Per hoc iudicium non solum cognoscitur repugnantia chimerae, seu non esse chimerae, sed etiam ipsa chimera, cuius est negatio, seu de qua praedicatur negatio: ergo hoc iudicium habet duplex obiectum, negationem videlicet, & chimerae: ergo ex vi huius iudicii est obiectivè in intellectu duplex obiectum, chimerae, & negatio chimerae. Sed horum chimera nullum habet esse praeter obiectivum in intellectu: ergo ex vi huius iudicii datur aliquod habens esse obiectivè in intellectu, quod nullum esse habet extra intellectum: ergo ex vi huius iudicii datur ens rationis, quod est id, quod tantum habet esse obiectivè in intellectu. Discursum hunc doctè conficit Pater Vasquez 1. parte disputat. cap. 2. n. 6. ubi postquam dixerat Deum non cognoscere non ens, hoc est chimerae, instat entis videlicet per assensum ut ipse explicaverat n. 4. subdit postea, cum hoc dicendum esse privationem entis rationis, de quo loquebatur, non cognosci à Deo, nisi etiam cognito habitu opposito, non tamen per conceptum obiectivum, quia cum aliud sit habitus, & aliud negatio, & Deus intelligat ea, quae sunt, aut non sunt, eo modo quo sunt, aut non sunt non potest non vnumquodque per se obiecti intellectui diuino, tametsi versusque conceptus formalis, qui est in intellectu Dei idem sit.

14 Obiiciunt ferè omnes, qui asserunt per actum dissensus circa obiectum fictum non fieri ens rationis. Per hunc dissensum, exempli gratia, per actum quo dicit intellectus, hircoceruus non existit, intellectus destruit existentiam hircocerui, & illius esse: ergo per hunc actum non dat intellectus existentiam hircoceruo, neque facit, sed destruit illius esse: ergo ex vi illius intellectus non facit, sed destruit ens rationis. Respondet per hunc dissensum intellectum intentionaliter destruere obiectivè existentiam physicam hircocerui, & illius esse extra ipsum intellectum, quia negat illi obiecto physicè competere tale esse, tribuere tamen per hanc negationem formalem, seu per hunc dissensum eidem obiecto esse obiectivè in intellectu, qui ex vi eiusdem actus, quo dicitur, existentia hircocerui non est existens in rerum natura, constituitur existens obiectivè in intellectu, quod requiritur & sufficiens est supposita repugnantia hircocerui ut fiat formaliter ens rationis. Adde me eandem existentiam obiectivam formaliter daturum hircoceruo per actum, quo dicerem, hircoceruus non est obiectivè in meo intellectu, quia actus ille esset intrinsecè falsus, seu connexus cū falsitate, cum esset positio obiecti, quod negat, sicut esset falsus actus, quo dicerem ego, nullo modo hircoceruum cognosco, & actus quo modo dicerem, non apprehen-

do Petrum: ipsum enim dicere, ego non apprehendo Petrum, esset illum apprehendere. Non loquor de apprehensione ut conditincta à iudicio, sed de apprehensione quatenus conuertitur cum cognitione.

Obiiciunt secundò: Hircoceruus ut non existens datur à parte rei: ergo, qui apprehendit chimerae ut non existentem non facit ens rationis. Respondet chimerae ut non existentem duo dicere, negationem chimerae ut factam chimerae: primum habet esse à parte rei, quia à parte rei est negatio chimerae: secundum videlicet chimera non habet esse à parte rei, sed tantum obiectivè in intellectu, ex quo fit cognoscens hoc complexum, chimera ut non existens, duo cognoscere, negationem chimerae ut nonius praecise non facit ens rationis, & ipsam chimerae ex vi cuius facit ens rationis.

Obiiciunt tertio: hoc obiectum, hircoceruus non existens, est verum: ergo non est ens rationis. Respondet distinguendo ly verum positum in antecedenti est verum formaliter extrinsecè ac actu formaliter vero, concedo antecedens, est verum proptèr idem quod reale ficto oppositè subdistinguo: ratione negationis hircocerui inclusa in illo complexo, concedo antecedens; ratione ipsius hircocerui inclusi in eodem complexo, nego antecedens. Deinde nego consequentiam, seu distinguo consequens: non est ens rationis secundum totum quod includit, quia includit negationem realem, concedo consequentiam: non est ens rationis secundum rationem inaequatam, non est ens rationis secundum rationem inaequatam, quam dicitur, videlicet secundum hircoceruum in illo inclusum, nego consequentiam. Neque ex eo quod totum obiectum denominetur extrinsecè verum à veritate formali actus inferitur esse verum, quatenus verum dicitur idem quod reale, quia sicut obiectum actus formaliter falsi potest esse ens reale, sic obiectum actus formaliter veri potest esse ens rationis. Non fieri entia rationis per actus falsos de obiectis possibilibus probavi Punct. 2.

PUNCTUM VII.

An Deus cognoscat, & faciat ens rationis.

Diversitas opinandi in hac questione mea quidem sententia tota oritur ex diversitate constituendi entia rationis, seu assignandi cognitiones per quas cognoscuntur, & sunt entia rationis. In multorum opinione circa existentiam entis rationis, & naturam cognitionis, per quam debet fieri ens rationis, est fide certum Deum non posse facere entia rationis, quod nullus ex doctoribus Catholicis, qui asserunt Deum facere entia rationis negat, loquuntur enim omnes in alio sensu longè distincto, dum asserunt Deum facere entia rationis, neque duos doctores inuenies requirentes cognitiones humanas, eiusdem rationis ad entia rationis faciendam, quorum vnus asseret, & negat alter Deum facere entia rationis: tota enim diversitas opinandi in hac materia oritur ex diversitate assignandi cognitiones factivas entium rationis, quae ablata nulla difficultati huius difficultatis superesset difficultas, etsi omnibus eadem mens esset de cognitione factiva entis rationis vix vllus daretur in hac re disputandi locus. Ré clarè ostendo. Afferunt Pater Herice disp. 8. de scientia cap. 1. in fine cognitionem factivam entis rationis debere esse iudicium falsum de existentia obiecti, quod non fit, vel saltem apprehensionem, quae inclinet ad hoc iudicium; certum debet esse apud hunc authorem Deum non facere entia rationis, si enim assereret cognitionem factivam entis rationis importare iudicium falsum de obiecto non existente, & simul assereret Deum facere entia rationis, aperet diceret Deum habere iudicium falsum de obiecto non existente, quod est haereticum. Hac ratione optimè dixit Hurt. qui iudicium falsum requirit ad entia rationis faciendam, si de sanctum esse, Deum non facere entia rationis ab ipso explicata, quod verissimum est. Auctores isti, qui Catholice defendunt Deum non facere entia rationis, & ad sanctum Inquisitionis tribunal essent deferendi, si oppositum dicerent, fatentur Deum cognoscere eadem entia rationis per verum iudicium, ex vi cuius cognoscit illorum existentiam repugnare, & cognitionem humanam terminari ad eadem entia rationis. En quomodo in re conveniant doctores, qui affirmant, & qui negant Deum facere entia rationis, in quibus tantum est dissensio in assignanda cognitione, quae vocata sit factiva entis rationis, omnes enim eandem cognitionem

cognitiones circa idem obiectum eodem omnino modo tendentes constituent. Quia illi, qui affirmant, Deum facere entia rationis, dicunt cognitionem quamcumque terminatam ad obiectum repugnans, etiam si sit iudicium de non existentia talis obiecti, vel quo tantum affirmetur, cognitionem aliam ad illud terminari, esse factivam entis rationis, quam cognitionem Deo tribuunt doctores negantes Deum facere entia rationis, quin ex illorum principiis inconsequentia aliquid notetur; hi vero, qui asserunt quamcumque cognitionem terminatam ad obiectum repugnans modo explicato esse factivam entis rationis, non possunt non consequenter dicere, Deum cognoscentem ens rationis ut factum ab homine, vel per actum, quo indicat esse obiectum repugnans, facere ens rationis, quod omnes concederent, si admitterent quamcumque cognitionem quomodocumque terminatam ad obiectum repugnans, etiam dissentiendo ab illo esse factivam entis rationis. His praemissis facile à nobis tota decidetur difficultas. Puncti capite praefixa, quae placuit etiam prae notare, ne quis religionis specie carpere praesumat doctores asserentes Deum facere entia rationis, qui nihil Deo tribuunt, quod non concedant, qui asserunt Deum huiusmodi entia non facere, ut supra notavi, neque huiusmodi religionis specie suam sententiam commendandam, aut praefereendam esse praesumat sententia illorum, qui asserunt Deum facere entia rationis per actum, quo ab illorum existentia dissentitur, & dicat illa ab intellectu humano ut vere existentia cognosci, etsi enim Catholica sit laudanda sententia negantium Deum facere entia rationis, ne cogantur asserere Deum habere iudicium falsum, quo decipiatur, & iudicet existere obiectum, quod in se repugnat, hac laude carere non debent, qui asserunt Deum facere entia rationis tantum per actum quo iudicat ipsa repugnare, & esse obiectum intellectus creatae, & nullo modo per iudicium assertivum de illorum existentia, aut per apprehensionem, quae inclinet ad hoc iudicium, quia longe abest à Deo omnis cognitio, quae aliquam falsitatis umbram redeat.

2 Venio iam ad aliorum sententias referendas, & propria explicandam P. Vasq. i. p. disp. 118. c. 3. affirmat Deum neque cognoscere, neque facere entia rationis. Hunc sequuntur duo illius fidei discipuli Pater Turr. in selectis opusc. 7. dub. 8. & 4. & Pater Alarcon. tract. 2. disp. 3. c. 6. num. 10. Verumtamen hi auctores postquam hoc loquendi modo plures in se impugnationes concitarunt, in re tandem sentiunt cum aliis, qui clare dicunt Deum entia rationis cognoscere non per assensum, quod illa fide dici non possit, sed per dissensum. Legatur Alarcon. qui postquam de hac re loco citato diffusè scripserat tandem asserit c. 7. n. 8. Deum cognoscere entia rationis per dissensum, & non per assensum, quod disertis verbis docet P. Vasq. disp. 61. cap. ... num. 4.

3 Deum agnoscere entia rationis, & illa non facere fert communis sententia. Ita P. Heric. disp. 8. c. 2. P. Ruiz t. de scientia disp. 17. c. 2. P. Fasol. i. p. disp. 14. art. 9. disp. 2. num. 8. P. Hurt. disp. 19. sect. 6. P. Arriag. disp. 6. sect. 5.

4 Deum cognoscere, & facere entia rationis docet Henr. Canar. P. Fonseca. P. Molina & alij apud D. Thom. i. p. q. 14. art. 9. & 10. Accedit P. Arrubal ibid. ubi asserit Deum cognoscere entia rationis ut facta ab homine, ex vi cuius cognitionis illa facit, quia implicat cognosci ens rationis, quin fiat eadem cognitione, cum illius fieri nihil aliud sit quam cognosci. Qui affirmant Deum cognoscere entia rationis in duplicem classem sunt divisi, quidam asserunt hanc tantum à Deo cognosci per ordinem ad nostrum intellectum. Alij asserunt independentem à nostro intellectu huiusmodi entia rationis à Deo cognosci. Rursus illi, qui asserunt Deum entia rationis tantum in ordine ad nostrum intellectum cognoscere in duplicem aliam classem subdividuntur, quidam asserunt Deum ex eo praecise quod huiusmodi entia hac ratione cognoscatur, illa non facere, quia cognitio factiva entis rationis debet esse independentem ab alia cognitione in ordine ad quam hoc ens rationis concipitur. Alij, in quibus est Arrubal, asserunt huiusmodi cognitionem entis rationis in ordine ad nostrum intellectum esse factivam entis rationis, quia eo ipso, quod ens rationis quomodocumque cognoscatur, ex vi talis cognitionis fieri necesse est. Ita Pater Arrubal, cui dicendi modo fauent auctores, qui asserunt Deum non cognoscere entia rationis, qui ne cogantur asserere Deum cognoscere entia rationis, aperte

Francisc. de Oniedo, Philosoph. Tom. 11.

non audent fateri Deum illa cognoscere, existimantes idem omnino esse fieri, & quomodocumque hanc entia cognosci.

Sit

PRIMA CONCLUSIO. Eo ipso quod Deus cognoscat cognitionem humanam terminatam ad ens rationis debet cognoscere ens rationis, ad quod cognitio humana terminatur. Dico ad quod cognitio humana terminatur, ne modò contendamus an cognitio realis relationem dicat ad ens rationis, vel cum illo connectatur, nec ne, quidquid enim sit de his quaestionibus certum est hanc meam cognitionem per se ipsam terminari ad hircocerum, & esse representationem huius obiecti, & non alius: ergo eo ipso quod Deus cognoscat hanc cognitionem tenetur cognoscere per se ipsam terminari ad hircocerum, & esse representationem hircocerui, sed hoc non potest cognosci quin cognoscatur hircoceruus: ergo eo ipso quod Deus cognoscat hanc meam cognitionem inferitur necessario cognoscere hircocerum. Respondet Alarcon repugnare Deo cognitionem, ex vi cuius cognoscat hircocerum in mea cognitione ad illum terminatam, quia cognitio illa divina, qua cognoscitur hircoceruus in mea cognitione esset cognitio abstractiva, quae dicit imperfectionem Deo repugnantem. Ut ab hac quaestione meam conclusionem independentem facerem, non dixi Deum per ordinem ad meam cognitionem, vel in mea cognitione cognoscere ens rationis, sed eo ipso quod Deus cognoscat meam cognitionem debere cognoscere ens rationis, vel in mea cognitione, si hoc non repugnet, vel aliunde si repugnantiam dicat Deum unum in alio cognoscere, ego enim tantum assero hanc esse legitimam consequentiam: Deus cognoscat cognitionem terminatam ad hircocerum: ergo cognoscat hircocerum, siue hunc praecognoverit independentem à mea cognitione, siue illud in mea cognitione cognoscat, quapropter, si repugnet Deum cognoscere ens rationis in mea cognitione convincet ratio facta Deum aliunde illud cognoscere, quod nullà dicit imperfectionem.

Respondet P. Vasq. Deum cognoscere obiecta realia per ordinem ad quae intellectus humanus concipit obiecta ficta, non vero ipsum obiectum fictum, v.g. cum cognoscit meam cognitionem per quam apprehendo negationem ut nigredinem cognoscit Deus negationem, & nigredinem, quae sunt entia realia, non verò formalitatem fictam, per quam ego ut unum apprehendo tenebras, & nigredinem, similiter quando cognoscit Deus cognitionem creatam terminatam ad hircocerum cognoscit hircum, & ceruum, non verò identitatem illam, quam inter hircum, & ceruum fingit meus intellectus. Contra: quando Deus cognoscit meam cognitionem, necessariò cognoscit id, ad quod mea cognitio terminetur, & quod se habet ut obiectum primarium meae cognitionis. Sed id, ad quod terminatur cognitio ex vi cuius apprehendo hircocerum, seu iudico existere hircocerum non tantum est hircus, & ceruus, sed connexio, seu identitas inter hircum, & ceruum alias mea cognitio non terminaretur ad ens rationis, neque esset falsa, etiam si esset assertiva: ergo cognitio divina non solum terminatur ad hircum, & ceruum, sed ad identitatem, quam ego apprehendo inter hircum, & ceruum.

VRgeo: Deus cognoscit iudicium, quo ego assero existere hircocerum esse falsum: ergo non solum cognoscit meum iudicium sed obiectum illius, & hircocerum non existentem, ex vi cuius formaliter iudicium falsum constituitur, veritas enim, & falsitas actus intellectus non solum dicit ipsum actum, sed etiam illius obiectum ut probavi Contr. 7. de anima Punct. 1.

SECUNDA CONCLUSIO. Deus indepédeter ab intellectu humano cognoscit entia rationis, & illa cognosceret, etiam si nullus esset intellectus creatus, vel possibilis. Probo hanc conclusionem: Deus indepédeter ab intellectu cognoscit hircocerui repugnantiam, seu negationem hircocerui. Sed non potest cognoscere negationem, quin cognoscat illud, cuius est negatio: ergo etiam si nullus esset intellectus possibilis, Deus cognoscens negationem hircocerui necessariò cognosceret hircocerum. Maior nullo modo potest negari, esset enim imperfectio in Deo non cognoscere negationem realem hircocerui, & non cognoscere hircocerum repugnare, nec posse dicere hircoceruus repugnat. Minor probatur. Hanc negatio hircocerui habet esse remotionem & non esse hircocerui, potius quam leonis: ergo Deus cognoscens hanc negationem cognoscit esse remotionem, & non esse hircocerui, quod non habet respectu leonis:

H h 3

ergo

ergo ex vi huius negationis, seu eo ipso, quod cognoscat hanc negationem debet cognoscere hircoceruum. Secundo ut bene notat P. Ruffus de ratione perfectionis intellectus divini est cognoscere omnem veritatem; seu habere omnem actum verum. Sed actus, quo Deus dicit hircoceruus repugnat, erit actus verus; ergo ad perfectionem intellectus divini spectat habere hunc actum; ergo Deus habet actum, quo dicit, hircoceruus est repugnans: ergo cognoscit hircoceruum per actum dissensus, quod ego contendo quia dici nequit Deum per assensum cognoscere obiectum non existens, & repugnans.

9 TERTIA CONCLUSIO. Si cognitio factiva entis rationis dicat assensum circa existentiam physicam obiecti, quod nullum habet esse extra intellectum, de fide est Deum non facere entia rationis, in quo sensu negant Deum facere entia rationis auctores, quos supra dedi, quia de fide est Deum non posse falli, seu habere iudicium assertivum circa rem aliter ac est in se, quod est formaliter falli quod iudicium haberet Deus, si per assensum tenderet circa existentiam realem physicam obiecti, quod nullum esse haberet, vel potest habere extra intellectum.

10 QUARTA CONCLUSIO. Si fieri ens rationis nihil aliud importet quam cognosci, siue per assensum, siue per dissensum, obiectum, quod nullum habet esse extra intellectum, Deus eo ipso quod cognoscat intellectum creationem creatam facit ens rationis, quod etiam facit independentem ab omni cognitione creata. Conclusio haec mihi est certa, & evidens supposita prima & secunda conclusione: est evidens ex suppositione primae, & secundae conclusionis, quia his conclusionibus traditur Deum eo ipso, quod cognoscat meam cognitionem terminatam ad hircoceruum, cognoscere hircoceruum, & hunc cognoscendum esse à Deo etiam si mea cognitio non existeret, etsi aliunde supponatur quaecumque cognitionem hircocerui, etiam per dissensum esse illius factivam: ex terminis ipsis notum fit Deum cognoscentem hircoceruum eo ipso, quod meam cognitionem cognoscat, quem cognosceret etiam si talis cognitio possibilis non esset, facere hircoceruum, seu ens rationis, ex eo quod cognoscat meam cognitionem terminatam ad hoc ens rationis, quod eodem modo faceret, etiam si mea cognitio non esset possibilis, & illam Deus cognosceret. Est absolute mihi certa conclusio, quia certum existimo Deum teneri cognoscere hircoceruum eo ipso, quod cognoscat meam cognitionem, siue in cognitione, siue quia illud aliunde praecognoverat, & eundem cognoscendum esse à Deo etiam si mea cognitio possibilis non esset, semper tamen per actum dissensus, quod tantum potest intendere doctor Catholicus, cum dicit Deum entia rationis cognoscere.

11 Dixi Punct. praecedenti conclus. 7. per dissensum circa ens rationis, hoc est per actum, quo dicitur hircoceruus non existit, fieri ens rationis. Ex quo manifestè inferitur iuxta mea principia dicendum esse Deum facere entia rationis per cognitiones, quibus iudicet ipsa non existere, v.g. per cognitionem, qua dicit hircoceruus non existit, cum probaverim hanc cognitionem Deo competere, & quod concedunt, qui asserunt Deum non facere entia rationis, adhuc illi cuius sententiae prima conclusio est, Deum non cognoscere entia rationis, à qua modestè discedunt asserentes illa per dissensum cognoscere. Neque huiusmodi entis rationis efficientia aliquam imperfectionem importat in Deo, sed potius pertinet ad perfectionem sui intellectus, sicut pertinet cognitio, qua iudicat repugnare hircocerui & alia huiusmodi entia rationis, quia efficientiam entis rationis formaliter ego non distinguo ab hac cognitione, neque ut cognitio haec sit entis rationis factiva aliquam illi formalitatem impingo, quae in eadem cognitione non relaceat secundum sententiam illorum, qui asserunt, cognitionem istam non esse factivam entis rationis, omnes enim easdem formalitates in cognitione divina admittimus, in quibus intrinsecè omnino eisdem efficientiam entis rationis contemplamur, qui asserimus hircoceruum cognitum per dissensum importare aliquid rationis ex parte obiecti, & qui eandem efficientiam inficiantur, qui asserunt hircoceruum cognitum per dissensum non esse obiectum rationis, sed reale.

12 Obiicies Deus non potest cognoscere obiectum aliter ac est: ergo non potest facere ens rationis. Distinguo antecedens, non potest cognoscere obiectum aliter ac est ex parte actus, hoc est per actum, quo iudicet existere, quod

non existit, seu non existere, quod existit, concedo: Non cognoscit rem aliter ac est ex parte obiecti, id est non cognoscit formalitatem, quae non est, & subdistinguo: per assensum, concedo; per dissensum, nego.

Obiicies secundò de o nos facimus entia rationis, quia cognoscimus obiecta per species alienas. Sed Deus non cognoscit per species alienas: ergo non facit entia rationis. Respondeo nos cognoscere obiecta per alienas species in causa esse, ut plura entia rationis à nobis sunt, non tamen hoc esse causam adequatam propter quam entia rationis fingimus, quia etiam si intuitivè cognoscimus omnia obiecta realia, possemus etiam saltem per dissensum alia confingere.

Addo Deum omnia obiecta realia ex parte actus, & ex parte obiecti necessario cognoscere ut sunt in se, quia nihil est reale verum in rerum natura, quod non iudicet Deus eo modo, quo existit, assentiendo obiectis existentibus, & dissentiendo non existentibus. Cum hoc tamen non opponitur ipsa obiecta realia illi obici aliter ac in se sunt per actum, quo dissentiat ab illo esse, quod obiecta in se non habent, quod contingit quando obicitur negatio identificata cum nigredine per actum, quo Deus dicit, negatio non est eadem cum nigredine, seu, repugnat identitatis negationis cum nigredine. Sunt etiam alia entia rationis simplicia, in quibus nullum ens reale apprehenditur, ut cum apprehenditur alius Deus distinctus à Deo Optimo Maximo, in quibus, neque respectu intellectus humani, neque divini obiectum aliquod apprehenditur aliter ac est in se, quia totum illud quod apprehenditur non est in se, ac proinde, neque est in se ut apprehendatur, neque aliter ut apprehenditur, quia quod in se non est, nullo modo est in se, & quod in se aliquo modo non est, non potest dici apprehendi alio modo, ac est, quia rem apprehendi aliter ac est in se dicit apprehendi hoc modo, & habere in se modum alium distinctum. Ex his inferes illud quod formalissimè ex parte obiecti est factum, & ens rationis non apprehendi aliter ac est in se, seu modo distincto ab illo quo in se habet, quod est idem, sed apprehendi modo quem in se non habet, quia in se nullum esse habet, neque aliquo modo est, & cum aliquo modo apprehenditur. Inferes similiter non omnem cognitionem factivam entis rationis esse apprehensionem obiecti aliter ac est, sed tantum dicere essentialiter cognitionem obiecti, quod nullo modo est. Nunquam loquor de apprehensione, ut distincta à iudicio, sed quatenus se extendit ad cognitionem. Dicuntur tantum ex cognitionibus factivis entis rationis apprehensiones obiecti aliter ac est in se, cognitiones illae, quae respiciunt obiecta complexa, quae in se aliquid reale includunt. Exempli gratia, apprehendo ego hircum identificatum cum ceruo, hanc apprehensionem attingit tria obiecta, duo realia hircum, & ceruum, & unum fictum, identitatem videlicet inter hircum, & ceruum: hircus, & ceruus apprehenduntur aliter ac sunt in se, quia in se sunt distincti, & apprehenduntur identificati, quod est apprehendi cum alio modo distincto ab illo, quem in se habent, identitas autem, quae est obiectum fictum, & in qua consistit ens rationis, non potest apprehendi ut est in se, neque aliter ac est in se, quia in se habet modum aliquem, neque identificatum, neque distinctum ab illo cum quo apprehenditur, apprehenduntur tamen cum modo, quem in se non habet, quia cum non sit in se neque extra intellectum existat, non existit illo modo, neque cum illis formalitatibus, cum quibus existens apprehenditur. Haec apprime observanda sunt pro apprehensione entis rationis tam respectu intellectus humani, quam divini.

Sunt alij, qui praetendunt Deum cognoscentem entia rationis non illa facere, non quia per dissensum illa cognoscat, sed quia illa cognoscit ut facta ab intellectu humano. Ex quo fit cognitionem divinam supponere iam facta ab intellectu humano, & ita non illa posse facere. Propter eandem rationem dicebat recens quidam intellectum humanum cognoscentem entia rationis nunquam illa facere, quia semper illa in tempore cognoscere incipit, & Deus ab aeterno illa cognovit, ex quo fit hominem semper iam à Deo per totam aeternitatem praecognitum invenire ens rationis, & consequenter factum à Deo, ac proinde Deum solum entia rationis facere, & cognoscere; hominem verò tantum illa cognoscere, & non facere. Inferebat ergo ex eo, quod tempore, seu per aeternitatem

tem duratione præcedit cognitio diuina de obiecto rationis cognitionem creatam circa idem obiectum, cognitionem diuinam, & non creatam esse factiuiam entis rationis, sicuti inferunt alij ex præcedentia natura, quam habet, etsi improprie cognitio creata de obiecto rationis respectu cognitionis diuinæ de eodem obiecto, cognitionem creatam, & non diuinam esse factiuiam entis rationis.

16 Vtramque illationem æquè inefficacem esse iudico, quia sæpe dixi non repugnare idem ens rationis semel iterum fieri, postquam iam factum supponitur, sicuti non repugnat semel & iterum cognosci postquam iam est cognitum, & ita nulla prioritas siue temporis, siue nature obesse potest quo minus cognitio posterior ens rationis iterum faciat, quod alia cognitione priori factum supponitur, sicuti neque obesse potest quominus cognoscat iterum idem obiectum, quod cognitum supponitur.

17 Plura alia possent obici contra utramque prioritatem nonnulla breuissimè attingam contra prioritatem nature, quam primus dicendi modus meditatur, quæ magis apud doctores increbruit. Etiam si ens rationis supponatur prius natura ut factum ab homine, & ut existens, non supponitur ut existens ab æterno, sed ut existens in illa differentia temporis in qua cognoscetur in tempore, seu ut extitutum in tali tempore: ergo ex vi huius prioritatis non habet ab æterno esse obiectiuium in mente hominis, & verum est dicere in æternitate præcedente durationem creaturarum entia rationis non erant actu, obiectiue in mente

hominum, neque erant facta ab hominibus, licet præiudicerentur à Deo facienda ab hominibus tempore futuro, sed in tota illa æternitate habebant esse obiectiuium in mente Dei: ergo prius tempore, quàm in actu exercito haberent esse obiectiue in mente hominis aliæque creaturæ habuerunt esse, obiectiue in mente diuina: ergo habuerunt esse actuale, quod non est aliud, quàm esse obiectiuium, antequam existeret creatura: ergo non habuerunt illud esse actuale à creatura, sed à Deo.

18 Secundò ad cognitionem actualem creaturæ de obiecto rationis supponitur in Deo scientia simplicis intelligentiæ de illa cognitione: ergo de illo obiecto, cum non solum realiter per eandem cognitionem cognoscatur à Deo cognitio creaturæ, & illius obiectum: ergo prius natura, quam creatura cognoscat ens rationis, supponitur hoc cognitum à Deo scientia simplicis intelligentiæ visionis creatæ, & etiam eiusdem entis rationis ut faciendi ab homine, quæ poterit dici scientia practica visionis eiusdem obiecti ut facti à Deo ex vi illius cognitionis ens rationis, quod respectu creaturæ ut possibile concipitur fit actu existens in mente diuina, quia fit actu cognitum, & esse cognitum, & esse existens in ente rationis est formaliter idem. Neque videor cum Thomistis sentire, dum scientiam visionis practicam voco, quia hoc tantum potest conuenire scientiæ respectu entis rationis, cuius esse est cognosci, non verò respectu entis realis, quibus præter cognosci aliud esse physicum in est, ad quod faciendum dirigit scientia practica.

